BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 M
11/1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

727.11

A
12

Digitized by Google

FORTVNATI FIDELIS MEDICI

DE RELATIONIBVS MEDICORVM

LIBRI QVATVOR.

In quibus ea omnia, quæ in forenſibus, ac publicis cauſis Medici referre ſolent, pleniſſime traduntur.

Adiecto duplici Indice: capitum ſcilicet, & rerum memorabilium.

CVM PRIVILEGIO.



PANORMI,

Apud Ioannem Antonium de Franciſcis. M D CII.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Illuſtriſsimo, atque Excellentiſs. D.

D. LAVRENTIO SVAREZ FIGVEROAE, ET CORDVBAE,

Duci Feriæ, & Marchioni Villalbæ, & in Siciliæ Regno Proregi, & Capitaneo Generali.

FORTVNATVS FIDELIS. S. P.

SAEPE mecum ipſe perquiſiui, Princeps excellentiſsime, quid eſſet, quòd qui libros à ſe editos poſteritati cõmendare nituntur: eoſdem etiam magnis, ac principibus viris dicare cõſueuerunt. Cuius ego inſtituti duplicem rationem inuenio: alteram quæ ſcriptores ipſos, alteram, quæ gratiſsimos Mecœnates in commune officiũ quaſi conſpirantes impellit. Nam qui literarum ſtudia profitentur, quoniam cum inuidis, ac detractoribus in lubricum famæ certamen deſcendunt: fereq; imbelles ipſi turbidis his concertationibus ſatis eſſe non poſſunt: cumq; etiam neſcio quo fato id hominũ genus fortunæ incommodis magna ex parte premantur: ideo aliorum patrocinia, atque ſubſidia, quibus tutari ſeſe, ac ſuſtinere valeant, ſtudioſè perquirunt. Qui verò generis nobilitate, ac rebus geſtis, opibuſq; excellunt, quoniã in tanta rerũ vbertate ſolam ſibi nominis celebritatẽ, quæ futuris temporibus prædicetur, deeſſe arbitrãtur: hi quoq; illuſtriũ ſcripto-

rum operam non minus deſiderãt: vt quidquid præſeferunt egregij, id etiam illorum monumentis illuſtratum, nullam timeat obliuionis iniuriam. Sed hæc cùm vera ſint: mihi tamen, qui lucubrationes has meas ſub tuo nomine, tuiſque auſpicijs in lucem promo, longè alia ineunda eſse ratio videtur: nam, vt fatear, tuo me patrocinio, opibuſq; magnopere adiutum eſse: nihil tamen video, quæ à me tibi officij viciſsitudo rependi vnquam poſsit: tam multa enim in te ſunt & antiqui generis, & rerũ geſtarum, & deniq; virtutum omnium ornamenta: tam latè in remotiſsimas etiam regiones ſeſe explicant, atque diffundunt: vt demens ego ſim, ſi exiguo hoc volumine tibi, qui nulla non ex parte clariſsimus es, lucẽ aliquam afferre contendam. Num meis his monumentis ad famę perpetuitatem commendari expoſtulat nobiliſsima Figueroarum familia, quæ octingentis ab hinc annis & pacis & belli gloria: &, quod tàm rarum, quàm pulchrum in magnos principes cadit, literarũ peritia inſignis ſemper fuit? Quamquam longiſsimum hoc ſpatiũ, ſi Suarez, quod antiquius familiæ cognomẽ eſt, vetuſtiſsimam adhuc memoriam repetas, breuiſsimum duces. Hinc magnanimi heroes, oratores grauiſsimi, ac fortiſsimi Duces Hiſpanam gloriam omni ex parte nobilitarunt: vt iure gentilitium vobis Laurentij nomen cõmeritum ſit: nam & laureæ multæ, multis iam parte victorijs vobis omnibus familiare hoc, & domeſticum nomen effecerunt. Num etiã meam ſcribendi operam deſiderat legatio illa, qua Regis fidem obſequiumq; ita grauiter, facundeque

Summo

Summo Pontifici detuliſti: vt Romana illa ingenia, quę nihil tam facilè admirari ſolent, magnam tamen tui animi prudentiam, ac ſuauitatem eloquij non ſine admiratione prædicarint? Num & illa ſimiliter tam multi operis, ac periculi plena: cum ſcilicet Lutetiam miſſus, quo tempore ingẽtes armorum tumultus, diuerſæque factiones res Galliæ perturbabant, tàm viriliter, atque intrepidè ad primates illos, ac regni proceres, pro potentiſsimo Hiſpaniarum Rege, atque vniuerſa Chriſtiana republica, aduerſus validiſsimum hoſtem, ac regnandi ſpe elatum, enuntiaſti: vt vix credi poteſt, quàm nihil aduerſariorum potentiam, ſola animi virtute, nec vllis præterea viribus fiſus, perhorrueris. Sed quia magna tibi, ac diuina ingenij vis eſt: nullumque tàm præcipuum eſt munus, nullum tam graue, quod fœliciter adminiſtrare non poſsis: idcirco regnorum moderamina iam tibi ſunt demandata. Ac Tarraconenſium res tàm ſapienter, tàm iuſtè es moderatus: vt tuo diſceſſu magnam omnium bonorum iacturam in ſua republica factam eſſe profeſsi ſint. Siculi autem, qui aduentum hunc tuum fato quodam ſibi debitum fuiſſe putant: quod etiã editis monumentis propediem palam fiet: cùm in te miram rerum omnium prouidentiam, atq; æquitatem, humanitatemq; intuerentur; te non tàm magnum Principem, quàm veriſsimũ magni principis exemplar, atq; idæam eſſe affirmant. Et cum omnium ante te proregum nobilia facta, antiquiſsima memoria repeterent: illud tamen tuo quodam iure proprium tibi adſcribendum pu-

tant,

tant, quod dignitatem Regij muneris, ac morum ſuauitem, humanitatemque ita componis, & moderaris: vt nec maieſtati quidquam detrahat manſuetudo: & ſua etiam ſuauitas in authoritate ſeruetur. Sed ſecundæ res iſtæ fœlicem te faciunt: illud autem fortem, ac magni planè animi: quòd multos aduerſæ fortunæ caſus, atque inimicorum odia tàm inuictè, ac fortiter ſuperaſti: vt illuſtrior ab his factus, te nulla non ex parte ſuſpiciendum præbueris. Hæc igitur ſatis per ſe clara, & perſpecta ſunt omnibus: ac nullius opis indiga, proprijs meritis ſemper ſunt duratura: quamobrem quod ego tibi librum hunc meum conſecro, perſoluis tu quidem interea magnanimi principis officiū: ego autem aut nihil planè, aut hoc tantum præſto, quod tibi materiam aliquam, atque occaſionem præbeo, in qua munificentiam, ac benignitatem exerceas. Excipe igitur Magne Princeps exiguum hoc munus: ſed quod tamen dum tuo patrocinio ſuffultum, tuoque nomine ornatum prodit, dignum fuerit, quod poſteris aliqua cum laude innoteſcat. Interea fœlix viue, & vale.

PRAE-

PRAEFATIO.

TAM magna eſt, tàm latè patet medicinæ facultas: vt non medicis ſolum: ſed cæteris quoq; bonarum artium ſtudioſis: ſiue ſalubritas corporis procuranda: ſeu rerũ natura inueſtiganda eſt: aut ciuiles actiones agendæ: magnum vſum identidem ſubminiſtret. Nam, vt alios præteream, quorũ licet ſtudia diuerſa ſint, communi tamen quadam ſciendi propenſione, humani corporis contemplãdi deſiderio, quod omnium maximè, explet medicina. promouentur: neminem latet, quàm ſæpe qui iuris prudentiã profitetur, ipſiq; grauiſſimi magiſtratus, nos conſulant, noſtrãq; ſententiam expoſcant: vt illa adiuti ſapienter de rebus, atq; integrè iudicare poſſint. Sed cum magna hæc medicinæ authoritas ſit: haud minor inde tamen emergit difficultas: quod quicunq; præſtantiſſima arte dignos ſe exhibere volunt: non ſolum communia quædam, ac vulgo expoſita medicinæ præcepta: ſed recondita etiam multa teneant neceſſe eſt: quibus niſi animum diligenter aduertant, vulgarem planè medicinam, longeque ab illuſtrium medicorum nota exercere meritò videbuntur. Hoc autem cum dico, non ſine rubore quorundam medicorum venit in mentem: quos ſi de his rebus aliquando perquiras, quæ à vulgari intelligentia paulo remotiores ſunt: qualia ſæpe nos iudices in publicis cauſis: aut curioſi quidam varijs occaſionibus percontantur: eos videas aut turpi ſilentio inſcitiem prodere: aut inani loquacitate turbare, ac miſcere omnia. Ex his tamen aliqui, quamquam in propriæ artis ignoratione nulla ſatis digna eſt excuſatio: imperitiam ſuam ad hunc modum, ſi dijs placet, purgare ſolent: quòd nimirum neminem habeant authorem, à quo raras haſce, ac nouas præceptiones accipiant. Nam & ſi nonnulla à varijs medicinæ ſcriptoribus memoriæ prodita ſunt, quæ huic notitiæ conferre aliquid poſſunt: illa tamen quoniam diuerſis, nec ita promptis ex locis laborioſè petenda: malunt nihil omninò, quàm hæc diſperſa, multiſq; difficultatibus inuoluta perquirere. His igitur, alijſque omnibus, qui in honeſtiſſimo diſciplinarum ſtudio proficere volent, operæ pretium me facturum putaui, ſi de medicis relationibus: in quibus præclara multa, nec ita omnibus nota problemata continentur, iuſtum volumen conſcriberem. De quibus quidem ſic ago: non quaſi coram iudice ſeriò de re ipſa referẽdum ſit: ſed omnia & conquiſitis cauſis, & magnorum virorum authoritatibus ita illuſtro, ac pro viribus locupleto: vt etiam curioſo cuique fieri ſatis poſſit. Proinde nonnullas quoque digreſſiones: ſed quæ non adeò à propoſito aberrent interpoſui: quibus tametſi inter forenſes cauſas remotior eſſe locus videatur: nonnihil tamen medicis relationibus conferant: ſiquidem aut in probationes incumbere, aut artem, ingeniumque oſtentare opus ſit. Ergo illas aut legent, qui variæ, ac multiplicis lectionis ſtudio tenentur: atque extra communem aliorum notam cenſeri volunt: aut præteribunt alij, qui ad vnciam ipſam referendi materiam properant occupati. Inter hæc verò etſi nonnulla fortaſſe prætermiſſa eſſe videbuntur:

tur:

tur: quæ aptare huic loco nihilominus poſſes: ſcitote nouum hoc eſſe argumenti genus, ac ſine exemplo mihi ſuſceptum: vt non tam turpe ſit omiſiſſe aliqua; quàm pulchrum hæc ipſa inueniſſe. Quamobrem nihil dubito gratum hoc opus ingenuis lectoribus fore: nam ſi communibus medicinæ ſtudijs mecum coniuncti ſunt: nihil video, cur hæc noſtra, quæ medico vſui plurimum neceſſaria, à nemine tamen hactenus ita memoriæ mandata ſunt, auidè illi lecturi non ſint: ſi verò iuris prudentiam profitentur: ſpero etiam, dum per nos ea facilè habebunt, quæ antea ab alijs, nec ita fideliter petenda fuerant: haud dubiè illos ſenſuros eſſe, noſtris laboribus non mediocriter adiutos fuiſſe. Si denique cæteris diſciplinis deditiſunt: ſpes quoque eſt, librum hunc meum, quem non indecora varietas commendauit, illis iucundum fore. Eos verò, ſi qui ſunt, quos aut inuidia, aut odium, aut alia quæpiam mentis ægritudo in alienæ laudis detractionem acriter impulerit, nihil curo: contemnenda enim maledicentia eſt, quæ non à iudicio: ſed ab animi vitio proficiſcitur. Immo, vt fatear, illorum angores neſcio quid me magis erigere, atque excitare valent: nam illos niſi quæ honeſtè, ac præclarè facta ſunt, nihil præterea commouere, ac turbare poteſt. His igitur dimiſſis, qui inani tantum latratu moleſti ſunt: vos, ingenui lectores admonitos velim: me, hoc in opere, quod in veſtram gratiam emitto, hoc præcipuè conſilium ſuſcepiſſe: vt aliquid tandem meis laboribus ferrem, quod medicorum poſteritas proficuum ſibi eſſe ſentiat. Nec me vana ſpe detineri conijcio; nam, vt alia taceam: id equidem profiteri poſſum, ſimilis argumenti opus nuſquam antea, quod ſciam, in lucem veniſſe: vt vel hoc vno gratiam à nonnullis ſim initurus. Præterea in ſcribendo illum ordinem ſeruaui, quem mihi doctrinæ ratio vltrò monſtrabat. Cum enim earum rerum occaſiones, de quibus medici referre ſolent, partim ad viuentes homines, partim ad mortuos pertineant: illas tribus prioribus libris: has quarto, ac poſtremo comprehendi. Atque illæ adhuc quoniam aliæ fœminarum ſexui propriæ ſunt, aliæ omnibus communes: illis tertium librum dicaui. Priorum verò, quæ quidem ad ſalubrem medicinæ partem quodammodo referuntur, primo libro diſpoſui: his interim ſecundo collocatis, quæ ad morboſæ affectionis ſigna redigi queunt. Hæc ergo quæcunque ſunt, gratè accipite: ac ſi quid dictum à me eſt, quod veſtram approbationem meruerit: magnum iam tum meorum laborum fructum cepero: ſin minus, quidquid alienum putabitis, amicè aut ferte, aut conſulite, aut admonete.

Digitized by Google

DE RELATIONIBVS MEDICORVM

Liber Primus.

De locorum ſalubritate. *Cap. I.*

Scribendi occaſio.

LOCORVM ſalubritatis tractatio, & medica eſt: & medicis quoq; relationibus non rarò materiam præbet: ſiquidem eo in loco exulare quiſpiam, aut vtcunq; eſſe compellitur, à quo ſibi, cum dubiæ valetudinis ſit, non mediocriter metuat. Quamquam non illa tãtum anguſtis his finibus continetur: ſæpe enim ab his quoque, qui ciuitatis rem gerũt, atque à principibus viris de hac re ſtudioſè perquirimur: ſiue vrbes condere, ſeu regias baſilicaſuè, aut publica valetudinaria conſtruere: ſiue alia quæuis ædificia ad communem vſum quoquo modo ſtatuere neceſſe ſit. His autem extruendis operibus etſi architecti adhiberi ſolent, qui vrbium, atque ædium partes aptè conſtituant, diſponantque: attamen vbicunque valetudinis ratio habenda eſt, medici ſuo iure accerſuntur: vt locorum conditio, atque natura, quatenus prodeſſe, aut obeſſe corporibus valeant, exactius dijudicent. Quocirca ipſi etiam architecti, vt medicam facultatem aliqua ex parte condiſcant à præcipuis eius diſciplinæ magiſtris *admonentur. *vitr. lib. 1. cap. 1.* Præterea vitæ moribus inſtituendis, intelligentiæq; comparandæ non mediocriter habitationis temperies, vt prohibet Plato, *cõducit: vt iam videas, non corporibus ſolum, ſed animis quoque *5 de rep.* vtiliſſimam hanc eſſe notitiam. Huiuſmodi autem referendi genus etſi minus frequens inter medicos agitari ſolet: in vſum tamen venit aliquãdo: eoq; grauiores, doctioreſq; exigit viros, quò

minus nota, vulgataque iſta eſſe ſolet cognitio. Ergo vt variæ locorum conditiones omni ex parte innoteſcant: iam per ſingulas cauſas, à quibus affici loca, ac variari contingit, hic præſtat rem omnem expendere.

Quomodo à vario cæli aſpectu terrarum loca afficiantur.

Cæli aſpectus, quantum ad locorum attinet ſalubritatem, quadruplex eſt: quòd nimirum quatuor ſint terrarũ partes, quæ magis inſignes, ac proprijs quibuſdam temperamentis donatæ eſſe videantur. Primus ad meridiẽ ſpectat: ſecundus ad aquilonem: quorum ille etiam ſurſum: deorſum hic Ariſtoteli* locatur: tertius ad ſolem orientem vergit, qui & ipſe dexter dicitur: poſtremus ad occidentem, qui ſiniſter. Effinxit enim philoſophus ſupinum hominem vniuerſo terrarum orbi adiacentẽ, cuius pedes ſeptentrionem attingant: caput ſubiectum polum: vt iam etiam dextra manus ad orientem, ſiniſtra ad occidentem protenſa ſit oportet. Verùm exortus & occaſus mobiles, & varij ſunt: meridies, ſeptẽtrionesque ſtatu perpetuo manent. Oritur enim ſol non indidem ſemper: ſed aut æquinoctialis oriens dicitur: cum ſcilicet diei, ac noctis æquum eſt ſpatium: aut ſolſtitialis, in longiſſimo nimirum anni die: aut brumalis in longiſſima nocte. Item cadit ſol non in eundem ſemper locum: fit enim ſimiliter occaſus eius aut æquinoctialis, aut ſolſtitialis, aut brumalis. Ergo his ita conſtitutis, cæli aſpectus, qui ad meridiem conuertitur, ſeptentrioni auerſus, homines* facit humida capita, ac pituitoſa habentes: vnde omnium morborum, qui à defluxione originem habent, plurima accedit occaſio. Præterea putredinoſis affectibus promptè hunc ſitum obiectum eſſe deprehendimus: nam hoc etiam experimento compertum* eſt, granaria, ac cellas vinarias, quæ ſolis curſum ſpectant, citò ſuam bonitatem mutare: & fructus, qui in futuram hyemem aſſeruantur, diutius perdurare, ſi eundem cæli aſpectum declinent. Quæ autem regio ad ſeptentrionem conuerſa eſt, hoc nobis ad valetudinem præſtat, quòd* vegetos & ſiccos homines facit: bilioſoſq; magis, quàm pituitoſos, planèque longæuos. Nam & Britannos, qui ſub vrſis degunt, legimus,* complures centum viginti annis perdurare: quando Aethiopes vix ſexaginta attingãt. Neque eſt, cur Galenum* obijcias mihi, qui humidum tẽperamentum omnium laudatiſſimum eſſe, & qui maximè humidi ſunt, ...

* 2. *Cæli text. is &c.*

**Hipp. de aere loc. &c. c. 2.*

**Vitruu. lib. 1. c. 4.*

**Hippoc. vt ſupra.*

* *Plut. de hiſt. phil. in vlt.*

**6. de ſantuẽ. c. 11.*

etiam maximè eſſe lõgæuos affirmauit: vt iam propterea ſeptentrionis loca, quæ ſicciſſima ſunt, vitæ diuturnitati plurimum aduerſari dicendum ſit. Nam quamquam his in locis ambiens nos aer & frigidior, & ſiccior ſit æquo: attamen id ipſum facit, vt natiuus corporum calor, atque humor, qui reuera omnium animæ actionem eſt author, intus viuacior fiat, atq; vberior, nullo externo æſtu diſſolutus, imminutuſque. Quamobrem quod per ſe aliquando deſtruit frigus, id per accidens ſtruit: atque idem diuerſa licet ratione contrariorum eſt cauſa. Notumque illud eſt Ariſtotelis,* illos, qui calida loca inhabitãt, ſua natura eſſe frigidiores: qui frigida, calidiores. Hæc eadem etiam ſeptentrionalia loca incolis multam præſtare concoquendi bonitatem, ac pauciſsimos morbos ferre, teſtis eſt Auicennas.* Ergo ſalubris ad valetudinem hic fuerit locus: nam & Ariſtoteles *cùm ſanitatis cauſa ſitui vrbium, quæ ad orientem expoſitæ ſunt, primas tribuiſſet: proximum deinde illis locum dedit, quæ ad boream vergunt. Quæ autem regio ad orientem ſpectat, & quæ interpoſitis montibus ab occidente ſeclusa eſt, omnium ad valetudinem maximè accommodata Hippocrati* eſt: is enim locus moderatam ſemper ſentit caliditatem, ideoque veri quam maximè ſimilis exiſtit: ac pauciores omnino, mitioresq; fert ægritudines: adeò vt in his etiam locis obſeruent nõnulli,* morboſas aeris mutationes parum nocere poſſe, quas tamen damnoſiſſimas ſemper alibi experiri ſolemus. Tàm æqualis enim ibi cæli temperies eſt, tàm planè inculpata: vt alienas impreſſiones nec admittere, nec retinere diu poſſit. Cur autem ſitus hic omniũ ſaluberrimus exiſtimetur, tempeſtiuæ ſolis actiones in cauſa ſunt: is enim dum effertur, ac noſtrum orbẽ perluſtrat, quidquid humidæ euaporationis noctu circumfunditur terris ſtatim attenuat ac diſcutit, & tandem omnia, cum maximè opus eſt, reddit puriora. Sed præterea alio etiam commodo, quæ ſoli orienti expoſita eſt domus, perfruetur, quòd nimirum hyberno tempore ſemper aprica eſt, æſtiuo in vmbra: ideoque optimè Varro* villam ſuam ita conſtituit, vt ad exortus æquinoctialis conuerſa ſit: nam (inquit) æſtate habet vmbrã, hyeme ſolem. Quæ autem ciuitates ad occaſum pertinent, ſitu ſunt morboſiſſimo, inquit Hippocrates:* ibi enim impurum aerem, ac putredini aptiſſimum eſſe: ac cur ita ſit, planè etiam à ſole habet, qui radios ſuos, calorẽque tardè illuc trãſmittit: neq; nocturnos vapores diſſoluere, aeremque depurare ſatis valet. Ideoque

14. probl. 8.
2. p. doc. 2. c. 11.
7. Politicor. c. 11.
vt ſup.
Raſis 17. cõtin. c. 6.
1. de re ruſt. c. 12.
vt ſupra.

minus nota, vulgataque iſta eſſe ſolet cognitio. Ergo vt variæ locorum conditiones omni ex parte innoteſcant: iam per ſingulas cauſas, à quibus affici loca, ac variari contingit, hic præſtat rem omnem expendere.

Quomodo à vario cæli aſpectu terrarum loca afficiantur.

Cæli aſpectus, quantum ad locorum attinet ſalubritatem, quadruplex eſt: quòd nimirum quatuor ſint terrarũ partes, quæ magis inſignes, ac proprijs quibuſdam temperamentis donatæ eſſe videantur. Primus ad meridiẽ ſpectat: ſecundus ad aquilonem: quorum ille etiam ſurſum: deorſum hic Ariſtoteli* locatur: tertius ad ſolem orientem vergit, qui & ipſe dexter dicitur: poſtremus ad occidentem, qui ſiniſter. Effinxit enim philoſophus ſupinum hominem vniuerſo terrarum orbi adiacentẽ, cuius pedes ſeptentrionem attingant: caput ſubiectum polum: vt iam etiam dextra manus ad orientem, ſiniſtra ad occidentem protenſa ſit oportet. Verùm exortus & occaſus mobiles, & varij ſunt: meridies, ſeptentrionesque ſtatu perpetuo manent. Oritur enim ſol non indidem ſemper: ſed aut æquinoctialis oriens dicitur: cum ſcilicet diei, ac noctis æquum eſt ſpatium: aut ſolſtitialis, in longiſſimo nimirum anni die: aut brumalis in longiſſima nocte. Item cadit ſol non in eundem ſemper locum: fit enim ſimiliter occaſus eius aut æquinoctialis, aut ſolſtitialis, aut brumalis. Ergo his ita conſtitutis, cæli aſpectus, qui ad meridiem conuertitur, ſeptentrioni auerſus, homines* facit humida capita, ac pituitoſa habentes: vnde omnium morborum, qui à defluxione originem habent, plurima accedit occaſio. Præterea putredinoſis affectibus promptè hunc ſitum obiectum eſſe deprehendimus: nam hoc etiam experimento compertum* eſt, granaria, ac cellas vinarias, quæ ſolis curſum ſpectant, citò ſuam bonitatem mutare: & fructus, qui in futuram hyemem aſſeruantur, diutius perdurare, ſi eundem cæli aſpectum declinent. Quæ autem regio ad ſeptentrionem conuerſa eſt, hoc nobis ad valetudinem præſtat, quòd* vegetos & ſiccos homines facit: bilioſosq; magis, quàm pituitoſos, planèque longæuos. Nam & Britannos, qui ſub vrſis degunt, legimus,* complures centum viginti annis perdurare: quando Aethiopes vix ſexaginta attingãt. Neque eſt, cur Galenum* obijcias mihi, qui humidum tẽperamentum omnium laudatiſſimum eſſe, & qui maximè humidi ſunt, eos

etiam

Marginal notes: * 2. Cæli text. 15 &c. — *Hipp. de aere loc. &c. c. 2. — *Vitruu. lib. 1. c. 4. — *Hippoc. vt ſupra. — * Plut. de hiſt. phil. in vlt. — *6. de ſanitué. c. 11.

etiam maximè eſſe lōgæuos affirmauit: vt iam propterea ſeptentrionis loca, quæ ſicciſſima ſunt, vitæ diuturnitati plurimum aduerſari dicendum ſit. Nam quamquam his in locis ambiens nos aer & frigidior,& ſiccior ſit æquo: attamen id ipſum facit, vt natiuus corporum calor, atque humor, qui reuera omnium animæ actionem eſt author,intus viuacior fiat, atq; vberior, nullo externo æſtu diſſolutus, imminutuſque. Quamobrem quod per ſe aliquando deſtruit frigus, id per accidens ſtruit: atque idem diuerſa licet ratione contrariorum eſt cauſa. Notumque illud eſt Ariſtotelis,* illos,qui calida loca inhabitāt,ſua natura eſſe frigidiores: qui frigida, calidiores. Hæc eadem etiam ſeptentrionalia loca incolis multam præſtare concoquendi bonitatem, ac pauciſsimos morbos ferre,teſtis eſt Auicennas.*Ergo ſalubris ad valetudinem hic fuerit locus: nam & Ariſtoteles *cùm ſanitatis cauſa ſitui vrbium, quæ ad orientem expoſitæ ſunt, primas tribuiſſet: proximum deinde illis locum dedit,quæ ad boream vergunt. Quæ autem regio ad orientem ſpectat, & quæ interpoſitis montibus ab occidenre ſeclusa eſt, omnium ad valetudinem maximè accommodata Hippocrati*eſt: is enim locus moderatam ſemper ſentit caliditatem, ideoque veri quam maximè ſimilis exiſtit: ac pauciores omnino, mitioresq; fert ægritudines: adeò vt in his etiam locis obſeruent nōnulli,*morboſas aeris mutationes parum nocere poſſe, quas tamen damnoſiſſimas ſemper alibi experiri ſolemus. Tàm æqualis enim ibi cæli temperies eſt, tàm planè inculpata: vt alienas impreſſiones nec admittere, nec retinere diu poſſit. Cur autem ſitus hic omniū ſaluberrimus exiſtimetur, tempeſtiuæ ſolis actiones in cauſa ſunt: is enim dum effertur, ac noſtrum orbē perluſtrat,quidquid humidæ euaporationis noctu circumfunditur terris ſtatim attenuat ac diſcutit, & tandem omnia, cum maximè opus eſt, reddit puriora. Sed præterea alio etiam commodo,quæ ſoli orienti expoſita eſt domus,perfruetur, quòd nimirum hyberno tempore ſemper aprica eſt, æſtiuo in vmbra: ideoque optimè Varro*villam ſuam ita conſtituit, vt ad exortus æquinoctialis conuerſa ſit: nam (inquit)æſtate habet vmbrā,hyeme ſolem. Quæ autem ciuitates ad occaſum pertinent, ſitu ſunt morboſiſſimo, inquit Hippocrates:*ibi enim impurum aerem, ac putredini aptiſſimum eſſe: ac cur ita ſit, planè etiam à ſole habet,qui radios ſuos,calorēque tardè illuc trāſmittit: neq; nocturnos vapores diſſoluere,aeremque depurare ſatis valet. Ideoque

**14. probl.8.* **2.p.doc. 2.c.11.* **7. Politicor. c.11.* **vt ſup.* **Raſis 17. cōtin.c.6.* **1. de re ruſt.c.12.* *vt ſupra.*

etiam æſtate matutinis temporibus auræ frigidę ſpirant, & ros decidit: ac de cætero ſol occidens homines percoquit. Satis igitur ex his conſtat, orientalem aſpectum in vniuerſum ſaluberrimum eſse: deterrimum verò occidentalem: inter hos autem conſiſtere, qui ad boream, atque auſtrum vergunt: quorum tamen ſalubrior eſt borealis: minus ſalubris, qui ad meridiem conuertitur. Sed hæc vniuerſim quidem vera ſunt: attamen fieri interdum poteſt, vt diuerſa ſitus ratio alicubi magis commendetur. Etenim, vt doctè ſcripſit Vitruuius,* aliter Aegypto, aliter Hiſpania: non eodem modo Ponto; diſſimiliter Romæ: item cæteris terrarum & regionum proprietatibus oportere videntur conſtitui genera ædificiorum: quòd alia parte ſolis curſu premitur tellus: alia longè ab eo diſtat: alia per medium temperatior. Igitur, vti mundi conſtitutio ad terræ ſpatium, inclinatione ſigniferi circuli, & ſolis curſu diſparibus qualitatibus naturaliter eſt collocata: ad eūdem modum etiam ad regionum rationes, cælique varietates videntur ædificiorum debere dirigi collocationes. Quamobrem nō ſolum in diuerſiſſimis, longèque à ſe diſſidentibus terrarum ſpatijs: ſed alibi etiam, vbicunque frigoris caloriſque diuerſa uis eſt: ſiue hoc à ſolis aſpectu, ſiue aliunde proueniat, varia eſse ſolet domus collocandæ ratio. Ergo ex his non rarò euenit, vt commodior multo ea ſit regio, quæ ad meridiem, quàm quæ ad boream ſpectat: illo nimirum in tractu, vnde ſol longè diſtat, atque vbi moleſtiſſima frigora ſentiuntur. Quàmquam enim auſtrū calidius ſit æquo: attamen in frigidiſſimo loco vis eius attemperatur, ac, quantum huc pertinet, in æquilibrio rem ponit: cùm interim ſeptentrionalis violentia ibi tolerari vix poſſit. Atque idcirco optimè Palladius,* poſitio, (inquit) agri in frigidis prouintijs orienti, aut meridiano lateri eſse debet oppoſita: ne alicuius magni mōtis obiectu, his duabus partibus excluſis, algore rigeſcat: aut per partem ſeptentrionis remoto, aut per occidentem in veſpera ſole dilato. In calidis verò prouincijs pars potius ſeptentrionalis optanda eſt, quæ & vtilitati, & voluptati, & ſaluti æqua bonitate reſpondeat. Ac Plinius,* villa (inquit) ſpectare in æſtuoſis locis ſeptentriones debet: meridiem in frigidis: in temperatis exortum æquinoctialem. Præter hæc verò alia etiam eſt ratio, cur interdum auſtralis aſpectus ſeptentrionali ſit præferendus. Salubribus locis, inquit Columella,* ad oriētem, vel meridiem, grauioribus ad ſeptentrionem villa cōuertitur: nec quidem iniuria: nam vitia in ſalubrium locorum

*lib. 1. c. 1

*Lib. 1. tit. 7.

*lib. 1. c. 5

*lib. 1. c. 5

locorum aut ſeptentrionalibus ventis deturbãtur, aut coercentur frigore: cùm tamen præſtet interim temperatas regiones media frui temperie: quæ ab oriente præſertim petitur. Ideoque paulo poſt id ſolum ſummè idem deteſtatur, quod eſt remotum, & ſiniſtrum ſoli, quod ferè peſtilens vocat: nam quod (inquit) apricis flatibus caret, nulla alia vis poteſt nocturnas pruinas, & quodcunque rubiginis, aut ſpurcitiei reſedit, ſiccare atque detergere. Ergo ita ædificium locat,* vt totus fabricæ tractus vnius lateris longitudine, in quo frõs erit, meridianam partem reſpiciat, in primo angulo excipiens ortum ſolis hyberni, & paululũ ab occidenti auerſetur hyemali: ita proueniet, vt per hyemem ſole illuſtretur, & caſtiores eius æſtate non ſentiat. Sunt etiam regiones nonnullæ ſitiui expoſitæ meridiano, ad quas quoniam indidem ſuauiſſimæ, ac ſalubres auræ à vicinis locis frequenter ſpirant, ideo hoc ipſo longè erunt aquilonaribus præſtantiores: nam quidquid bonitatis in ſalubrior fortaſſe detrahit aſpectus, illud magno fœnore regionalis venti cõmoditas repẽdit. Præterea eteſiæ* (placidiſſimi hi ſunt venti, æſtate quotãnis perflãtes) in Hiſpania, & Aſia ab oriente ſpirant: in Põto ab aquilone: reliquis in partibus à meridie. Quis igitur neget cũctis regionibus præter Hiſpaniã, ac Pontũ horũ flatuũ nomine meridionalẽ aſpectũ, æſtiuis tẽporibus plurimũ cõmendari? Ergo veriſſimũ hoc ſtatuo: nimirũ loca ſeptentrionalia meridionalibus in vniuerſum præferenda eſſe: attamen eſſe aliquando, cur certis quibuſdã de cauſis poſtponẽda ſint. Sed hoc in loco Oribaſium* longè aliam ſententiam habuiſſe video: ac non ſolum aquiloni meridiem: ſed hanc quoque orienti prætuliſſe. Regiones, inquit, quæ ad meridiem ſunt, in omnibuſque anni diebus, ac per totos fermè dies ſolem habent, ſunt maximè ſalubres: quæ decliues ad ſeptentrionem ſunt, vtpotè quæ non omnibus anni diebus ſolis ſplendorem recipiant, perexigua diei parte illuſtrantur: et quandoque lux maximè inclinata, atque imbecillior eis incidit: ideoq; minimè ſunt ſalubres: id quod eſt ſanè perſpicuum: nam ſi omnis, quæ ad orientẽ ſita eſt regio, odoratior eſt, quã quæ ad ſeptẽtrionem eſt poſita, magis etiam cõcocta eſt, ac matura: quin, omnium quoque arborum fructus, qui maiorem ſolis partem nacti ſunt, præſtant his, qui minoris participes fuerunt. Sunt præterea maiores, odoratioreſque, & celerius matureſcunt, & gratioris ſunt guſtus: cuiuſque etiam arboris pars, quæ ad meridiem vergit, humidior, rarior, magis tenera, flexibilior, leuior, efficatior, & fabro accom-

*lib. 1. c. 8

*Plin. lib. 2. c. 47.

*9. collec. c. 19.

accommodatior eſt,& in latitudinē plus augetur: quæ verò verſa ad ſeptentrionem eſt,ſiccior,dēſior,grauior,difficilior ad flectendum,& fabris incommodior,& minus in ambitu augetur. Ex quibus non ſolùm ad meridiem verſæ regiones propter relationem, quam habent ad ſolem,ſalubriores ſunt his, quæ ad ſeptētrionem vergunt: ſed hoc ipſo his etiā præſtiterint, quæ decliues ad orientem & occidentem ſunt. Atque hæc Oribaſius: cuius quidem ad obiecta reſpondere,quoniam probabiles tantùm rationes habēt, haud multum negotium fuerit. Argumenta ab arborum, & fructuum bonitate ille deſumit: in qua re ego etiam libenter illi omnia conceſſerim: nam & aromata ferè omnia, & arbores odoratiores illa abunde fert regio. Verùm hæc ipſa non exactum cæli temperiem: ſed potius calidiſſimā arguunt. Hominum verò longè alia eſt ratio: qui tum demum ſalubriter agunt,cum in maximè temperato degunt loco. In calidiore autem regione imbecilliter, & morboſè viuunt: nam apud Aegyptios,inquit Galenus,* ne per ſomnium quidem temperatum inuenias corpus. Fateor quoque apud nos,arbores meridiano ſoli expoſitas, cæteris alijs eſſe præſtantiores: nam ſucculentum & aqueum illarum humorem non niſi valida ſolis actio edomare poteſt, atque concoquere. Homines autem qui natura calidiſſimi ſunt: ac, niſi frigidum inſpirent, citiſſimè diſſoluantur,deterrimè in calidiſſimis regionibus degēt. Cogimur ergo præ Oribaſio rerum potius ſequi naturā, quæ docet, ſalubriorem eſſe omnino ſeptentrionalem aſpectum, quàm qui ad meridiem eſt. Sed præterea eſt,cur aliquis ambigat:quod nimirum Galenus* in Tabiana regione deſcribenda,occidentalem ſitum magis alijs commēdet: nam inter cætera eius loci encomia hoc non vltimum memorauit, quòd ad occidentē conuerſa ſit: nō ergo aut orientis,aut ſeptētrionis ſitus cæteris alijs præſtat. Sed ad hæc breuibus. Scio.n.Tabias pro optimo lacte generādo plurimum commendaſſe Galenum: non quòd ad occidentem ea regio conuerſa ſit: nam hoc potius iure fuerat improbandum: ſed quòd is locus optimas alias conditiones præterea ſortitus ſit, quæ ſatis ad eam laudem eſſe poſſunt. Laudata enim ea eſt regio,quòd modicè ædita ſit: quòd aer illi pecorum paſcuis ſalubris: quodq; non admodum diſtet à mari: ac præterea quòd à vicinis Veſuuij incendijs arridior redditus ſit circumfuſus illi aer: & quòd deniq; herbas producat,& fructus optimo lacti generando ſatis idoneos: vt iam videas ſitum occidentalem, haud quaquam præ alijs celebraſſe

*2. ſanit. tuen. c.7.

*5. Meth. c.12.

lebraſſe Galenum: ſed tantum meminiſſe. Et quidem ea mihi ſententia eſt hanc eandem regionem ſi præterea ad orientem ſita illa fuiſſet, præſtantiorem omninò iudicãdam Galeno fuiſſe. Quãquam concedes fortaſſe, ſi lubet, occidẽtalem hunc ſitum data opera celebraſſe Galenum: attamen non ratione ſolis, qui nos veſpertinis horis intempeſtiuè afficit: ſed tantum merito illius vẽti ſaluberrimi quem zephyrum vocant; qui & gratiſſimus, & iucundiſſimus, & ſerenus ab omnibus prædicatur: quippe à ſaluberrimis oceani campis profectus. Ergo nihil & hoc obſtat, quin ſua natura deterrimus omnium ſitus ſit occidentalis. Verùm adnotatu dignum puto, regionum naturas qualitateſque à certis quibuſdam aſtrorum aſpectibus, influxuq; variè immutari ſolere: vt quæ ſalubres ſua natura eſſe debeant, noxiæ aliquando deprehendantur: & contra, quæ prauæ, atque inſalubres innoxias habitationes præſtent. Neque hoc planè negarit Ariſtoteles:* qui locum hunc ex neceſſitate ſuperioribus lationibus coniunctum eſſe prodiderit, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur. Ac Plato* locorũ differentiam non ſolùm prouẽtorum, atque aquarum natura prouenire affirmat: ſed etiam ex diuina quadam, vt ipſe ait, inſpiratione, quam Dæmones immittant, qui vel propitij, vel contra habitantes ſuſcipiant. Verùm quæcunque huius rei cauſſæ proponantur, de ipſo euentu nemini dubium eſſe debet: nam & memoriæ proditum eſt,* locros & Crotonẽ ex ignota quadam cæli benignitate nunquam peſtilentiam ſenſiſſe, cum tamen finitimæ regiones ſæpe inde laborarint. Siciliæ etiam nõ longè à cephalis vrbe oppidum eſt, quam Charoniam vocant, adeò puerorum educationi infeſtum; vt vix pauci ibi adoleſcant: & maritimus tamen locus eſt, & ſeptentrioni expoſitus. Sed huiuſmodi multa videas terrarum loca, quæ peculiari quadam facultate aut ſalubria, aut inſalubria eſſe deprehenduntur: de quibus etiam nihil attinet dicere: quoniam quidquid id eſt, nulla methodo ac diſciplina cõprehendi poteſt: ſed incolis tãtum, cur ita ſit, longo vſu, euentuq; cõpertũ.

1. Meth. c. 2.

5. de leg. in fine.

Plin. lib. 2. c. 96.

Venti qua ratione regiones immutent.

Duplex ventorum differentia, quatenus habitationes afficiunt, in præſentiarum eſſe ſtatuo: vt alij vniuerſales ſint, ac magis inſignes, alij vero cuiuſque regiones proprij, atque peculiares. Porrò vniuerſales, quos Corypheos vocat* Oribaſi*, quatuor omninò ſunt: nam etſi non me latet, complures eſſe alios, qui à lateribus inter-

9 Collect. c. 2.

interpoſiti ſint: attamen quantum ad certum illorum temperamentum ſpectat, de quo ſcilicet ſermonem modo inſtituimus: ad hos quatuor cæteri alij non alienè referuntur. Nam & hinc etiam Hippocratem* puto, cum de locorũ naturis ex profeſſo agit, quatuor tantum, nec plures ventos enumeraſſe. Primi autem ex his aquilonares conſtituuntur: qui ab arctico polo, aut omninò verſus meridiem perflant: poſteà auſtrales, qui à meridie, aut certè contra ſeptentrionem feruntur: nam qui ab antartico polo deueniunt, noſtrum orbem minimè attingunt. Orientales autem ab oriente naſcuntur: occidentales ab occidente. Horum autem ventorum non ijdem ſemper termini, vnde prodeant, ſtatuti ſunt: nam dummodo verſus meridiem contendant, quocunque ex loco incipiant, ſemper erunt aquilones: quemadmodum auſtrales, ſi ad arcticum vergant, etſi citra æquatorem longè fortaſſis incipiunt. Quam etiam rationem de orientalibus, atque occidentalibus mihi intelligas velim. Non enim, quos orientales dicimus ſemper ab Aſiæ regionibus initium ſumunt: ſed interdum à Græcia: non rarò ab Italiæ maritimis: nam dummodo occidentem verſus contendant, ſemper erunt orientales. Quocirca ab iiſdem terminis aliquando & orientales, & occidentales ſæpe prodibunt: modo ſcilicet in contraria ferantur: nam qui vni oriens eſt, alij eſſe occidens poteſt. Hi igitur venti ſiue ſua natura humectent: vt ſenſit Hippocrates:* qui vniuerſum ventorum genus à niue, fluminibus, ſtagnis, & terra humecta ſpirare affirmauit: ſiue potius calidi ſint & ſicci, quod Ariſtoteles* monſtrauit, qui ex calida, ſiccaque exhalatione, vi ſolis educta conſtare illos aſſeruit: variè illi ſemper afficiuntur ex varia nimirum regionum natura, per quas feruntur. Sic aquilonij frigidiſſimi nobis ſentiuntur, quoniam longè à ſole excitati, ac per frigidiſſimas, niuoſaſque regiones perflantes ad nos deueniunt. Auſtrales verò propterea calidos experimur, quia per exuſtas ſole regiones pertranſeunt. Hæc autem diuerſitas non ita orientalibus, atque occidentalibus ineſt ventis: vtrique ab his locis proficiſcuntur, quæ æquè à temperato affecta ſunt ſole: ideoque eandem ferè temperiem ſapiunt: cuiuſmodi nequaquam ſunt arcticus, & meridies: nam ex his alter calidiſsimus, alter frigidiſsimus eſt locus. Hinc autem veriſſima elici poteſt cauſa, cur boreas vehementius, auſter ſenius ſpiret. Eurus, & zephyrus mediocriter: nam aquilo quoniam ex frigidiore, atque denſiore aere ad calidiorem, & rariorem contendit (fri-

gus

* In lib. de aere loc. et aquis.

* 2. de dic.

* 2. meth. cap. 4.

gus enim ſemper denſat, & calor rarefacit) liberiorem ſemper
inuenit viam, ac nullo obſtaculo impeditam. Contra auſter,
quia ex calidiore, & rariore aere in frigidum, ac denſum tendit;
lentè hoc facit, oppoſita ſibi cæli denſitate. Quod etiam in cauſa
eſt, vt qui in meridiem nauigant, (quemadmodum à peritiſſimis
nautis accepimus) citius multo illuc pertingant: quàm cùm inde
ad boream remeant; nam expeditum magis, atque apertum iter
illuc progredientes ſemper inueniūt. Verum orientalibus, atque
occidentalibus ventis media quædam, nec ſibi diſſimilis aeris
proponitur diſpoſitio: non enim, vt illi in contrarias qualitates
feruntur: ideoque nec tam lentè flant, vt auſtrales, qui in denſius
cælum enituntur: nec tam impetuosè, vt aquilonij, qui à loco
compactiore quaſi in apertum elabuntur. Vt igitur ad inſtitutū
reuertar. Sunt * aquilonares frigidi & ſicci; omneſque corporis * 3. aph.
ſuperfluitates exiccant: robur addunt viſceribus conſtringendo; 17.
& tandem omnes tam animæ, quàm naturæ operationes melio-
res faciunt. Auſtrinis * verò calidam, atque humidam, æſtuan- * 3. aph. 5.
temq; naturam ineſſe obſeruamus: caput, & ſenſuum inſtrumen-
ta multa implent humiditate, promptiſſimiq; ad contrahendam
putredinem ſunt: ideoq; omnium in ſaluberrimi, ac præſertim ſi
verè frequenter ſpirent. Hi etiam venti quidnam corporibus præ
ſtent, non obſcurè, propoſito exemplo, ſignificauit Galenus Cra-
non, * inquit, quoniam meridionalibus ventis expoſita eſt, & con- * 1. epi. t.
cauo in loco ſita; aue. ſaq; eſt à ventis aquilonijs, maximè mor- com. 1.
bis putridis, & carbunculis infeſtatur. Thaſus verò aliter compa-
rata eſt: expoſita eſt enim ventis aquilonijs, & frigidis: ideoque
morboſo ſtatui maximè hic locus reſiſtit. Et Varro, * cum Cor- * 2. de re
cyræ eſſet exercitus, ac claſsis, & omnis domus repletæ eſſent fu- inſt. ca. 4.
neribus, immiſſo feneſtris nouis aquilone, & obſtructis peſtilen-
tibus, ianuaq; permutata, ſuos Comites, ac familiam incolumem
reduxit. Cæterum orientales occidentalibus eſſe calidiores, ve-
riſſimè ab * Hippocrate, atque * Ariſtotele ſcriptum eſt: nam & ſi * De aere
ambo in quadam temperie poſiti ſunt: quia tamen quæ ad ſolis loc. et c. 2.
exortum ſita ſunt loca, diu illo incaleſcunt, multorum ſcilicet, ac * 2. m. th:
ſublimium mentium ab occidente oppoſitu: ideo paulo inde ca- or. cap 4.
lidiores perflant venti. Qui autem ab occidenti ſpirant, cuiuſ- * 26 pbl.
modi eſt Fauonius, iucundiſſimi omnium ventorum ab * Ariſto- 33.
tele prædicantur. Et Plinius, hunc, ait, genitalem eſſe ſpiritum * Lib. 16.
mundi: eoq; animum inferri omnibus ſatis: atque hunc aperire c 25 et li.
18. ca. 34.

Lib 3. ca. 164. terram tenui frigore ſalubrem. Ac præter hæc Aetius * cum hos orientalibus comparaſſet, corporibus noſtris magis eſſe familiares manifeſtè aſſeruit. Atq; hæc cum vera ſint: ſatiſq; iam conſtet, plurimam ventorum differentiam à varia ſolis habitudine, quam ipſi ſortiuntur, proficiſci: ideo opportunè etiam de his nō nihil cōmemorauit Auicennas: * nam cum orientales ventos occidentalibus eſſe ſalubriores ipſe affirmaſſet: adiecit, cum in poſtrema nocte, aut principio diei ſpirant, ſicciores eſſe, atque adeo ſaniores: illo enim tempore ad nos perueniunt, cum aer à Sole attenuatus, deputatuſque noxium omnem humiditatem depoſuit. Cum vero in fine diei, ac principio noctis pe flauerint, contra res habet, ipſis nimirum ventis à nondum deputato aere decedentibus. Occidentalium autem ventorum eadem eſt ratio: nam ſi in fine natis, ac principio diei ſpirauerint, craſſiores omnino exiſtere, ac denſiores: quippe qui ab eo aere proficiſcantur, qui nondum à Sole ſit illuſtratus. Hæc autem omnia, quæ hactenus de ventorum effectibus ſcripta ſunt, vniuerſim quidē vera eſſe deprehenduntur: attamen ſatis compertum eſt, nonnullas eſſe regiones, quæ peculiari quadam cauſa diuersè ab illis afficiuntur. Sic Italis, his nimirum, qui non longè à mari orientali diſtāt, ſubſolanus, ſalubris alioquin ventus, inſalubris ac pluuioſus eſſe deprehenditur: Sic auſtrum infenſum nobis, Aphricis tamen laudabilem eſſe ſcripſit * Ariſtoteles, quibus etiam demiſſum eſſe boream aſſeruit. Sic zephyrum, quem placidiſſimum & ſalubrem prædicant omnes, Vaſcones tamen, vt * ſcaliger perhibuit, perniitioſum experiuntur, ac planè metuendum. Nec dubito, quin cunctis fere regionibus peculiaris quædam ſentiatur, ac diuerſa ab alijs ventorum conditio: quæ, ſiue à proprietate locorum per quæ illi excurrunt, ſiue ab occulto quodam principio dependeat, diligenter ab his eſt aduertenda, qui regionem noſtram ſibi inueſtigandam proponunt. Sed hic non inutilis agitari poteſt quæſtio: quid ſit, quòd cùm cæli aſpectus orientalis omnium eſſe reputetur ſaluberrimus: venti tamen ab eo loco ſpirantes borealibus primum bonitatis locum concedant. Equidem vt ad hæc paucis: mihi ſatis eſt perſuaſum, ideo orientalem aſpectum noſtris corporibus maximè ſalubrem exiſtere, quonia ſol moderato calore ſtatim ab exortu vitia aeris, & craſſos vapores, qui noctu plurimi educantur, ac totam occupant regionem, attenuat, diſſoluitq; & omnia ſic reddit meliora. Venti autem, qui illinc ſpi-

** 2 p. doc. 2. cap. 10.*

** 3. probl. 51. Plin. l. 2. c. 47.*

** Exercitat. 285.*

ran:,

ſunt, quoniam moderatiores ſunt, ita ſimiliter aerem afficiunt, vt nec corporum humiditates exiccent, nec vitia, ſi qua ſunt, facilè corrigant. Qui verò flant ab aquilone, quoniam frigidi, ac ſicci ſunt, adeoque ab omni putredine alieni, cumque etiam multo impetu ferantur, clariſsimè, maximeq; aerē depurant: omnemq; ſuperfluam humiditatem deturbant, atque conſumunt: vt nihil ambigendum ſit, eſſet propterea valetudini aptiores: tametſi ipſe ſeptentrionalis aſpectus, quoniam longiſsimè diſtat à Sole, minus benignè noſtra corpora cōſeruat. Ergo ea mihi ſententia eſt, vt ſi quando optima, atque inculpata loci temperies ſit, longè præſtantius ad orientem ædificium locari putem, quàm aquilonijs flatibus exponere. Contra autem ſi vitia emendare, aquilonis potius efficaciam præfero: nam vt illi conſeruare, ita his corrigere atque emendare eſt proprium. Ergo quia oriens aſpectus, ſoliſq; benignitate ac tēpore, cæteris antecellit: ſeptentrio flatuum vi, atque efficacia plurimum præſtat: ideo cum domus, aut ciuitas ſtatuenda eſt, is potiſsimum ſitus eſt eligendus (ſiquidem nihil ſit, quod obicem facit) qui & orientem, & aquilonem ſpectet: modo tamen orientis aſpectus paulo liberior ſit. De particularibus autem ventis tempeſtiuè iam dicam. Hi autem ſunt, qui non à remotis terrarum tractibus oriuntur: ſed quorundam locorum proprij ſunt. Hi etiam in vniuerſum nec tranſmittunt, vt ait Seneca, * ſed in proximum ferunt: nec illis à latere vniuerſi mundi impetus eſt. Talis eſt Apulus, qui Apuliam infeſtat: Iapix, qui Calabriam: Scyton: qui Athenas: Cagneus, qui Pamphiliam: Circius Galliam: cui ædificia quaſſanti, tamen incolæ gratias agunt, tanquam ſalubritatem cæli ſui debeant ei. Ac denique nulla propemodum regio eſt, quę non habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem, & circa ſe deſinentem. Et Vitruuius * cum vniuerſales ventos ante oculos poſuiſſet, ſunt inquit, & alia plura nomina, flatuſque ventorum, à locis, à fluminibus, à montium procellis detracta. Preterea auræ matutinæ, quas ſol cum emergit de ſubterranea parte verſando pulſat aeris humorem, & impetu ſcandendo trudens, exprimit aurarum antelucano ſpiritu flatus: qui cum exorto ſole permanſerunt, euri venti tenent partes. Præterea igniorandū non eſt, huic generi non eandem ſemper ineſſe naturam: nam hi quoque eius loci conditionē aſſumunt, à quibus ſpirant: à ſalubribus enim regionibus ſalubres: à morboſis morboſi eueniunt. Ergo de his veriſſimè Galenus *, qui, inquit

** 6. de natur. prope finem.*

** Lib. 1. cap. 6.*

** 3. de humor. com. 13. & Oſibus y collect. 9.*

** 3 de humor com 13. et Ori buſ. 9. collect. 9.* quit, à terra ſpirant, ſicciores ſunt: qui ab aquis humidiores; item qui à mari ſalubriores cenſentur, maximè hyeme & verè: æſtate verò calidiores, quàm parſit. Qui autem à fluminibus excitantur, adhuc ſunt humidiores: ſed hyberno tēpore abſurdiores: æſtiuo meliores: qui à ſtagnis, vtriſque deteriores: peſſimū autem eſſe, qui à paludibus. Qui verò à campis, ac terra; quæ rectè perflatur exoriuntur, meliores exiſtimari; atque ad ſummum, omnes, qui sūt locis attributi, eſſe vniuerſalioribus deteriores. Quæcumq; enim exhalationes à vicinis tractibus educuntur, quoniam ferè ſegnes ſunt nec multo motu agitatæ expurgatæq; multum in ſe vitioſi humidi ſeruant, cuius expertes magna ex parte eſſe illi ſolent, qui ad nos longiſſimè accedunt. Præterea hos ipſos inæqualiter corpora afficere, ſcrpſit * Aetius, neque totum aerem cōmouentes, neq; totum diem ſpirantes: ac leniores etiam eſſe, ferè vbique experimur: etenim à ſuo principio non admodum diſtant. Nam certum eſt, vt ſcripſit Auerroes, * ventos in hoc fluminibus aſſimilari, quòd excurrendo maiores omninò fiant, additis nimirum in itinere, aſſumptiſque nouis vaporibus. Sed hæc cum veriſſima ſint, lubet etiam; quæ magnus Hippocrates * de iiſdem memoriæ commendauit in medium afferre. Venti, inquit, à mari in regiones illabentes ſicciores quodammodo sūt: à niue autem, aut glacie, aut ſtagnis, aut fluminibus procedentes, omnes humectant, ac frigefaciunt: & illis corporibus, quæ frigiditate non ſuper excellunt, ſanitatem exhibent. Quicunque etiam ex terra accedunt, ſicciores ſunt, tùm à Sole, tùm à Terra reſiccati. Et qui relictis montibus ad terram deſcendunt, non ſolum ſiccant: ſed etiam ſpiritum turbant, quem inſpiramus, & corpora hominum morboſa faciunt. Atque hæc Hippocrates: cuius monumentis ſi Galenicas præceptiones, quaſi cenſuram quandam adhibueris, quæ venerādam illam quidem: ſed neſcio quid incultam authoris vetuſtatem poliat, nihil tibi ad integram propoſiti argumenti abſolutionem defuerit. Quòd autem de his ventis, qui à niue proflant, ex Hippocrate attulimus, idem atque vberius multò explicauit Auicennas: * nam præſente niue, ſalubres, ait, ventos ſpirare: dum verò ea liquatur, ſiquidem montes interſint, qui vētos prohibeant, calor ſentitur æſtuoſus: nam liqueſcente niue craſſi quidam halitus, impuriq́ue educuntur. Argumento etiam eſt, quod quæ inde aqua funditur, grauiſſima eſt, ac potu inſaluberrima. Conſiſtente autem niue tenuiſſimus tantum

Lib. 3. ca. 163.

** 2. Meteor. c. 2.*

** 2. de dieta.*

** 2 p doc. 2. c. 11.*

tantum exhalat ſpiritus, qui ſiccare rem, ac propterea valetudini conducere non parum poteſt. Atque hactenus ex certis cauſis explicati ſunt varij ventorum affectus. Sed diligenter peruidendum eſt etiam, num, quemadmodum antea dictum eſt, diuerſi fortaſſe alij effectus ex abditis, ac minus notis principijs proficiſcantur: quæ, vt ædificia ſalubriter loces, non parum intereſt ſcire. Hæc autem ſi te lateant (neque eam illa eſt methodus, quæ illa edocere poſſit) ab illis præſertim percuntabere, qui cùm diu illi loco aſſueuerint: corpore etiam ſunt valetudinario, & minùs firmo. Hi enim ſunt, quæ ante alios promptè ab externis iniurijs pertentantur: noruntque, qui venti ad valetudinem proſūt, qui obſunt: nam ab alijs, qui integrè, ac robuſtè valēt, hoc idem fruſtra perquires: quippe qui nullum temporum, ac tēpeſtatum diſcrimen tam facilè norunt.

De aquarum bonitate: atque præſtantia: & quem valetudini vſum præſtent, aquæ, quæ potui inſuaues ſunt.

AD locorum etiam ſalubritatem fontes ipſi, ac cæteræ aquæ non mediocriter faciunt: harumque vius nos ante alia plurimum afficit: Cum enim quandam qualitatem noſtra corpora exambientis, ciborumque temperamento accipiant: præcipituè tamen ex alimento aquæ, inquit Ariſtoteles: *huius enim vſus plurimus eſt, omnibuſque eſt alimento, inquit ille, etiam ſiccis: nam reuera nihil aſſumimus, *ſeu cibum, ſeu potum velis, quin aquæ plurimum accipiat. Ergo in his regionibus, quas eſſe temperatas volumus, tales potiſſimum fontes expetit Hippocrates, *vt ad ſolis exortum erūpāt, & præſertim æſtiuum: his enim in locis aquas neceſſe eſt ſplendidas eſſe, odoratas, ac leues: ſecundus autem locus his eſt, qui ſeptentrionem verſus emergunt: tertius illis ab Hippocrate tribuitur, qui ad occidentem ſcaturiunt: peſſimos verò omnium ad auſtrum eſſe: quibus omnibus ipſe etiam ſubſcripſit Auicennas: *illoſque optimos eſſe aquarū fontes profeſſus eſt, qui ad Solem orientem vergunt, ac præſertim æſtiuum: poſteà verò qui ad ſeptētrionem: nam qui ad occidentem, ac meridiem tendunt, deteriores habentur. Cùm igitur de fontium exortu ita ſentiant grauiſſimi illi medicinæ auctores: non immeritò tamen quiſpiam dubitabit, qua ratione meridianos fontes omnium deterrimos illi eſſe prodiderunt: cùm paulò ante

*4. de generat. animal. 2.

*1. probl. 4. Vitru. lib. 8. c. 4.

*De aere loc. & c. c. 3.

*2. p. doct. 2. c. 16.

lò ante occiduum terrarum aſpectum peſſimum eſſe teſtati ſint.

1. San. tuë.c. 11. Præterea Galenus* nequaquam meridionales exortus, vt ſenſit Hippocrates, ſed qui contra ſeptentrionem fluunt, ſolemq; habent auerſum, peſſimos eſſe memorauit. Has etiam aquas ægrè coctum iri, tardique eſſe tranſitus, ac difficulter calefieri refrigerarique, quas quidem inſalubrium aquarum notas eſſe, ſatis inter omnes conſtat. Rufus etiam author grauis, vt ex Aetio* accepimus: itemque Oribaſius* hac in re cum Galeno conſentiunt. Et quidem iſtis authoribus tantis per ſemonis, nihil videtur, cur auſtrales fontium exortus improbari debeant: nam cum certiſſimis experimentis, magnorumq; virorum ſententijs compertum ſit, aquarum vitia omnia per coctionem ab igne corrigi: profectò hic ipſe meridianus ſitus, qui omnium eſt calidiſſimus, non abſimuli ratione purgare aquas & reddere meliores poteſt. Aquæ enim Ariſtotele* teſte, ſimiliter à Sole, atque ab igne afficiuntur. Nec eſt cur fortaſſe à multo Solis calore craſſiores reddi aquas, eductis ſubtilioribus partibus obijcias mihi: nã hoc ipſum meritò improbauit Auicennas:* aitque aquam vi frigoris dumtaxat, vel aliena miſcela fieri craſſiorem: nam coctione ipſa tenuioré potius reddi, craſſioribus nimirũ recrementis intercoquendú ſecretis. Reuera enim aqua, quæ nobus vſui eſt, quantumuis optima: ſemper tamen aliquos ſecum commiſtos habet vapores, quos ignis atq; adeò ſol ipſe ſeorſum reponat, ac ſeparet: vt iam ſemper à coctione illam fieri puriorem neceſſe ſit. Quod autem calor ſegregat, quæ diuerſi ſunt generis, nemo eſt, qui aut re ipſa aliquando, aut ab Ariſtotele* non didicerit. Quamobrem difficile mihi intellectu ſemper fuit, quod Galenus* Libro tertio de alimentorum facultatibus memoriæ mandauit: ipſam nimirum aquam, optima licet, diutius decoctam ſalſam denique qualitatem aſſumere. Etenim tantum abeſt, vt aqua longa coctione alienum acquirat ſaporem, vt potius, ſi quem habet huiuſmodi, facilè deponat: nam & ſexto epidemiorum* libro aquas omnes vitioſas coctione corrigit, ſiue alieni quidpiam habeant admiſtum, quales ſunt ſalſæ, nitroſæ, ſulphureæ, bituminoſæ, atque aliæ id genus: ſiue à miſtione aeris corrupti, aut ab ingenita alia cauſa inſalubres ſint. Ergo, vt iam tandem ad inſtitutum, fateor quidem orientales fontes præſtare cæteris: ſecundum vero ſalubritatis locum auſtralibus facilè tribuo: his verò deteriores cum Galeno illos puto, qui ad ſeptentrionem pertinent.

1. Tetr. lib. 3. cap. 165.
* *Lib. 4. ſynop. c. 41.*
* *1. Meteor. c. 2.*
* *2. p doc. 2. c. 16.*
* *2. de gener. tex. 8*
* *cap. 32.*
* *Sect. 4. com. 10.*

nent. Et quidem experimento etiam didicimus, ſeptentrionales aquas, vt plurimum, & grauiſſimas eſſe, & vltra modum frigidiſſimas, & tādem noſtris corporibus inſalutares. Et Vitruuius,* cui in hoc noticiæ genere plurimum tribuo, cum obſeruaſſet, flumina omnia, quæ in orbe terrarum magis celebria ſunt, à ſeptentrione in meridiem decurrere: addit poſtea, meliores ſimiliter illos fontes eſſe, quorum capita eundem aſpectum ſeruant. Sed cum de his abunde iam ſatis: illud etiam ad cognoſcendā aquarum bonitatē ex Hippocrate* addiderim, vt ex ſublimibus locis fluant, vt vinū modicū ferāt: vt hyeme calidæ, æſtate vero frigidæ ſint: atque vt è profundiſſimis fontibus erumpant. Ac memoriæ etiam mādauit Galenus,* optimam aquarum conditionem eſſe, vt ab illis nulla vicioſa qualitas contracta ſit: itē vt præcordia celeriter pertranſeant: hac enim ipſa nullam magis idoneam eſſe: quoniam ſi qua pura lympidaque eſt, nihilo ſecyus tamen circa præcordia hæreat, hæc vitio non caret: item vt cito caleſiat, & cito refrigeretur. Præter hæc I mum aquarum vitium eſſe veriſſimè ſcripſit Plinius:* ac damnat etiam, quæ legumina tardè percoquunt, decoctæque craſſis obducunt vaſa cru'lis. Scatere etiam anguillis ſalubritatis indicium eſſe ex eodem didicimus. Lapidoſos autem fontes eo nomine commendauit Auicennas,* quòd terrenam putredinem non ita facilè perpetiantur: quam quam illos demum præſtare ait, qui per puram defluunt terram, ac certum luti genus, quod & noxiæ qualitatis expers ſit, & mundet aquas potius, ac puriores reddat. Atque Hippocrates* ex terreis collibus fluentes aquas omnium maximè commendauit. Sed de his particularius adhuc meminit Plinius:* nam, aqua, inquit, ſemper dulcis in argilloſa terra: frigidior in topho, dulces & leues facit, & colando continet ſordes: ſabulum exiles, limoſaſque habet: glatea boni ſaporis: ſabulum maſculum, & arena carbunculoſa ſalubres: rubra ſaxa optimas, ſpeique certiſſimæ. Sed cùm hæc terrarum genera ferè aliquid boni in ſe contineant: metalla tamen ſemper prauas emittunt, atque vt ait Oribaſius,* ad potum inſalubres. Certum præterea eſt, eò præſtantiores aquas eſſe, quò longius à ſuo principio decurrerint: nam & Plinius,* curſu, ait, percuſſuque extenuari aquas, atque proficere. Herbæ verò, quæ in fontibus, ac canalibus innaſcuntur, aquarum bonitatem non rarò & faciunt, & arguunt: tales ſunt ſium, calaminthe, & Adianthum, quæ adeo ſunt in aquis expe-

teuce:

lib. 8. c. 2.

De aere, &c. c. 3.

1. San. tuē. c. 11.

Lib. 31. c. 3.

2. p. doc. 2. c. 16.

De aere, &c. c. 3.

Lib. 31. c. 3.

5. Collectan. c. 3.

Lib. 31. c. 3.

tendæ: vt, ſi bonæ ſint, integrè ſeruent: ſin minus non mediocriter corrigant. Sed quoniam leuitatem inter ſalubrium aquarum conditiones poſuimus: Videoque nonnullis eſſe perſuaſum, vt de hac re ſtateram conſulere debeant: lubet paucis illos admonere, quàm multò in errore verſentur. Etenim quinto aphoriſmorum Libro* non pondere aquam eſſe leuiſsimam ſcriptum accepimus: ſic enim nihil magnum, inquit Galenus, ab Hippocrate fuiſſet edoctum: ſed eam leuiorum dixit, quæ ventrem non grauat, & quæ cito permeat: & Plinius* quoque, aquæ, inquit, nullo penè momento ponderis inter ſe diſtant: quòd & ſi diſtãt, nullum tamen ſalubritatis indicium inde ſumi debet: nam & nix & glacies leuiores ſunt aqua. Ergo reliquũ eſt, vt vel hypochondriorum affectu de leuitate decernamus: vel, vt etiã dixit Hippocrates,* calefaciendi celeritate: nam ſtateræ indicium in hac re nullam habere certitudinem poteſt. Ac Baccius,* in aquarum natura indaganda peritiſſimus, notaui, inquit, quod indifferenter inueniũtur aliquæ tam bonæ, quam malæ, æqui ponderis: cui rei experiẽtia quoque aſtipulatur: cruda enim, & dura, & putealis, & quandoque mineralis aliqua eiuſdem ponderis inuenitur cum dulci, & pluuia: ſimiliter etiam claræ, & ſubſtantia pares: cæterum ventre, ac coctione non pares. Atque ita optimorum fontium notas, & qui ad ſeruandam valetudinem præſtant, ſatis attulimus. Attamen non ignoro, aliquos eſſe corporis ſtatus, affectuſque, quibus magis illæ aquæ conueniant, quæ potui minus ſunt comprobatæ: nam quorum, inquit Hippocrates,* molles ſunt ventres, & humidi, & pituitoſi: his duriſſimæ & crudiſſimæ, & ſubſalſæ aquæ conferunt: ſic enim maximè ſiccare poterunt, & ventres conſtringere: quæcunque enim aquæ coctu optimæ ſunt, ac facillimè liqueſcunt, eas par eſt, & ventrẽ maximè exoluere, & liquare. Sed & cæteri etiam fontes, qui minus ſalubres ſunt, manifeſto ſuo ſapore propriam, ac peculiarem facultatem oſtendunt, quæ certis affectionibus opitulentur. Sic Plinius,* aluminata (inquit) paralyticis, aut ſimili morbo ſolutis: bituminata aut nitroſa vtilis eſt purgationibus: quamobrem non tam potus, quàm medicamenti vicẽ præſtant. Et Vitruuius,* omnis aqua, inquit, calida ideò eſt medicamentoſa, quòd præuijs rebus excocta, aliam virtutem recipit: nam ſulphuroſi fontes neruorum labores reficiunt percalefaciendo, exugendoque humores vitioſos: aluminoſi diſſoluta membra reficiũt: bituminoſi

*Aph. 26.
*vt ſup.
*5. Aph. 26.
*De ther. cap. 7.
*De aere, &c. c. 3.
*Lib. 31. cap. 3.
*Lib. 8. c. 3.

niſi purgando vitia corporis medeatur. Sunt etiam & aquæ frigidæ nitroſæ, quæ per aluum purgando, etiam ſtrumas minuunt. Vbi verò aurum, argentum, ferrum, es plumbum, & reliquæ res ſimiles fodiuntur: fontes inueniuntur maximè vitioſi, neruoſq; inflant, ac durant, & podagricos efficiunt homines.

De puteis ac ciſternis: & quod fontana aqua pluuia ſit præferenda: item de niuali, ac glaciali nonnulla.

PVtei perpetuam aquam habēt ex terræ meatibus prodeuntem: non tamen vt fontes, foras emergentem. Ciſternæ autem pluuiam aquam per euripos, & canaliculos ſub ſtillicidio poſitos ſeruant. Ergo varia eſt vtriuſque conditio. Putealem maximè probabilem eſſe affirmat Plinius [a]: ſed cui exercitationis ratio crebro admodum contingat: tenuitas colante terra: poſtea ſi vado exiliat vena, non à lateribus: ſiq; expreſſa in altum, aut è ſublimi deiecta, verberatu corripiat aera. Celſus [b] putealem poſt fluuialem locat. Et Oribaſius [c], puteorum, inquit, aquæ deſides ſunt, quia non fatigantur: ideo non admodum ſunt tenues: & cum introgreſſæ fuerint, minus madefaciūt cibos, minuſque concoquunt, & præ craſsitudine, & quia frigidæ ſunt, non benè per vrinam excernuntur: aptiores autem potui redduntur, crebrò auriendo, ac ſi effluerent, & puteorum expurgatione: quæ verò fluunt, multò tenuiores ſunt, & præſtantiores. Cauendum etiam eſt, ne putei cloacarum vicinia, deſtillationeque temerentur: qua ratione arbitror factus eſt, vt ferè magnæ omnes ciuitates inſalubribus puteis vtantur. Situs etiam non minus eſt aduertendus: ſolet enim puteus è vicino quopiam fluuio, vel lacu, vel palude aquam è terræ poris excolatam recipere: cuius deindè vitium, aut virtutem ſequet. Nec ignoranda eſt etiam certa terræ conditio, vbi ſcilicet effoſſi ſunt putei: nam vitioſæ per ſe aquæ multæ ſunt, quæ tamen in optimis puteis aſſeruatæ, inculpatæ redduntur: quales ſunt iuxta Padum Danubium, ac lacum Traſimenum, itemque & Benacum. Contra verò peſſimæ naturæ ſunt alij nonnulli, qui etiam optimas aquas vitare deprachenduntur: cuiuſmodi iuxta Tiberim eſſe audio: ac Bononiæ, cuius gypſeum eſt ſolum, putei ſunt, qui ipſo vſu viſcera grauant, ac omnino inſalubres exiſtere perhibentur. Reuera ergo, & graues & minus ſalubres eſſe

[a] Lib. 31. c. 3

[b] Lib. 2. cap. 18.

[c] 5. collect. capit. 3.

puteorum aquæ in vniuerſum videntur: non enim ſæpe agitantur, nec longè veniunt: Ideoq; Auicennas d vi extractas illas eſſe, nec ſua ſponte affirmauit. Aquas verò ciſternarum planè vituperat Plinius e: nam ſtagnantes, & pigræ ſunt: nec curſu, nec percuſſu extenuantur. Verùm vt ciſternarum facultas clarius innoteſcat, de pluuia aqua in vniuerſum pauca dicere, ac cum fontanis conferre operæ pretium fuerit. Pluuiales aquæ, inquit Hippocrates f, leuiſsimæ, ac dulciſsimæ, & tenuiſsimæ, & ſplendidiſsimæ ſunt: nam, inquit, quod tenuiſsimum eſt, ac leuiſsimum in aqua ſol educit, & ſurſum rapit. Eaſdem probat quidem Galenus g, ſed præparatas tantum, & quando ad manum non eſt fons bona aqua ſcaturiens. Hos autem duos medicinæ proceres cæteri deinde ſuum quique ſequuntur; partim cum Hippocrate pluuialem, partim fontanam cum Galeno præferentes. Argumenta, quæ vtrinque nimis multa proponuntur, nihil attingo. Hippocratem tantum explicabo: à quo etiam ne ipſum quidem diſſentire Galenum animaduertes. Sed illud ante alia præfari lubet: neminem, qui vtrumq; genus accuratè expertus ſit, vniuerſim fontanas magis non commendare. Communem hunc eſſe video hominum conſenſum. Nam modo requiſitas conditiones fons habeat, ſine dubio, & leuiſſimæ, & ſaluberrimæ fontanæ aquæ deprehenduntur. Quod verò Hippocrates pluuiales aliis præpoſuiſſe videatur fatendum quidem optimas tunc illas exiſtere, cum coquendo præparantur: nam eodem in loco: illæ, inquit aquæ optimæ quidem ſunt ſecundum hanc rationem: verùm opus habent, vt decoquantur, & percolentur: ſin minus, odorem prauum habent, & citiſsimè putreſcunt: quoniam ex plurimis condita eſt, &c. Ergo ſi aquam pluuiam decoques (ita enim quicquid eſt vitii facile corriges) nequaquam dubito, illam fontana eſſe præſtantiorē. Sed quia talis in vſum vix venit (ægre enim paratur) nec tamē longè abeſt à fontana) ideo hanc ipſam præſtare aliis contenderim. Ergo ciſternam aquam, quoniam pluuia eſt, nec vlla arte correcta, nemini dubium eſſe debet, fontanæ locum bonitatis concedere. Accedit huc etiam, quod cuiuſcunque generis aquas colligit, tonitrualem, nimboſam, glacialem, niualem, & diuerſas alias, quæ vitio non carent. Attamen fieri poſſe non nego, vt ſi diligentiam adhibeas, & aptè in compluuium confluens, ex coleſq; & in viuo ſabulone reſideat collecta, crebroq;

d 2. p. tract. 2. cap. 16.

e vt 5.

f De aere etc. c. p. 4.

g 6. epi. 4. com. 10.

percuſſu illam fatiges, ac cælo expoſita ſit, laudabilem illam reddi, fierique multis etiam fontanis non obſcurè ſalubriorem: ac præſertim ſi non quocumq; anni tempore ipſam colligas: nam, vt inquit Oribaſius, *b* vernæ atq; hybernæ aquæ maximè opportunæ ſunt, atq; optimæ: autumnales verò, atq; æſtiuæ deteriores: nam æſtate atque autumno terra ſicciores vapores edit: aerq; multas terræ ſordes habet, quæ pluuia expurgantur: idcirco tales aquæ ſicciores, & nitroſiores ſunt, & ad abſtergendum, & per inteſtina deducendum accommodatæ: ſed neq; renibus, neq; pulmoni, neq; arteriæ idoneæ. Cum igitur de fontanis, ac pluuijs aquis ita ſit conſtitutum. Quæ ex niue, & glacie factæ ſunt, omnes, inquit Hippocrates, *i* ſunt malæ: cum enim ſemel concretæ fuerint, non amplius in priſtinam naturam reſtituuntur: ſed quod in ipſa clarum, ac leue, & dulce eſt, excernitur, atq; diſperditur: quod verò turbidiſſimi eſt, ac ponderoſiſſimum, relinquitur. Et Oribaſius *k* quæcumque, inquit, ex niue fluit, & glacie duræ omnes ſunt, & frigiditate excellunt: ſed guſtanti dulces: at neq; ad concoquendum, neq; ad merendum accommodatæ: item noxiæ ſunt neruis, pectori, & coſtis: conuulſiones, & tetanos inducunt, & ruptiones faciunt in pectore, vt nonnulli ſubcruenta ſpuant, & ſuppurentur.

b 5. collect. cap. 3.

i vt 5.

k Vt 5.

Flumina, Lacus, Stagna quomodo regiones afficiant: & qualis ſit hortorum aer, & locorum plantis conſitorum.

DE fluminibus verò, ac reliquis aquarum differentijs proxima tractatio eſt. Ergo quicunque, ait Hippocrates, *l* bibunt de fluminibus magnis, in quæ flumina diuerſi generis influunt: multa pati morborum genera conſueuerunt: quod ipſum etiam teſtatur Aetius, *m* qui ex Rufi authoritate, fluuiales aquas omnes prauas eſſe memoriæ prodidit. Quamobrem meritò ab Auerroe *n* reprehenditur Auicennas, qui fluuiales aquas non exiguis laudibus celebrauit. Atq; ipſe etiam Galenus inter multas Tabiani agri opportunitates nō vltimam cenſuit quod nullus ibi ſit fluuius. Quocirca, vt vniuerſim dicam, inſalubrem ad valetudinem eſſe fluuiorum aquam firmiter mihi perſuadeo. Quod ſi quiſpiam Nilum in medium afferat, aut etiam Tyberim, quorum aquæ multis nominibus commen-

l De aere loc. 2. cap. 5.

m Lib. 3. cap. 165.

n 1. Cantic. 1. nu. 130.

Digitized by Google

o Plin.lib.31. cap.3. dantur: Itemq; Coaſpem, o & Eulcum: è quibus Parthorum reges tantum bibunt, neglectis fontibus. Fateor quidem multa eſſe horum fluminum encomia: nam cum fluuiorum ſalubritas, aut ex ipſo profluente humore, aut ex terræ, per quam tranſeunt, natura proficiſci, ante alia ſolent: ſi quidem ipſe humor ex diuerſis, atq; illaudatis fontibus, & qui non longi abſint, originem ducant, hoc ipſo inſalubres reddi fluuios: præterea ſi alueus aut ſalſæ, aut nitroſæ, aut malæ alterius qualitatis particeps ſit, deterrimas adhuc eius fluminis eſſe aquas putandum eſt. Quod ſi contra eueniat: nimirum vt non tam multi, ſed perpetui ſint fontes, ac natura laudabiles, longoq; curſu eorum durities dimetur, ac per alueum illabatur ſalubrem: hic potu ſaluberrimus erit fluuius: cuiuſmodi quia rariſſimi eſſe ſolent, idcirco inſalubres eſſe fluminum aquas communiter dictum eſt: nihil tamen negantibus nobis, aliqua eſſe, quæ à communi aliorum nota recedant. Quamquam ipſæ etiam Niloticæ, ac Tyberinæ, quas omnium ferè conſenſus commendat, vt omni ex parte laudabiles ſint, artē aliquam exigunt, nimirum, vt ſeorſum ſeruentur, ac aliquandiu repoſitæ recrementa deponant, ac defecentur. Ergo quod longa obſeruatione apud peritiſſimos viros compertum eſt, flumina, & tarda præſertim, & ſtagnantia, maxima ex parte inſalubria ſunt. & valetudini aduerſa. At verò quæ magna ſunt, & perpetuo curſu feruntur, poſſunt ſæpe ſalubria eſſe: quod de Nilo, ac quibuſdam aliis narratum

p Auic. 2.p. doct.2.c.16. eſt: in illo enim id præſertim commendari ſolet, quod p & longiſsima conficiat itinera, & per optimum tranſit terræ genus: quam ego poſtremam conditionem omnium potiſsimam puto: nam ſæpe longo diſcurſu vitium flumini amplius comparari eſt deprehenſum. Sed illud etiam non exiguam fluminibus laudem præſtat: ſiquidem minerales aquas, ac præſertim calidas in exigua acceperint copia; harum enim miſcela longo tractu aquas attenuat, ac puriores reddit; quo etiam nomine Tyberinas plu-

q 1.de therm. cap.9. rimum commendari verè putat Baccius. q Cùm igitur quibuſdam fluminibus ſuam laudem minime detraham: illud tamen maxime ex parte veriſsimum eſſe arbitror. fluminū aquas ægrè concoqui, ſiccareq; propterea, & ſiticuloſas eſſe. Et in

r Lib.1.c.5. nonnullis regionibus, vt benè aduertit columella, r plerique omnes æſtate vaporatis, hyeme frigidis nebulis caligant: quæ niſi vi maiore inſpirantium ventorum ſubmoueantur, conferūt peſtem.

peſtem. Præterea verò ſemper humidius eſt, ac nebuloſius, & morboſius id ſolum, quod prope flumina eſt, eoq; magis, ſi ad fluuiorum fauces extenditur. Nam vt verè Bocatius *f* aduertit, ibi terri, pallentiſque coloris incolas, & aduerſa infectos valetudine cernimus. At ſi fortaſſe ſecundum flumen ædificare neceſſe ſit, curandum eſt, inquit Varro, *t* ne aduerſum eurum ædificium pones: hyeme enim fiet vehementer frigidum: æſtate non ſalubre. Sed optimè etiam aduertenda eſt Oribaſii *u* ſententia: nam quæcunque ait, regiones, & ciuitates flumina habent, quæ extrinſecus perducantur, cum ipſa moderata ſint, ac præſertim ſi loca ſicciſſima eſſe contingant, fiunt tēperatiſſimæ: ſi verò excedant, non parua fit ad morbos gignendos occaſio: quandoquidem, & aer humectarum, & reſpirando atq; inſpirando corpora ſimul humectat: tum etiam matutinas, ac veſpertinas aquarum defluxiones excipiens corpora perfrigerat, & in æſtate conſtitutionem affert autumni. De lacubus verò, atq; paludibus multa ſcribere nihil neceſſe eſt. Huius generis aquas nemo non deteſtatur: ac morboſiſſimas illas regiones vbique experimur, quibus vicini ſunt lacus, atque his magis paludes. Craſſiſſimo enim cælo incolas frui, ac nebuloſo, impuroque, & quod putreſcere facile poſſit. Sic in Apulia cum oppidum Salapia vetus in paludoſa planitie collocatum à Diomede fuiſſet, ac perpetuis propterea morbis, vt ſcripſit Vitruuius, *x* incolæ affligerentur: impetratum fuit à Senatu Romano, vt ad proximum maris litus, locum ſalubriorem, mœnia transferrent: atque ita bona deinceps valetudine vſi ſunt. Et quidem in paluſtribus locis dum auræ matutinæ cum ſole oriente ad ædificiū perueniunt, adiunguntur his ortæ nebulæ, ac ſpiritus beſtiarum paluſtrium venenatos cum nebula miſtos, in habitatorum corpora flatus ſpargunt, & locum peſtilentem efficiunt. Neq; aliter Columella, *y* paludem, ait, noxium virus eructare, & infeſtis aculeis gignere animalia, quæ in nos denſiſſimis examinibus inuolant. Tum etiam natricum, ſerpentumq; peſtes, hyberna deſtitutas vligine, cæno, & fermentata colluuie venenatas emittere: ex quibus ſæpe contrahuntur cæci morbi, quorum cauſas ne medici quidē perſpicere queunt. Idem tamen author affirmat, paluſtrem humorem, quamuis nocentis naturæ, temporibus tamen hyemis edomitum imbribus miteſcere: ex quo cæleſtis aqua maximè ſalubris intelligitur, quòd etiam venenati

liquoris

f De ſtagnis & paludib. in princ.

t 1. de re ruſt. cap. 12.

u 9 collect. cap. 12.

x Lib. 1. c. 4.

y Lib. 1. c. 5.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

liquoris eluit perniciem. At Soæ paludes Aegyptiæ, inquit
z 5. collectan. cap. 3. Oribaſius, z inter omnes quas ego nouerim, ſalubres ſunt: quia hyeme aqua non putreſcit: non enim ſuper calefit, nam autumno Nilus paludes replens veterem aquam proiicit, & aliam nouam inuehit. Optimæ etiam habitationis illas paludes putat
a Lib. 1. c. 4. Vitruuius, a quæ circum Altinum, Rauennam, & Aquilegiam ſunt: ſunt enim ſecundum mare, ſpectantq; ad ſeptemtrionem, aut orientem: & excelſiores ſunt, quàm litus marinum: ductisq; foſsis, fit aquæ exitus ad litus, & ex mari tempeſtate aucto in paludes redundantia motionibus concitatur: marisq; miſtionibus non patitur beſtiarum paluſtrium genera ibi naſci: quibus rationibus habent incredibilem ſalubritatem. Sed hoc in loco dignum notatu eſt: paludes non ſolum eas eſſe, quæ plurimas, easq; perpetuas habẽt aquas, & quæ non expedito fluunt alueo: Sed hoc etiam nomen lutoſis limoſisq; terris, & quæ ſuo humore madidum reddant ſolum, conuenire: nam & hæc etiam loca craſſam, & caliginoſam ex ſe auram reddunt. At ſtagna adhuc omnium maximè euitanda ſunt: hæc enim promptius putreſcunt:
b Bocat. de ſtagn. in prin. b paludes ac lacus rarò. Atq; apud has ſtatui quidem poteſt ciuitas aliqua, non vndequaque inſalubris: apud ſtagna verò ſemper erit pernitioſa, ac planè peſtilens: & hoc præſertim æſtate, vt inquit Oribaſius,
c 9. collect. cap. 12. c propter aeris inæqualitatem: matutinæ enim auræ à ſtagnis manantes refrigerãt eos, qui inhabitant: meridianæ verò calefaciunt: tum veſpertinæ perfrigerant: & propter caloris frigorisq; inæqualitatem autumnus morboſus eſt. Additq; fructus omnes, qui ibidem proueniunt, morboſos eſſe: quoniam præ humiditate ſuam temperiem minimè ſortiantur, nec ad idoneam maturitatem perueniant. Illæ autem vrbes, atq; ędificia, quæ multa circumſtant pomaria, hortiq; atque vbi decurrentibus lymphis, herbisq; viridantibus æſtuum calores temperantur; ſine dubio ſicco, atq; aperto ſolo in bonitate cõcedunt. Regio enim, inquit Oribaſius,
d Vt ſupra. d plantis conſita minus perflatur, minusq; à ſole luſtratur, quam nuda: quocirca per hyemem vmbroſa eſt, ac frigida: per æſtatem vero difficulter à ventis perflatur, ac ſuffocans eſt: ideoq; reſpirationem habitantibus deteriorem facit. Et Galenus
e 3. epi. 1. com. 14. e damnat hortorum aerem: quoniam cloacæ, inquit, latrinas ferè in hortos repurgant; quòdq; vicinus aer ex oleribus, item arborum, fruticumq; vt braſsicæ, ſarcæ, & buxi cõſuetudine inficitur. Ergo

ad voluptatem magis, quam ad ſalubritatem facere hæc loca mihi videntur. Attamen ſicacioribus naturis, & quibus animi hilaritas ſtudioſè perquiritur, æſtiuis præſertim temporibus, nonnihil etiam ad valetudinem conferunt: nam & Auicennas, *e* aer, inquit, paulò humidior pluribus complexionibus eſt bonus, & colorem efficit bonum, & cutem claram, & reddit eam mollem, & poros aperit. *e 2. p. doc. 2. cap. 9.*

Mare qua ratione vicina afficiat loca.

DE mari autem, quatenus ab eo regiones immutentur, nunc tempeſtiuè agendum eſt: Ergo, vt breuiter dicam, mare ſemper proxima loca ſua natura calefacere aptū eſt: cum enim corpus ſit terſum ac planum, promptius in eo ſolares radii reflectuntur, luxq; adeo multiplicatur, vndè facillimè maritima incaleſcant. Hoc ipſum aptiſſimo vitrei vaſculi argumento Ariſtoteles *f* deprehendit: Cum enim phiala aqua plena ſolaribus radiis obijceretur, proximum inde pannum exuri animaduertit à luce ſcilicet, quæ in terſo corpore, ac læui in ſeipſam colligebatur, reddita efficatiore. Præterea illud etiā in maritimis locis calidiorem temperiem arguit, *g* quoniam ſcilicet humilia ſunt. Et Auicennas, *h* regiones, inquit, quæ ad mare ſunt, temperatam ſentiunt caliditatem, frigiditatemque: nam mare non ita equidem à calore aut à frigore affici poteſt, vt inde regio plurimum calefiat, aut refrigeſcat: ſecus enim terra afficitur: nam in ea vtraq; qualitas vehementius imprimitur, atq; ideo plurimum vicina afficit loca. Ergo maritimæ regiones quamquam calidiores eſſe deprehenduntur: attamen non adeo manifeſtam temperiem exuperant, quod ipſe etiam teſtatur Ariſtoteles, *i* dum loca maris terrena ex calido, frigidoque temperata eſſe affirmauit. Sed hanc ipſam aſſertionem omnium vberrime explicauit Auerroes. *k* Ait enim, maria à parte meridiei refrigerare terras, & à parte occidentis calefacere: & hoc ideo, quoniam maria æquant, & attemperant materiam ventorum: vnde ſi ipſa fuerint à parte meridiei, æquabunt ventum meridionalem, minuentq; calorem eius: & ſimiliter cum erunt à parte ſeptentrionis, æquabunt ventum ſeptentrionalem, & remittent eius frigiditatem. Cuius ratio eſt, quoniam aquæ non ſic patiuntur, neq; alterantur in caliditate, &

f De cauſ. propr. element. cap. ...

g 3. aph. 14.

h 1. p. doc. 2. cap. 11.

i 7. de hiſt. anim. 13.

k 1. cantic. 2. nu. 109.

frigiditate,

frigiditate, ſicut aer; ipſæ enim tempore frigido ſunt calidiores: & tempore calido ſunt frigidiores. Atq; hoc ſatis multis eſt obſeruatum; nam auſtrales ventos, quos vulgus Sirochum appellat, æſtuoſiſſimos illos, ac præſertim Panormitanis infeſtos, ligures tamen ſuauiſsimos experiri ſolent: quoniam ſcilicet per per mare ad ea loca perueniunt. Et Galliæ pars, quæ ad Oceanum ſpectat, ita interdum occidentalibus, aut ſeptentrionalibus ventis tepeſcit, vt etiam media hyeme vernam temperiem aduenisse dicas. In paſsiuis autem qualitatibus, aſſerit Auicennas, l maritima loca humidioris eſſe temperaturæ: quamquam ſi maris naturam contemplemur; quod falſum eſt, atq; amarum, par etiam fuerit, ab eo ſicciores flatus educi, à quibus deinde vicina loca exiccentur. Præterea continuò obſeruamus, ita nautas à mari affici, vt qui in ſeptentrionalibus, ac montuoſis, & aſperis degunt locis, omnium ſine controuerſia ſicciſſimis: vtrique enim robuſto, duroque ſunt corpore, alimentum probè concoquunt, ventre minimè ſunt fluuido, omneſq; animales, naturaleſque functiones feliciſsimè obeunt: vt iam veriſſimum illud ſit, quod ab Hippocrate m accepimus, maritimum ſcilicet locum ad ſanitatem valde eſſe accommodatum. Et reuera in toto terrarum orbe quæcumque, vel fertilitatis, vel ſalubritatis, vel amænitatis æncomia circunferuntur, ea maxima ac plurima in maritimis locis eſſe deprehendes: rarò alibi: ac nonniſi vbi rariſſima quædam viget cæli clementia. Et quod Rhodi, n ac Syracuſis numquam tanta nubila obducantur, vt non aliqua ſaltem diei hora Sol ſpectetur, neſcio an vſquam præterea in mediterraneis locis inuenias. Sed cùm hæc veriſſima ſint: eſt tamen, cur aliquando, ædificia, quæ mare habent vicinum, minus commendentur: nam mœnia, inquit Vitruuius, o quæ ſecundum mare erunt, ſpectabuntque ad meridiem, aut occidentem, minus ſalubria ſunt, quòd per æſtatem cælum meridianum Sole exoriente caleſcit, meridie ardet. Item quod ſpectat ad occidentem, Sole exorto tepeſcit, meridie calet, veſpere feruet. Igitur mutationibus caloris & frigoris corpora, quæ in his locis ſunt, vitiantur. Neſcio quid etiam vitiis contrahere is locus ſolet, qui ad portus litora eſt conſtitutus: ibi enim frequentia immorari nauigia, ſordeſque omnes deponere; atque vniuerſæ item ciuitatis cloacæ immunditias latè expurgare ſolent: quocirca etſi maritima aſpectio

l *Vt ſupra.*

m *Lib. I. præcept. in vlt.*

n *Plin. lib. 2. cap. 62.*

o *Lib. 1. c. 4.*

ſpem

ſpem aliquam valetudinis pollicetur; illa tamen aliena commixtio vitium apportare ſolet. Sed hic tamen aduerſus velim, vt vera temperies à mari comparetur, ædificium non in ipſo prorſus litore, aut in ſcopulo conſiſtere: ſed paulò à mari debere eſſe remotius: media enim ſpatia, ſi Columellæ *p* credimus, grauioris ſunt halitus. Quamobrem villam ipſe ſuam, quam ad valetudinem ſaluberrimam eſſe ſtudet, paulum ſubmouet à ripa: atque à mari longo potius interuallo, quàm breui refugiſſe vult. Et ipſe Galenus *q* hoc nomine Tábias plurimum commendauit, quod non in ipſo litore expoſita ſit regio: ſed interuallo triginta ferè ſtadiorum diſtet. Atque hæc de maris, ac maritimæ regionis natura. Quamquam ſemper particularis cuiuſq; loci conditio, ſi qua eſt, diligenter obſeruanda eſt: fit enim interdum, vt quod in plurimis vſuuenit: longè aliter in quibuſdam alijs comperias. Quibuſdam locis, inquit Plinius, *r* afflatus maris noxij: in pluribus ijdem vtiles: quibuſdam ſatis è longinquo aſpicere maria iucundum: propius admouere ſalis habitum inutile: quare experimentis optimè creditur.

p Lib. 1. c. 5.

q 5. Meth. cap. 12.

r Lib. 15. c. 4.

Inſulæ qualem habeant aeris temperiem.

INſulæ in vniuerſum & cœli temperie, & vbertate ſoli, & fructuum bonitate cæteris regionibus non obſcurè præſtant. Summas enim ſalubritatis laudes rarò in alijs locis: in Inſulis verò frequentiſſimè exponere. Idq; vnum ſatis compertum eſt, & ſub æquatore, vbi maximi ſunt æſtus, & ſub vrſis, vbi ſæuiſſima eſt frigoris vis, multas Inſulas inueniri, quæ commoda habitationis opportunitate ne pręſtantiſſimis quidem mediterraneis regionibus cedant. Etenim vt paucas attingam. Taprobane ſub æquatore Inſula eſt, cuius incolis, inquit Plinius, *ſ* centum annorum vita modica eſt: ac tam inculpata valetudine ibi homines viuenti, vix vt morbos norint aliquando: ac toto anno arbores, & floribus, & fructibus graues eſſe: vt non immeritò paradiſum terreſtrem ibi eſſe aliqui meminerunt. Atlantica inſula, vnde Athenienſium generis prima fuit origo, ita à Platone *t* expreſſa eſt, vt non ſolum ſpecioſa, miranda, atque vberrima ferret omnia: ſed ita omni ex parte eſſet comparata, vt non tàm communi naturæ opifi-

ſ Lib. 6. c. 2.

t In Critia.

cio, quàm ſummo Dei conſiliò, ac munificentia extructa eſſe videretur. In Aethiopico etiam Oceano inſula eſt, quam vocant Sanctæ Helenæ, in qua quidquid ſeritur, mira temporis breuitate & adoleſcit, & fructus maturat. Aliam Libiam verſus Diodorus *u* eſſe memorat, in qua tamen ſalubris eſt aer, ſolum tam omnium ferax, tam amœni campi: vt non hominum, ſed Deorum domicilium ob eius fœlicitatem eſſe crediderit. In Septentrionali autem Oceano fertur Zelandia temperatiſſimo eſſe cœlo, quamuis vicina omnia gela rigeſcant. Atq; iſtę in his orbis partibus ſunt, quas inhabitatas eſſe olim credebat antiquitas. In mediterraneo autem mari inſulas ferè omnes, quæ ad Aegeum mare pertinent, quod nunc Archipelagum vocant, in manifeſta temperie poſitas eſſe omnes affirmant. Atque ex his Lesbum, Chium, Samum, Coum, ac Rhodum, & propter rerum omnium vbertatem, & fœcunditatem Soli, aeriſq; ſalubritatem, fœlices ac beatas iam ab antiquis temporibus eſſe cognominatas meminit Diodorus. *x* Sed quoniam longum eſſet, ſingulas recenſere: ideò de inſularum temperie ſat fuerit illud ſtatuere, quod memoriæ mandauit Oribaſius, *a* inſulas ſcilicet vniuerſim ſaluberrimas eſſe, atque excellentiores fructus ferre. Egò autem huius prærogatiuæ cauſam potiſſimam à maris vicinitate, afflatumq; proficiſci arbitror, à quo dictum eſt antea regiones plurimum attemperari. Huc etiam accedit, quod inſulæ ferè vndiq; à ventis perflantur, nec ab aere profectum vitium admodum retinet: ſalubres etiam vndiq; ſpirant venti, nempè à mari: quo circa quæ propè continentem ſunt, qua parte ipſum ſpectant, minus erũt ſalubres. Nam & Hippocrates *b*, inſulæ, inquit, quæ propinquæ ſunt continenti, tempeſtuosè exiſtunt, & ægrè in ipſis hybernantur, propterea quod niues, & glacies incontinenti ſtationes habent, & ventos frigidos in vicinas inſulas mittunt. Verum quæ intra pelagus poſitæ ſunt, non habent in hyeme niuium ſtationes. Ergo cum bonitati non parum detrahat continentis vicinitas, illud propterea in inſulis maximè optandum eſt, vt non ita magnæ ſint, ſed breui potius ambitu comprehenſæ: in his enim maior, ac ſalubrior temperies eſſe conſueuit: nam quæ magnæ ſunt, ex aliqua tantum parte ma. is ſalubritate perfruuntur: in mediterraneis verò longè diuerſam cœli conditionem ſentiunt. Atque Auguſtus Impe-

u Lib. 3. c. 7.

x Lib. 5. c. 16.

a 9. Collect. cap. 12.

b 2. De dicta.

Imperator *c* (vt hoc vnum exemplum inſtar mihi multorum ſit) cum alui profluuio laboraret, Capreas, exiguam illam inſulam, valetudinis cauſa merito conceſſit. Sed de mari hæc ſatis. *c Sueton in vita Auguſti.*

Sublimia loca, humiliaq; , ac montium vicinitas quod ſalubritatis indicium præbeant.

QVantum verò ad altiorem, aut humiliorem ſpectat ſitum: Certum eſt, inquit Galenus, *d* loca ſublimia, quia vndiq; adaperta ſunt, nec quidquam eſt, quod flatus intercipiat, facilius perflari: ac proinde fit, vt qui ibi vitam degunt, ferè ſani viuant. Ideoq; & Plato *e* vrbem totam in locis ſublimibus, & in circulum conſtitui vult: non ſolùm vt munitior, ſed etiam vt mundior fiat. His etiam adiecit Auicennas, *f* alta loca ſui ratione ſemper eſſe frigidiora ac magis ſalubria: ibiq; diutius homines viuere, ac laborum patientiſſimos eſſe. Et Ariſtoteles, *g* qui alta loca, apertaq; incolunt, tardius, ait, ſeneſcere: qui caua & paluſtria, ocyus: quo etiam nomine montana eſſe ſalubriora, meminit Oribaſius, *h* ac præſertim, quæ ſicca ſunt. Quamquam obſeruatum eſt aliquando, nonnullas vrbes, quamuis altiſſimo in loco ſitas, quia tamen conualles habent, & multas aquarum collectiones: non ita tamen ſalubri propriè cœlo. Sic Ennam Siciliæ ciuitatem, quamquam loco præcelſo, atque edito poſita ſit: quia tamen multa ibi caua ſunt loca, atq; in ſummam planitie valles ſubſidunt, multiſq; aquis perennibus abundat: nil mirum denſum ibi eſſe aerem, & in nebulas frequentiſſimè cogi: quo nomine pleriſq; alijs humilioribus in bonitate aeris concedit: nam & circum lacus ſunt plurimi, ac luci non pauci. Atq; hæc quamquam in breuioribus terrarum tractibus præcipuè vera ſunt, ac magis euidentia: attamen in magnis etiam prouintijs, ac maioribus omnino ſpacijs nihilominus ſimiliter experiere. Nam cum Boemiæ maior pars in excelſo ſita ſit, vt quaſi exuberans ibi terra eſſe videatur: veriſimile eſt etiam hactenus ſalubriorem aerem illic reperiri. Atque Aegyptum, quæ ſaluberrima ſemper regio credita eſt, adeò in ſublimi loco poſitum eſſe meminit Plato, *i* vt nunquam aquarum colluuionem, quæ olim reliquum orbem oppreſſit, experſa ſit. Ideoq; apud Aegyptios antiquiſſimorum rerum monumēta à mundi

d 3. De humor. com. 13.
e 4. De legibus.
f 2. 1. doc. 2. c. 2. & Canttic. 1. nu. 105.
g 14. Probl. 7.
h 9. Collectan. cap. 2.
i In Timeo in principio.

primordijs, adhuc ſeruari. Sed ab hoc numero merito Arcadiam ſecluſerim, aut ſi qua alia huiuſmodi ſunt loca: illa tamen quamuis excelſus locus Ariſtoteli ſit, l paluſtribus tamen non eſt diſſimilis: aquarum enim confluentium nullos in mare exitus habet: quapropter fauces, hiatuſq; præcipites in ea terra numero ampliore ſunt. At vero humiles regiones haud ita ad valetudinem ſunt accommodatæ, cùm ob alias cauſas, tamen etiam quia minus perſpirant. Vt iam hoc argumento de Syria malè ſentiendum ſit: quippe quæ caua ſit omnis, & quaſi in conualle orbis poſita. Sed humilis ſitus incommoda in paruis terrarum ſpatijs magis conſpicua ſint: in his enim quæcunq; ſunt ciuitates atq; ædificia continuò ferè madeſcunt, humore omni à vicinis montibus deorſum illapſo: craſſumq; & hominibus infenſum vaporem habent. Hæc etiam loca ſi quando aprica ſunt, tam multa radiorum vis illo in concauo vnitur, vt intolerabilis æſtus fiat. Quod ſi quis aditus ventis pateat, ex anguſtia locorum tam illi vehementer irruunt, vt nimis exxiccent: ſi autem ventos is locus non recipiat, craſſior ſit aer, impuruſq;, atq; adeò inſalubris. Ergo hæc loca ad valetudinem vniuerſim improbanda ſunt, ex infeſto præſertim calore, qui æſtate maximè grauis ſentitur. Quamquam fieri poſſe non negem, quòd ſæpè eſt obſeruatum, vt in conuallibus frigora aliquando magis vigeant: cùm nimirum ſic ſitæ ſunt, vt à lateribus quidem vtrinq; interpoſiti ſint montes: ſed tamen in extremis partibus aditus ventis pateant: tunc enim etiam exiguæ auræ in illis anguſtijs coactæ impetum ſibi acquirunt, ac propterea regionem frigefaciunt: ſolet enim aer, vt teſtis eſt Auicennas, m cum per viam incedit anguſtam, tractim procedere, & non ceſſare, quemadmodum etiam aqua, & complura alia. Cùm ergo in humilibus locis incommodè, ad valetudinem habitationes exiſtant: illo tamen tempore cæteris præferri ſolent, cum peſtilens ambientis conſtitutio graſſatur: ſiquidem in aere generalis putrefactio conſtiterit: tunc enim conuenientior conuallium eſt habitatio, quàm quæ in aperto eſt poſita: nō enim peſtis ſemine, quæ à ventis deferentur, illuc vſque facilè detrudi poſſunt: ſed potius per ſumma præteruehuntur. Præterea cùm tria eſſe agrorum genera aduerterit Varro, n campeſtre collinum, & montanum: vbi lati, inquit, ſunt campi,

l 16. Probl. 60.

m 1 1. doc. 2. cap. 8.

n 1. De re ruſt. cap. 7.

ibi maior etiam æſtus: & eò in Apulia loca calidiora, & grauiora. Et vbi montana, vt in Veſuuio, quòd leuiora, ideo ſalubriora. Item qui colunt deorſum, magis æſtate laborant: qui ſurſum magis hyeme. Præterea campeſter locus is melior, qui totus æquabiliter in vnam partem vergit: quamuis qui eſt ad libellam æquus, & qui eſt inæquabilis eò deterior, quod fit propter lacunas aquoſus. Et Auicennas, o in locis, inquit, diuerſorum ſitu um plurimum aeris mutationes contingunt: non ita aut in his, quæ æquales ſunt. Sed quoniam de montibus paulò anteà incidit ſermo, prætereundum non eſt, quod Hippocrates p memoriæ mandauit: vicinos ſcilicet montes ſemper efficere, vt qui venti illinc ſpirant, minus ſalubres habeantur: Vbi enim, inquit, ab Aquilone montes adiacent, in his Aquilones perturbant, ac morbos faciunt. Ac paulò pòſt, quicunque, inquit, venti relictis montibus ad vrbes accedunt, non ſolum ſiccant, ſed etiam turbant ſpiritum, quem inſpiramus, & corpora hominum morboſa faciunt. Quamobrem longo interuallo à montibus ſemota eſſe ciuitas debet, quam pro valetudine conſtitutam eſſe volumus: aut certè ita poſita, vt vicini montes inſalubrium ventorum flatus intercipiant potius, non autem tranſmittant.

o 1. 1. Doc. 2. cap. 4.

p 2. De diæta.

Quomodo ex terra, atq; adnaſcentium herbarum natura: item ex certa animantium habitudine, ac promiſcuis quibuſdam alijs regionum ſalubritas iudicetur.

MOnet Hippocrates, q vt in regionum temperie dignoſcenda terra ipſa diligenter conſideretur: nudanè ſit, & aquis carens: an denſa & aquoſa. Quo duplici indicio vniuerſas terræ differentias integrè ille complexus eſt: lapidoſam, arenoſam, argilloſam, ſabuloſam, macram, pinguem vliginoſam, & cæteras alias: nam quæcunque terra ſicciore eſt temperamento, & aquis caret ea nullis herbis ac fructibus tegitur: ſi verò pinguis ſit, & aquis irrigua, multa herbarum copia, atq; arboribus denſa conſpicietur. Ergo veriſſimum ſemper ſuper his ita iudicium feretur: nam, ſi ſiccitates r imbribus ſunt ſalubriores: fatendum quoque eſt, nudam terram, ſub qua etiam lapidoſam, & argilloſam, & macram, & ſimiles alias comprehendo, hac ratione valetudini magis eſſe accommoda-

q De aere 4. cap.

r 3. Aph. 15.

modatam. Denſam verò, ſub qua pinguis, & vliginoſa continetur, voluptati magis fortaſse conuenire, minus tamen ſalubrem eſſe. Præterea verò docet Oribaſius, *ſ* qua ratione ipſius terræ naturam intimiùs indagare poſſimus: nam, inquit, ſi illa ſalubris futura ſit, humore perfuſa non ſolum terrenum quid redolet: ſed ſuauem etiam odorem ſpirat, qualem Aegyptus facit. Quod ſi *t* terræ glebam capias, & aqua madefacias, ſiquidem odore manet, perinde ac è carbonibus reſtinctis, vitioſam eſſe regionis exhalationem arguit. Argilloſa *u* etiam terra robur diſsoluit, cùm exhalationem habeat, in qua diſſoluendi ius ineſt. Rufa maiore exiccandi vi prædita eſt: nigra verò omnibus bonitate longe præſtat. Sed ibi deterrima eſſe habitatio exiſtimatur, vbi ſunt metalla: nam ſicca, & ſuffocans eſt. Compertum etiam eſt, ſaxoſa, nudaq; loca, vt hyeme frigidiora: ſic callidiora æſtate reddi: & quidem in denſa materia omnis qualitatum exceſſus imprimitur magis. Huiuſmodi etiam caua, atq; humilia ſunt loca: & deniq; vbicunq; craſſior eſt aer. Sed ex quibuſdam etiam plantarum generibus haud obſcure regionum natura ediſci poteſt. Etenim Galenus *x* hoc nomine Tabias commendauit, quoniam ſpontè per agros naſcuntur Agroſtis, & Lotus, & Poligonon, & Meliſsophyllon, item Lentiſcus, & Arbutus, & Bubus, & Hedera, & Cythiſus, aliiq; his ſimiles frutices. Huiuſmodi etiam eſt Laurus, *a* Cupreſsus, & flores omnes, qui ſuauem odorem ex ſe mittunt: & quæ etiam odorata naſcuntur Anethum, Apium, Thymum, & quæcunq; tenuiorem reddere aerem queunt. Abeſse autem debent Cicuta, Geniſta, Eruca, item Cappares, & Lupini, & Coriander, & quæ mortiferam euaporationem habent, Taxus, Oleander, & huiuſmodi alia: nam ficus, & nuces, & ſi in hoc genere minus commendentur: non tamen cum illis conferendæ. Præter hæc, eam etiam regionem laudat Oribaſius, *b* in qua ea, quæ ex terra oriuntur, benè tincta, & probè colorata, & odoratiora ſunt: & ſi quis virentes herbas intuetur, nolit aſpectum citò aliò traducere: ſiq; arbores magis ligneæ humi incumbentes, aptabiliores ſunt, quàm ſublimiores: & tandem ſi fructus ſtatim maturos, & odoratiores ferat. Salubritatis etiam indicium eſt, ſi, quæ homines in futurum tempus reponunt, quale eſt triticum, hordeum, cæteriq; fructus, caricæ, palmulæ, & huius

ſ 9. Collect. cap. 17.

t Ibid. c. 18.

u Ibid. c. 11.

x 5. Meth. 12.

a 9. Collect. cap. 16.

b 9 Collect. cap. 17.

huius generis alia, diutius manſerint incorrupta. Idem etiam author regionum ſalubritatem agnoſcit: ſiquidem pueri omnes, qui loca inhabitant, floridi, & ſucci pleni, & coloratiores ſint: itemq; catuli, & cæterorum animalium filioli nuper in lucem editi, meliores, præſtantioreſq; ſint, quam in alijs regionibus. Et Palladius, *c* qui optimum, inquit, aerem inſpirant, colore ſunt ſano, firma illis capitis ſinceritas, inoffenſum lumen oculorum, purus auditus, ac fauces commeatum liquidæ vocis exercent. Item *d* ſomnos ibi capies ſuauiores: & animum à viſis inſomnijs nequaquam perturbari contingit. Sed cum hæc ita ſint: aliunde etiam, qualis ciuitatis conditio ſit, ita cognoſces: ſiquidem multis inquinamentis referta ſit: in eaq; & ſues, & pecora, immundaq; alia animalia per publica loca paſcantur: ſæpè enim ſalubrem per ſe aerem fætore conſpurcant, & peſtilentem aliquando reddunt. Suſpecta etiam ea ciuitatis regio eſt, in qua multæ coriariæ officinæ, infectorum, pellionumq;, ac ſimiles aliæ conſtructæ ſunt: vt iam prouidè in multis ciuitatibus cautum ſit, quòd illæ in remotiſſimas vrbis partes ablegentur. Sed hæc loca viciniæ magis, quàm ſibi infeſta eſſe ſolent: cum vix ipſa præ craſſitie aeris, qui ex ſordidis illis recrementis quaſi denſeſcit, externam contagionem admittat: nam & vbi peſtis graſſatur, accepimus aliquando, cornuum ſegmenta, coriaq; incendi ſolere: vt illo nidore peſti aditũ præcludant: ſeq; inde præmuniant. Præterea id genus hominum quoniam fætidis, grauibuſq; odoribus diu aſſueuerint: ægrè aliquid à putrida, ac peſtilenti inſpiratione patiuntur: nam & qui in magnis xenodochijs, ſordidis miniſterijs dicati ſunt, difficilè peſtilentia corripit. Deterrima etiam illa ſunt loca: in quibus linum, cannabis, ſpartumq; maceratur, emollituq;: ferè enim peſtilens exhalatio inde per aerem aſſurgit. Præterea melior eſt is aer, inquit Galenus, *e* qui ruri eſt, quàm qui in vrbe: ac cauſam eſſe ait, quia vrbanus non ſecus, quàm qui in conuallibus habetur, calidior craſſiorq; eſt: Sol enim aerem perſtatu vacantem calefacit: motionis verò vacuitas craſſum reddit: id quod pati aer videtur, quia multæ, & omnis generis exhalationes ex vrbe in ipſum fluunt. Qui verò ruri eſt, cum tenuis paruſq; ſit, homines cibi appetentiores facit, & vt meatus magis fluxiles ſint, &

c Lib.1.tit.3.

d 9. Collect. cap.17.

e 3. de humor. cap.3. 9. collect. cap.5.

Digitized by Google

ſint, & ſenſus vegetiores fiant, & melius alantur homines, meliusq́; concoquant. Sed non ignoro, aliquos eſſe, qui putant, nihil magis aeris bonitatem, ſalubritatemq́; præſtare poſſe, quàm hominum frequentiam. Hi enim vicinas paludes, ac ſtagna ſiccant, longeq́; abducunt: denſa nemora excindunt: vitia aeris igne corrigunt: ædium altitudine purius cœlum inſpirant. Præterea compertum eſt, magnas olim, ac populoſiſſimas ciuitates, cum multa aeris bonitate antea perfruerentur; nunc tamen magna ex parte collapſas, & in ruinam conuerſas, aerem quoq; deteriorem ſortitas eſſe: quod ipſum in Dalmatia Aquileiam, in Italia Romam, ac Rauennam, itemq; Alexandriã Aegypti, ac multas alias ſatis oſtendere affirmant. Ego autem affirmarim quidem, inſalubrem regionem, & ſtagnis, & paludibus, ac ſimilibus incommodis deteſtandam, minus reddi inſalubrem, ſi hominum inhabitet frequentia: qui nimirum ſiccando, ac deriuando, ſtudio, ac cura eius vitia depellat: illud tamen mihi perſuadeo: vt, quæ ſua natura ſalubris eſt, nihil turba hominum, nihil iuuet habitatio, quæ potius immunditijs, cloacis, alijsq́; expurgamentis, ac cadauerum exhalatu aerem deprauat, & plerunq; corrumpit. Ergo veriſſimum hoc conſtitutum ſit, turbam hominum, per ſe ſemper obeſſe: ſola tamen induſtria, ac ſtudio iuuare, vbi ſcilicet aliqua corrigenda ſunt vitia. Quòd autem magnæ aliquæ ciuitates deteriorem modo habitationem ſortiantur, ac valdè ab antiqua degenerantem: nihil mirum: nam loca vacua, ruinęq́; ipſę magnarum putredinum ſunt receptacula: ac propterea peſtilens aliquid exhalant.

Qua ſalubris eſſe debet in ciuitate viarum ratio.

INuento iam loco, vbi aptè ad valetudinem ciuitas conſtituatur: proximus deinde labor eſt, vt vijs opportunè diſtinguatur: quatenus ſcilicet hic quoq; bona ſeruari debeat valetudo. Quæ res quoniam peritè admodum ab Oribaſio explicata eſt, transferam huc eius orationem, quæ mihi omnium inſtar fuerit. Viæ, inquit, *f* in ciuitate æquo interuallo, mutuaq́; longitudine, & latitudine protendi debent, nullo inter eas conſtructo ædificio: ita enim vrbs conſtituta, aeri ſalubriter expoſita eſt, ac benè à ventis perflatur, qui tum demum

f 9. Collect. cap. 20.

pla-

placidi, ac nulla violentia ſpirant, cum nihil obijcitur, quod liberum eorum defluxũ retineat. Ad hunc igitur modum expediti ciuitatem perflantes conſtitutionem expurgant: fumosq;, & puluerem, omnemq; exhalationem à ciuitate repellunt. Hac etiam ratione ſitæ vrbes rectè Soli expoſitæ ſunt: quocunq; enim tempore loca omnia ille perluſtrat. Si verò non pari interuallo viæ inter ſe diſpoſitæ ſint, ac flexus habeant quoſdam, quos obliquè venti attingant: non obſcurè aer turbatur: nam cum vnicus ſpirat ventus, in multos ſcinditur, eosq; inter ſe pugnantes: qui etiam dum ad eas vias deferuntur, quæ exitum non habent, aerem ibi concluſum collidunt: neque enim illuc intrant venti, vnde euadere non poſſunt. Ille autem colliſus, vndabundus per alias vias iactatur, atque ita variè repercuſſus inæqualiter ſpirat, ac cœli ſtatum perturbat. Iſtæ etiam inæqualiter conſtitutæ viæ, malè à Sole illuſtrantur, qui quoniam obliquè incidens exhalationes depurare non poteſt, aerem craſſum, ac perſpiratu difficilem reddit. Atq; hæc Oribaſius. Quamobrem huic vni ſtudio diligenter incumbendum eſt, vt rectæ ciuitatis ſint viæ, lataq;, ac nullo obice obſtructæ, impeditæq;. Quocirca Panormitanæ vrbis cum ornamenta alia, tum egregiam etiam viarum poſitionem ſummoperè laudo. Etenim vrbs tota cum iam anteà, ducta via longiſſima, atque ad amuſſim recta in partes duas æquales diuiſa ſit: nunc altera ingenti, ac magnifico ſumptu veteri tranſuerſa deducta eſt, quæ vrbem ſimiliter totam alia ex parte æqualiter ſecans, gratum, ac iucundum intuentibus ſpectaculum præbet, ac ciuibus etiam ſalubre: ita enim fit, vt venti, qui à quatuor mundi cardinibus ſpirant, ac per totidem vtriuſq; viæ portas rectà ingrediuntur, expeditum iter inueniant: nullumq; ideò in ciuitate turbamentum faciant, cum liberum iam iter, nec vlla parte obſtructum, aut tortuoſum offendant: atq; intereà noxios vapores, quos in magna ciuitate plurimos colligi par eſt, facilè exturbant, atque depellunt.

Ex prædictis conditionibus quænam cæteris præſtent.

CVm multa hactenus expoſita ſint, quæ locorum ſalubritatem arguere ſatis poſſunt: non inutile etiam fuerit, ſi

F ex

ex his ea ante oculos ſeorſum ponã, quæ in hoc genere cæteris præſtent. Neq; enim optima omnia obtinere vbiq; poſſumus: aut Locros, Crotonemq;, quæ ſaluberrimæ vrbes ſemper habitæ fuerunt, incolere ex animi ſententia nobis licet: quamobrem ſi præſtantiſſima minimè ſortiti ſumus: ſat fuerit, ſi proxima, aut non longè remota concedantur. Ergo quo quæq; bonitatis gradu diſponantur, hoc quoq; ignorandum non eſt. At id prius veriſſimè dicam, nullam eſſe quantumuis optimam ſalubrium locorum conditionem, quæ ſi per ſe ſola ſpectetur, ſatis ad perfectam ſalubritatem eſſe poſſit: multæ enim ac potiſſimæ conueniant neceſſe eſt, vt commendare ciuitatem iure poſſis. Verùm quas ego potiores putem, ſic habe. Situs elatior cæteris alijs regionum commodis anteponi mihi videtur: vix enim ventis vndiq; perflantibus, colligi vſpiam noxij vapores poſſunt: ſecundo loco ventorum bonitatem pono: poſteà Solis aſpectum: ac deindè opportunitatem aquarum: qua etiam appellatione mare ipſum comprehendo: cuius quidem viciniam inter prima facilè poſuerim, quoniam etiam maritimas omnes regiones elato in ſitu poſitas eſſe, omnibus conſtat: quod ſcilicet ſemper littoribus inferius eſt mare. Et Auicennas,* vt ciuitas ad altitudinem benè ſe habeat, diligenter perquirit: deindè ad diſcoperturam tandem ad aquas. Ergo ſi in his benè, ac ſalubriter ædificium ſit conſtitutum, reliqua tibi vltro ſeſe offerent. Quamquam proprias, ac peculiares locorum naturas, quas à Dæmonibus, ideſt diuinitus, immiſſas eſſe Plato *g* affirmauit, & quæ ſola experientia noſcuntur, ſiuè ex certo aſtrorum aſpectu, ſiuè ab occulta origine ortum ducant, cæteris alijs ad præſtandam ſalubritatem plus poſſe nequaquam dubito. Quocirca erit aliquando, cur manifeſtæ locorum qualitates, & ſalubrem, & inculpatam regionem promittant, quam tamen potiora illa principia aliter ferant.

* 1. 1. *doc.* 2. *cap.* 11.

g 5. *De legib. in fine.*

Qui inſalubrium corporum ſtatus, quibus gaudeant locorum naturis.

POſt hæc, quæ multa hactenus dicta ſunt, illud etiam ſilentio prætereundum non eſt, quod quidem ad rem noſtram magni eſt momenti: non ſemper ſcilicet temperatum *b* aerem, & qui

b 1. *ſan. tuen. c.* 11. *& Paul. lib.* 1. *cap.* 49.

Digitized by Google

& qui omni ex parte ad ſecundam valetudinem accommodus ſit, cunctis corporibus æquè ad beneuolendum conuenire: nam,vt fatear, benè temperatis hominibus,optimam cœli temperiem maximè opportunam eſſe: ita his,qui aliqua ex parte ab ea moderantia recedunt, ille profectò ſalubrior eſſe iudicabitur, qui tali exceſſui mederi poſſit. Ergo qui calido eſt temperamento, nemo illum ſalubrius in frigidiore terra victurum negabit, quàm in planè temperato: vt interim eadem mihi reliquorum ratio vbiq; ſtatuatur, ſi quis vnquam ab optima corporis temperatura declinat. Sed hoc in loco diſſentientem ſibi Galenum Raſis* agnouit: nam cùm ille primo libro* de ſanitate tuenda, bonũ aerem æquè omnibus conuenire ſtatuiſſet: non multo pòſt, non omnibus, inquit, temperatus aer ex vſu eſt. Verùm nulla hæc eſt, nec verborum, nec ſententiarum diſcrepantia. Cùm enim optimum aerem, ideſt, qui purus, & nulla aliena permixtione coinquinatus ſit, nulli non ætati eſſe vtilem dixerit: adiecit ſtatim. At verò quæ ex calore,frigore,ſiccitate,humiditateq́, diuerſitas aeris contingit, non perinde ſe ad omnes homines habet. Ergo non idem eſt bonitas aeris, & temperies, ad hominem præſertim comparata: illa enim in proba ſubſtantia poſita eſt: ideoq; omnibus conuenit: hæc verò in qualitatibus tantùm, atque his ex vſu eſt, qui ſunt temperati: intemperies verò his etiam, qui contrariam præ ſe ferunt qualitatem. Nulla igitur,quam ipſe tamen magnam putat, in Galeno notari poteſt controuerſia. Sed hæc quamquam vera: nimis tamen dicta ſunt vniuerſim: nec ſi quis inter ipſa ſingularia verſari velit, ſatis inde perſpectum habebit, qualis regio,quibus affectibus ad beneualendum opportunior ſit. Quamobrem lubet Aetium,qui de hac re diligentiſſimè multa memoriæ mandauit,huc adducere. Aer, *i* inquit ille,qui in montoſis,altisq́; regionibus eſt,& nullam auram ſuſcipit,commodus eſt erecta ceruice ſpirantibus,& tabidis, & omnibus thoracis, & capitis affectibus. At qui in humilibus regionibus purus eſt, commodus eſt animo delinquentibus, ac ſenibus. Marinus verò hydropicis, & fluidis affectionibus, & præſertim frigidioribus vtilis eſt, & neruis per conſenſum affectis, ac proſtratæ appetentiæ. Celſus *l* etiam his, qui tuſſi moleſtantur, per hyemem locis maritimis, per æſtatem mediterraneis

*Lib. 6. contin. cap. 6.

*Cap. 11.

i Lib. 3. cap. 163.

l Lib. 4. c. 4.

opus eſſe affirmauit: & qui imbecillo ſunt ſtomacho in perflato locat ædificio, æſtiuum, hybernumq; Solem habente: cauetq; meridianum Solem, matutinum, ac veſpertinum frigus: minimeq; nubilo cœlo Soli aperienti ſe committit: ne modo rigus modo calor moueat: quæ res maximè grauedines, deſtillationesq; concitat: magis verò grauibus locis iſta eſſe ſeruanda, ait, in quibus etiam peſtilentiam faciunt. Sed

m 9. Collect. cap. 11. hic etiam audiendus eſt Oribaſius, *m* qui opportunè multa: Sublimia, inquit, loca omnibus thoracis affectionibus ſunt accommodata: tenuia verò, & capiti laboranti, & omnibus ſenſuum inſtrumentis: at loca humilia antedictis non ſunt idonea: his verò, qui per halitum digeruntur, qui in ſyncopas cadunt, & ſenibus apta ſunt: loca verò maritima hydropicis, & quibus quæuis defluxio moleſta eſt, accommodata ſunt: itemq; vbi detergendum, aut calefaciendum, aut aperiendum eſt, conueniunt. Sed proſunt etiam omnibus his, qui neruorum, & articulorum doloribus torquentur: iam deprauatis quoque appetitibus proſunt. Mediterranea verò ſunt maritimis frigidiora: cæterum ad morbos acutos, ſi neq; viribus conſita, neq; caua fuerint, ſunt maritimis accommodatiora: ſed ad morbos diuturnos ineptiora. Præterea verò,

n Ibid. c. 13. domus, inquit, *n* quæ ad terram ſunt, cum febricitantibus, tum vel maximè his, qui ardenti febre iactantur, quiq; in ſyncopen cadunt, accommodatæ ſunt: quandoquidem aptiores ſunt frigidiores, quàm ſublimia tabulata, & vires ægrotantium ſuſtinent, & continent: conueniunt eædem ijs, qui ſanguinem reijciunt, & qui capitis dolore vexantur. Tabulata verò ſuperiora apta ſunt ijs, qui pituitam in thorace colligerunt: & ad ſummum, corpori, quod multæ materiæ ſit, magnæ domus ſunt idoneæ: valent enim ad diſcutiendam materiam, & integram vim, probamq; facultatem, quam corpora quodammodo rapiunt, propter aeris copiam impertiuntur. Paruæ domus horum contraria efficiunt. Sublimes verò reſpirationis facilitatem gignunt, caput leuant, ac præſertim quod ex febri vitium contraxerit: humiles omninò improbantur. Quæ ad meridiem ſitæ ſunt, ad omnes affectiones ſunt accommodatæ, præterquam ad eas, quibus refrigeratione opus eſt, ad quas aptiores ſunt Aquilonares: ſecundo loco cenſentur, quæ ad Orientem Solem ſpectant: peſſimæ,

quæ

Digitized by Google

quæ ad Occidentem, & præſertim æſtate: habent enim lucem matutini temporis, in quo maximè ægrotantes ſunt meliuſculi, triſtem, & inamœnam: & veſpertinas horas, atq; nocturnas cum moleſtia traducunt. Quæ verò ſunt picturis diſtinctæ, febricitantibus, atque inſanientibus omnino improbantur: quippe quæ abſurda viſa excitent. Sed hæc, quæ de apto febricitantium cubiculo ſcripſit Oribaſius, haud ita admittere videtur Celſus: *o* nam ægros interdiu in luce continet, maximoq; conclaui cubare præcipit. Sed reuera vterque ex arte locutus eſt: nam cum ſola febris curanda eſt: & quam nulla putredo, nulla cauſa comitetur, ſola refrigerantia remedio ſunt: ideoq; alta tabulata, & lux quoq; ipſa euitanda: ac ſubterraneis locis potius iacendum eſt, quæ quidem ipſe etiam elegit Galenus, *p* dum lecticam febrem curat. At vbi humorum ſubeſt putredo, quæ ex ventilatione, & apertione, & diſcuſſione aliqua opus habet, huic vſui præſtant conclauia, & in luce eſſe: nam iſta quoque corpus digerunt. Fateor tamen multa offerri interdum ſymptomata, quæ tenebris vnicè gaudent: nam quibus implacidæ ſunt febres, ait Hippocrates. *q* iacere in conclaui obſcuro debent: nimirum quia difficili tolerantia affatim vires diſſoluuntur: nam qui in tenebris naturalis calor, ſpiritusq; contrahitur, idem exit in luce, atque diſſoluitur. Præterea vbi vehementes dolores, ſyncopæ, ac deliria infeſtant, in tenebris quoque continendus eſt æger, vt vitæ robur magis ſeruetur: ac, nedum multa, & varia oculi intueuntur, delirandi præſtetur occaſio. Sed Auicennas *r* quoque, domum, inquit, valdè patulam, atque omnibus ventis diſcoopertam hyeme admodum frigidam eſſe: æſtate verò calidam: quæ verò depreſſa eſt, ac ſubterranea, contrariam diſpoſitionem obtinere: vt propterea propoſitis certis quibuſdam ægrotantium diſpoſitionibus, liceat, vel hanc, vel illam pro ſalubritate potiorem ſtatuere.

o Lib. 3. c. 4.

p 10. Meth. cap. 8.

q 4. Acut. 48.

r 1. Cantic. tract. 2. num. 116. 117.

Terrarum loca quatenus animos hominum afficiant.

QVibus modis, & quam variè hominum corpora à regionibus immutari contingat, ſatis pro viribus eſt explicatum. Nunc operæpretium eſt, quatenus ab iiſdem atnci animus ſoleat, id quoque ſermoni adijcere. Etenim compertum

tum eſt, animi mores non ſolum à ſtirpe generis, atq; ab ipſo ſemine diuersè comparari: ſed ex his etiam rebus, quæ a locis, & vitæ conſuetudinibus ſuppeditantur, quibus alimur, & viuimus. Verum quid varia regionum conditio ad mores conferat, vberrimè, vt cętera alia, monſtrauit Hippocrates: *f* nam, inquit, quicunque regionem montanam, aſperam, nudam, & non aquoſam incolunt, ad laborem, & viriliter agendum natura præſtant: congenitamq; habeat feritatem, & immanitatem, Qui verò loca concaua pratenſia, & æſtuoſa habitant, virilitatem, & tolerantiam laboris non ęquè à natura habent, niſi conſuetudo accedat, quæ aliter edoceat. Quicunq; verò altam habitant regionem, planam, ventis expoſitam, & aquoſam, animo ſunt manſuetiore. Qui vero macra, aquis carentia, & nuda loca tenent, mores eorum rigidi ſunt, pertinaces, & contumaces: vbi autem terra pinguis eſt, & mollis, & aquoſa, aquæ autem valdè ſublimes, & æſtate calidæ ſint, & hyeme frigidæ, ibi homines vtplurimum maligni, ſegnesq;, & ad artes tractandas non acres, aut ſubtiles naſcuntur. Vbi autem regio eſt nuda, natura munita, & aſpera: quæq; & à frigore hyberno prematur, & à Sole æſtiuo exuratur, ibi duros, & robuſtos, & vigilantes inuenias: quiq; mores habeant pertinaces, & ad iram procliues, & contumaces: magisq; feritate participantes, quàm manſuetudine: inſuper & ad artes etiam acutiores, & plus ſolertes, & ad res bellicas aptiores. Atque ideò qui Galliam prouinciam Italiæ comparant: quoniam illa ferè tota in planitie poſita eſt: Italia autem multis in partibus montuoſa, atq; aſpera: ideò Italos eſſe magis bellicoſos, ac robuſtiores affirmant: Gallos manſuetiores, infirmioresq; (niſi tamen quos diſciplina, ac longus vſus aliter efformauit,) ſed illud etiam ſatis conſtat in montuoſis, atq; aſperis regionibus, plebem, ac ſecundæ ſortis homines plurimum inter alios poſſe, ac præualere: nec nobilibus primatibusq; facilè concedere: plus enim in his valere corporis vires, quibus vulgares præſtant: in planis verò magnates ſunt potiores, ac magis dominantur: nam aptior is eſt imperanti locus. Præterea qui aſpera incolunt loca, & quæ nihil ferunt, niſi multa cultura, & magno labore quæſitum, quales Ligures à Cicerone *g* memorantur, duri atq; agreſtes ſunt. At qui agrorum bonitate, & fructuum, magnitudine vrbis, ac ſalubritate,

f De aere, &c. in fine.

g In lege Agraria, in princ.

& re-

& rerum copia perfruuntur, vt de Campanis idem affirmat, ſemper ſuperbi ſunt, atque arrogantes. Sed qui maritima incolunt, in quibus propter portuum opportunitatem, multis varijſq; mercatorum, & aduenarum ſermonibus coutuntur, fraudulenti vtplurimum ſunt, & mendaces, & ſtudio quæſtus ad fallendum prompti, cuiuſmodi eſſe Carthaginenſes ab eodem inemorantur. Quamobrem vt hæc animi vitia à ſua republica depelleret Plato, *a* à mari ciuitatem diſtare vult ſtadijs octoginta: nam ſi proxima mari eſſet, ac portuoſa, & vicinitas, inquit, ſalſa eſſet, atque amara: nam cum mercibus, & pecunijs cauponando ciuitas repleatur, doloſi animi inſtabiles, atque infidos mores parit: vnde parum, & ipſa ad ſeipſam, & ad gentes alias fidem, & amicitiam colit: vnde arbitror antiquorum dictum emanaſſe; Inſulanos omnes malos eſſe: Cretenſes autem peſſimos: quòd ſcil cet in cunctis inſulis ſed præſertim Cretæ ciuitates omnes ferè maritimæ ſint, ideoq; inconſtantes, & fallaces, ac vicinis fluctibus ingenio non abſimiles. Ergo veriſſimum eſt, quod etiam à Galeno *x* pluribus demonſtratur: diuerſas terræ habitationes ad animi mores, prudentiamq; efficiendam plurimum poſſe.

u 4. De legib. in principio.

x Quòd animi mores, &c. cap. 5.

De Climatum temperie iudicanda.

HIs igitur, quæ multa hactenus dicta ſunt, ſi probè animum aduerteris, haud difficilè fuerit, aptum ſitum dignoſcere, qui condendis vrbibus, ac domibus collocandis pro valetudine ſit. At quoniam ſcio nonnullos eſſe, qui dum hæc diſſeruntur, de temperatiore etiam climate notitiam aliquam tenere deſiderent: ne inter multa, quæ locorum temperiem aut efficiunt, aut arguunt, hoc vnum ignorent, paucis hoc etiam argumentum abſoluam. Auicennas *a* ſub æquatore maximi temperatam eſſe regionem prodidit: etenim rectitudo Solis, vt ipſe inquit, ibi benigna eſt, & minus aerem afficit, in enditq;: poſteà verò quæ in quarto eſt climate, quod Dia Rhodon appellatur. Nec alia fuit Galeni *b* ſententia, qui Gnidum, Coum, ac vicinas regiones, exquiſitum habere temperiem, ac medias eſſe in orbe terrarum putat. In his enim locis, & hyeme, & æſtate mediocrem temperiem ſemper eſſe: verè autem, & autumno multo magis: in his

a 1. 1. doc. 3. cap. 1. & 2. 1. doc. 2. c. 4.

b 3. Aph. 14. & 2 ſanit. tuen. cap. 7.

etiam regionibus multa eſſe ſaluberrima corpora, quæ reliquis veluti Polycleti regula futura ſint: & qualia apud Gallos, Scythas, Aegyptios, atque Arabas, ne per ſomnium quidem eſt vidiſſe. Atque hoc ipſum quartum eſt clima. Auerroes *c* verò, damnato interim Auicenna, qui cum Galeno ſummam quarto climati temperiem tribuit: quintum, vbi Roma ſita eſt, cæteris antepoſuit. Cuius etiam ſententiæ Vitruuius *d* fuit: itemq; Amatus *e* Luſitanus. Manardus, *f* & ipſe vir grauis, ſextum clima, vbi ferraria eſt, maximè eſſe temperatum contendit: eſſe enim in medio terrarum orbe habitabili, ac multis eminere prærogatiuis. Ego verò in iſta authorum controuerſia, vt ingenuè, meam ſententiam exponem. Tria hæc climata, in quibus temperiem authores pro ſe quiſque collocarunt: quartum, nimirum quintum, & ſextum, haud plurimum Solis ratione, qui vel propiùs, vel longius circumuoluatur, manifeſta temperie inter ſe differunt. Compertum enim eſt, regiones nonnullas, quæ ad meridianas partes magis vergunt, quoniam montoſæ ſunt, paludoſæ, ac ſeptentrioni conuerſæ, frigidiores quibuſdam alijs exiſtere, quæ à Sole maiori recedant interuallo, ſiquidem aut in planitie ſint ſitæ, loco ſicciore, aut ad meridiem ſpectent. Et Angliam, Britanniæ regionem, quæ maximè eſt ſeptentrionalis, quoniam in perpetua ferè planitie eſt, ac ſine montibus, ideò eſſe temperatiſſimam, atque amœniſſimam affirmant. Fateor enim viciniam Solis, ac radiorum rectitudinem in terris non exiguam eſſe caloris cauſam: aio tamen, non ita omnia in his conſiſtere, vt aliæ etiam afferri, ac potentiores non poſſint. Ergo in eodem climate, eademq; longitudine non exigua temperiei diuerſitas eſſe ſolet: quæ non à Sole, cuius eadem ſemper eſt ratio, ſed à certis quibuſdam alijs locorum naturis proficiſcatur: vt propterea ex tribus prædictis climatibus quodnam temperatius ſit, haud facilè iudicari poteſt: non enim nos certam dumtaxat Solis diſtantiam: ſed magis particularem habitationem noſtram, ac ſitum contemplamur. Quocirca Auicennæ ſententiam nequaquam improbo: nam ſunt etiam doctiſſimi quidam *g* viri, qui intra tropicos fœliciſſimum, amœniſſimumq; eſſe putent terrarum orbem: eſſeq; in eo loco paradiſum terreſtrem, deliciarum ſedem: ibiq; etiam amœniſſimos illos Iunonis hortos tantoperè

c 2. *Collig. cap. vlt.*

d *Lib. 6. c. 1.*

e *Centur. 3. curat. 13.*

f *Lib. 7. epiſt. 1.*

g *D. Thom. quæſt. 102. articulo 2. ad 4. Andræas Ceſalp. 3. quæſt. perip. cap. 8.*

perè Græcis celebratos perpetuo vireſcere. Hoc etiam in orbe Fortunatæ inſulæ, quas modo Canarias dicimus, cœli temperie memorabiles: nonnullæq; aliæ, quæ noſtris temporibus inuentæ ſunt, magna aeris prærogatiua illuſtres exiſtere perhibentur. Deprehenſumq; eſt, in his terris vberrimos, ac perennes fontes, latiſſima, atque ampliſſima flumina, lacus, & paludes maximos contineri: vt iam ideò ſi vniuerſim illum orbem æſtimare velis, potius humidior ſit æquo: nam & altiſſimi, ac plurimi exurgunt montes, & pluuiæ decidunt copioſæ: præſertim quo tempore rectà Sol radios dimittit. Quod verò ad calorem pertinet, temperatum planè agnoſcunt, multisq; in locis etiam frigidiorem: nam & niues, & glacies pluri̅mæ alicubi concreſcunt. Quamobrem ex tribus illis, quæ memorat Oribaſius, *b* omnibus terris tributa eſse: quæ ſcilicet à ſitu orbis terræ, à proprietate aliqua, & à quibuſdam ſymptomatibus deueniunt, veriſſimè deprehenſum eſt, plus ad calorem facere certam loci naturam, ac quæ ille vocat ſymptomata, quam orbis terræ ſitum, ac Solis propinquitatem: quam quidem ſi tantum ſpectes, fateor cum Manardo, Ferrariam, & cum ea etiam Venetias, ac celebres multas Italiæ ciuitates in media temperie conſiſtere: ſitæ enim ſunt ad quadrageſimumquartum latitudinis gradum: quocirca & Mediolanum temperatius adhuc fuerit, cuius nimirum ſitus ad quadrageſimumquintum ſtatuitur. At quia priuata, ac peculiaris loci natura, & certa diſpoſitio plus omnino habitationibus præſtat: ideò fruſtra arbitror, in vno climate ita exacta temperies perquiretur, vt eadem in plerisq; alijs eſſe non poſſit. Sed hæc ſatis de climatum temperie, ac de locorum quoque ſalubritate, quantum ſcilicet Medico conueniat, qui de hoc genere ſuam referre ſententiam debeat.

b 9. Collect. cap. 6.

De locorum mutatione. Cap. II.

Scribendi occaſio: & quæ locorum mutationes ſanis hominibus cauendæ ſunt.

PROXIMA tractatio eſt, vt quaſdam locorum mutationes, quatenus ſalubres nobis, aut inſalubres iud cari debeant, paucis exponem: ſiquidem iter ingredi is interdum compellitur, qui quorundam temporum intempeſtiuas mu-

tationes grauiter ferat. Porrò huiuſmodi mutationes non eodem ſemper modo conſiderandæ nobis ſunt: nam qui ſani ſunt, ac ſalubriter degunt, aliter ab illis afficiuntur: aliter verò hi, quos morboſa aliqua malè habet diſpoſitio: cum igitur diuerſa ſit vtriuſque ratio, ſeorſum de ſingulis agendum eſt. Ergo quantum ad ſanos pertinet: hoc vniuerſim inter Medicos ſatis conſtat: magnas *a* omnes, ac repentinas mutationes ſemper eſſe periculoſas: quippe quæ ſanitatem ipſam, quæ in media temperie poſita eſt, offendere non mediocriter ſoleant. Neque enim quidquam eſt, quo magis noſtra ſeruetur, ac gaudeat natura, quam rerum omnium temperatio, ac modus. Sed cùm cæteræ intempeſtiuæ mutationes damnoſæ vbique ſint: plurimum tamen noxias illas eſſe experimur, quæ à locis proficiſcuntur. Nam quamquam ab inæquali diuerſaq; aeris intemperie rarius, quam à cibis, ac multis rebus alijs affici videmur, quemadmodum prodidit *b* Ariſtoteles (ferè enim idem vbique aer, eadem apparet inſpiratio) attamen ſi quando afficimur, moleſtiſſimas illas alterationes nobis ſentiri, ſatis compertnm eſt: & quod Hippocrates *c* temporum mutationes plurimum morbos parere affirmauit: locorum mutationes, inquit Galenus, * non ſecus, ac temporum turbationem noſtris corporibus afferre ſolent: quod etiam ab Hippocrate *d* libello de octimeſtri partu ſcriptum accepimus. Quamobrem Aegyptios *e* narrant, poſt Lybias, omnium virorum ideò eſſe ſaniſſimos, quòd ſcilicet tales habeant temporum conſtitutiones, quæ ibi non variantur. Sed huiuſmodi mutationes qua ratione metuendæ ſint, & quibus potiſſimum temporibus, nunc dicere aggredior. Periculoſæ illæ eſſe mutationes deprehenduntur, in quibus ſic regiones intempeſtiuè, ac repente mutantur, vt non eadem vtrobique ſeruetur aeris, ac locorum temperies, ſalubritasq;. Ergo ante alia terrarum notabilis latitudo hoc tibi diſcrimen ante oculos ponet. Quæ enim à meridie ad ſeptentrionem vergunt ciuitates: aut ſi illuc etiam fiat regreſſus, conſpicuas regionum, aerisq; differentias apportare ſolent. Sic Aethiopes cum Europam petunt, aut cum nos Aethiopiam, moleſta identidem percipitur locorum mutatio: ſed tamen illis adhuc magis, quòd longè nobis languidiores, ac proinde adferendas mutationes minus habiles ſint. Non ſic autem, ſi terrarum longitudo

a 6. *Epi.* 3. 27.
b 1. *Probl.* 3.
c 3. *Aph.* 1.
* 3. *De humor. com.* 13.
d *In medio.*
e *Herodot. in Euterpe.*

Digitized by Google

tudo varianda eſt: atque ab oriente in occidentem, vel contra iter eſt conuertendum: ſic enim eadem Solis ſemper ſeruatur diſtantia, eandemq; temperiem, quantum in ſe eſt, terris ingenerat. Sed quamquam terrarum latitudo hanc magis differentiam præſtare ſolet: multo tamen euidentior illa eſt, quæ à propria vrbium, ac locorum natura proficiſcitur. Magis igitur obſeruanda mutatio eſt, ſi ex temperata regione, & cuius, verbi gratia, elatior ſit ſitus, orientiq; expoſita, & quam nec palus, nec alieni planè halitus infecerint, ad aliam conceſſeris, quæ humili in loco, ad occidentem conuerſa, ac morboſo aere conſtituta, grauiſſimos etiam lacuum, ac fluminum ſentiat exhalationes: aut ſi ab hac etiam in illam teipſum repente conuertas, quamuis nulla terrarum interceſſerit latitudo. Nec minus etiam grauis mutatio eſt, ſi ex montuoſis, ac frigidis locis ad calidam planitiem deſcendas: itemq; ſi ex humidis, ac multis aquis irriguis in arida, atque arenoſa, aut contra etiam concedas. Sed ignorandum non eſt, eas mutationes, quæ ad loca calidiora fiunt, magis omnino eſſe periculoſas, quàm quæ ad frigidiora: hoc pleniſſimè probat Vitruuius, *f* nam & æſtate, inquit, non ſolum in peſtilentibus locis ſed etiam in ſalubribus omnia corpora calore fiunt imbecilla: & per hyemem etiam, quæ peſtilentiſſimæ ſunt regiones; efficiuntur ſalubres, ideò quod à refrigerationibus ſolidantur. Et quæ à frigidis regionibus corpora traducuntur in calidas, non poſſunt, inquit, durare: ſed diſſoluuntur: quæ autem ex calidis locis ſub ſeptentrionum regiones frigidas non modo non laborant immutatione loci valetudinibus: ſed etiam confirmantur. Cùm hæc ergo diligenter aduertendæ ſint: illud ignorandum non eſt, eam etiam damnoſam eſſe mutationem, cum ex prauo atque inſalubri loco ad ſalubrem, ac temperatum veneris: nam, vt veriſſimè Celſus *g* ſcripſit, neque ex ſalubri loco in grauem: neque ex graui in ſalubrem tranſitus ſatis tutus eſt: in qua quidem ſententia nequaquam author quamcunque mutationem in locum ſalubriorem improbauit: ſed repertinam tantum: quæ, quæcunq; ea ſit, ſemper naturæ aduerſari ſolet: neque enim aeris mutationes, quæ à nobis ipſis paulatim fiunt, periculoſæ ſunt, inquit Galenus: *h* ſed tantum magnæ, ac repentinæ ſanitatis ammittendæ periculum inferunt: quoniam enim naturæ ſubſtantia in ele-

f Lib. 1. c. 4.

g Lib. 1. c. 3.

h 6. Epi. 3. com. 27.

mentorum commoderatione conſiſtit: non abſque ratione commune, quod nimium eſt, atq; hanc commoderationẽ diſſoluit, vnà ſubſtantiam animæ labefactat. Quod autem ne in ſalubrem quidem locum mutatio ſemper ſalubris ſit, non abſimile illud eſt, quod Galenus *i* aliquando memoriæ mandauit: nimirum aſſuetudines ipſas, non ſemper, quamuis prauæ ſint, mutandas eſſe: non quod melior corporis ſtatus vbique eligendus non ſit: ſed quoniam veretur, ne repente facta mutatio noxam corpori inducat. Reuera tamen negandum non eſt, longè eas eſſe deteriores mutationes, quæ à ſalubri loco in grauem fiunt: quandoquidem duo tunc vitia conſpirant, & ſubitæ mutationis, & loci deterioris. Iure igitur Galenus *l* nos monet, vt ſi quando has aeris mutationes ſubire cogimur, vt domi nos plurimum contineamus, & nobis contrarium vſum ſenſim adhibeamus: in humidis quidem mutationibus corpus ſiccantes: in ſiccis humectantes: eademq; ratione & calefacientes, & refrigerantes, cum vtriuſque auxilij ſeſe præbuerit occaſio.

i 1. San. tuen. cap. 11.

l 6. Epi. 3. com. 27.

Qualis locorum mutatio pro temporum varietate eſſe ſoleat.

CVm enarratæ à nobis mutationes propria quadam loci ratione damnoſæ ſint: tunc etiam omnium maximè improbari ſolent, cum notabilis præterea à temporibus alteratio acceſſerit, qualis in quorundam aſtrorum exortibus, occaſibusq; fieri maximè conſueuit. Etenim veriſimile eſt, magnam eam eſſe mutationem, in qua terra, & cœlum in damnum conſpirant. Vt igitur de ſingulis certior ſis, diligenter tibi ea tempora obſeruanda ſunt, in quibus manifeſtè aer alterari perturbariq; ſolet: vnde etiam noſtra corpora plurimum affici neceſſe eſt. Hippocrates *m* cum pharmaca daturus erat, aut ventrem vrere, aut ſecare ſtatuerat, cauebat vtraſq; Solis conuerſiones (ſolſtitia hæc etiam appellamus) quas in hac re periculoſiſſimas planè vocat: poſt hæc vtrumq; æquinoctium: ſed magis autumnale: item exortum Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occaſum. Cur verò in his ceſſationem ſibi à validis remedijs indixerit, ſolas ego temporum mutationes, quæ vehementes, & graues ſint, cauſari poſſum.

m De aere, cap. 6.

Quam-

Digitized by Google

Quamobrem non immerito etiam in permutandis locis eadem periculi ratio eſſe videri poſſet. Solſtitia ergo, atq; æquinoctia merito obſeruanda ſunt, tum propter vehementiam caloris, & frigoris, quæ tum moleſtè ſentiuntur: tum etiam nouorum temporum aduentu. Experimur enim quotannis in æſtiuo ſolſtitio, quod noſtra tempeſtate in diem vigeſimumprimum menſis Iunij incidit, maximum æſtum mortales detinere. Hyberno autem, quod eſt circa vigeſimumprimum Decembris, ſæuiſſimum frigus perſentiri. In æquinoctijs autem, verno quidem, ex frigore ad calorem manifeſtam mutationem fieri: autumnali verò ex calido ad frigus. Caniculæ autem exortu, qui ferè incidit in trigeſimum diem menſis Iulij, nemo eſt, qui, quàm grauiter animantia commoueantur, ignoret: nam & Plinius, *n* inde accendi, ait, Solis vapores, feruere maria, fluctuare in cellis vina, moueri ſtagna, ac canes in rabiem agi. Vt nihil etiam mirum, ſi nobis quoque eo tempore graues ſint locorum mutationes. Ex ortu etiam Arcturi, quem decimo die menſis Septembris eſſe obſeruamus, imbres excitari, frigora, tepores: ac morbos, & ſanationes fieri, teſtis eſt Ariſtoteles. *o* Occaſu autem Pleiadum, qui decimooctauo Nouembris ferè euenit, perſpicua temperiei mutatio contingit, vt earum exortu æſtas. Sed præter hæc ortum, occaſumq; Orionis in permutandis regionibus ipſe etiam cauet Galenus. *p* Atque his temporibus quàm variæ aer perturbari ſoleat, non obſcurè Ariſtoteles *q* memorauit. Oritur autem hoc ſidus, occiditq;, eiuſdem *r* teſtimonio in æſtatis, hyemisq; variatione: oritur ſiquidem, dum æſtas veri ſuccedit: occidit, dum hyems autumnum ſequitur. Sed his etiam haud alienè ea temporum momenta adijcias licet, in quibus Luna cum Sole coit, aut illi ex diametro opponitur: magna enim in terreſtrem regionem ſunt Lunæ opera: &, vt ait Galenus, *ſ* cæteris planetis, ſi non potentia, certè vicinitate ea antecellit: vt iam apud peritos quoſdam Medicos nefas ſit, eo tempore ſoluentia pharmaca exhiberi. Sed vehementiores mutationes, inæquales, & diuturnæ fiunt in ipſis congreſſibus: in plenilunijs verò celerrimæ. Ergo, ſi verum eſt, temporum mutationes graues eſſe, atque inſalubres: ſine dubio hæc ſidera ſtudioſè obſeruanda ſunt; quæ certis momentis aerem diuersè immutant, agitantq;. Neq; enim alia de

n Lib.2.c.40.

o 1. Probl.3.

p 3. De humor.com.13.

q 26. Probl. 14.

r 2. Metheor. cap.2.

ſ 3. dier. decr. cap.2.3.

Digitized by Google

de cauſa aſtra obſeruauit Hippocrates, ac veteres alij, niſi ve ſtatas variorum temporum notas, ac mutationes illis nominibus adnotarent. Ideoque dictum eſt à nonnullis, *y* ortus & occaſus ſiderum non eſſe cauſam permutationis aeris: ſed potius ſignum. Sed de ſiderum obſeruatione hactenus dictum ſit. Illud tamen etiam eſt aduertendum, quod à Celſo *u* ſcriptum eſt: nimirum, vt ſi quando ex ſalubri loco in grauem tranſeundum nobis eſt, id prima hyeme faciamus: ſi verò ex graui in eum, qui ſalubris ſit, prima æſtate. Cuius quidem præcepti ratio omnis in hoc planè verſatur, vt ne multa fiat in nobis permutatio: nam cum è ſalubri loco non longè ab autumnali tempore (hoc enim ſibi vult, cùm ait prima hyeme) ad grauem diſcedimus, fit vt tempus cum loco congruat: nam cum autumnus, ac vicina conſtitutio inæqualis ſit, ac minus laudati temperamenti: non abſimili etiam qualitate donatus eſt locus, qui grauis ſit: quamobrem ea ratione nulla repentina mutatio fiet. At verò cum ex graui in ſalubrem tranſitus fit, prima æſtate is eſſe ſalubrior ſolet; hoc eſt prope tempus vernum: ita enim non adeò multa continget mutatio: ſiquidem in tempore ſalubri (nimirum verno) ad ſalubrem locum ipſi nos conferimus. Verùm non ignoro, nonnullos eſſe, qui præcepta hæc quamquam à magnis authoribus tradita, planè contemnant: putentq́; , ſi vera hæc ſunt, iiſdem ſemper in locis perpetuò nobis manendum eſſe: nec vnquam ſine periculo iter ingredi nos licere. Quibus ego: non omnibus iſtæ temporum varietates æquè obſeruandæ, timendæq́ue ſunt: nam qui continuis peregrinationibus aſſueti, ac multis laboribus obfirmatum corpus, durumq́; habent, nihil equidem ſibi ab huiuſmodi mutatione timere debent. Illis tantum negotium faceſſit, qui certo regionis temperamento aſſueuerunt: quique molliter delicioſeq́; vitam traducunt, aut corpore ſunt imbecillo, atque inſalubri: non enim, inquit Auerroes, *x* propter aeris mutationem omnis homo ægrotat: ſed qui tantum apti ad hoc ſunt. Hi enim diuerſorum locorum, vt & cæterarum quoque rerum iniurijs maximè obiecti ſunt: nam plerique etiam ſunt, qui *a* quocunque tempore auſtrum ſpiret, grauiores, atque inualidiores fiant, vnius ſcilicet venti halitu dumtaxat: non adhuc autem ſideris, aut mutatæ regionis offenſa apprehenſi.

y Conc. 1. p. probl. 3.

u Lib. 1. c. 3.

x 4. Collig. cap. 14.

a 1. probl. 24. 16. probl. 44.

Quod

Quod locorum mutatio aliquando ex aquarum, aut aliarum rerum intempeſtiuo vſu, non ſui ratione inſalubris ſit.

CVm multa, ac ſalubria mutandorum locorum præcepta hactenus propoſita ſint: illud etiam ignorandum non eſt, fieri aliquando, vt cum alienam regionem adieris, grauiter quidem talem mutationem feras: attamen nulla in aerem, ac loci naturam culpa ſit referenda: ſed cùm res aliæ, tum præſertim aquæ, quæ potantur, culpari debent; quarum mutationes non minus, quàm aliarum rerum vobis moleſtiſſimas eſſe, & vſu ſæpè comprobatū eſt, & ab Ariſtotele *b* etiam veriſſimè edocti ſumus. Sed & Lucretius: *c* *b 1.probl.13. 14.15.* *c Lib.6.*

Nonnè vides etiam cœli nouitate, & aquarum
Tentari, procul à patria, quicunq;, domoq;
Aduenìunt.

Quocirca diligenter hoc tibi aduertendum eſt, vt ſi quis in peregrinatione ægrotarit: ne, quod fortaſsè ab intempeſtiuo aquarum vſu in illo acceptum eſt nocumentum, id temerè à loci mutatione accepiſſe pronunties. Tanti enim momenti eſt ſalubris aquæ vſus, vt plerique euentu edocti, ſecum in peregrinationibus aquas, quibus diu aſſueuerint ſemper circumferrent. Et Parthorum reges ex Choaſpe, & Euleo tantum bibunt, ait Plinius, *d* quorum aquæ quamuis in longinqua comitantur illos: ac nonnulli Romani Pontifices Tyberis aquàm etiam ad longiſſimas regiones ad proprium vſum non raró aſportaſſe legimus. Sæpè etiam validæ corporis motiones, æſtus, frigus intemperans viuendi genus, in ipſis itineribus, & laſſitudines, & morbos pariunt, nulla mutatæ regionis iniuria. Nam hoc etiam eſt, quod in locis permutandis mari iter facere ſalubrius ſemper putatur: etenim in naui nullus corporis labor, nulla eſt defatigatio, nullaq; perfertur laſſitudo: quæ tamen dum terra iter ingredimur, multa eſſe ſolet. Quamquam illud etiam veriſſimum puto, nauigationes quamuis longiſſimas vniforme tamen cœlum ferè oſtendere, vt nihil inde immutari homines poſſint: terrarum verò diuerſiſſimæ ſunt temperamenti rationes; vt breuibus etiam interuallis diuerſæ aeris conditiones ſuccedere videantur. *d Lib.31.c.3.*

Locorum mutationes, quibus ægrotantium corporum affectibus conueniant.

QVæ cum ſanis corporibus mutationis ratio ſit, ac quantum illis efficiat, ſatis arbitror dictum fuiſſe: nunc an ægrotantes mutare loca præſtet aliquando, opportunè iam dicam. Veriſſimè ab Hippocrate *e* dictum eſt, in longis morbis ſolum vertendum eſſe. Verum hanc authoris ſententiam pluribus adhuc explicauit, ditauitque Galenus *f* Siuè nauigans, inquit, ſiuè terreſtre iter faciens quiſpiam in alteram regionem migrauerit: vel motus in itinere, aut nauigatione, vel aeris mutatio proderit: & maximè cum in aerem contrariæ temperaturæ diſceſſerit. Contrariam autem dico, non ſolum aeris propriæ ægrotanti regionis temperamento: ſed etiam ipſius morbi: nam ſi humidus morbus ſit, in ſicciorem aerem migrandum erit: ſi frigidus in calidiorem, ſic & in reliquis coniugationibus. Adhuc verò magis iſte terram mutans iuuabitur, ſi pro modo, quo morbus à naturali ſtatu diſceſſit, ad contrarium aerem mutatio fiat. Morbus enim ad paulò frigidius à naturali temperie recedens, aerem paulò mediocri temperie calidiorem poſtulat: morbus verò longius recedens, & multo in contrarium exceſſu eget. Et Hippocrates *g* in curandis popularibus morbis, omnium maximè ſalubrem locorum mutationem putat, ſiquidem in vim alienam ab eo, in quo morbus ille excitatus eſt, fiat commutatio: tamen ſuſpectum eſt, ibi eſſe, vbi morbi primordia fuerint: vt ſcripſerit etiam Celſus, *h* in tali ſtatu etiam in id genus, quod natura peius ſit, ſalubrem mutationem eſſe. Quamquam illud vbiq; obſeruandum puto, vt mutatio in contrariam qualitatem ſemper fiat; nam modo hoc conſtet, haud curioſè admodum de bonitate aeris, ac ſtatu ſalubriore laborandum eſt: atq; ita Celſum intelligo, dum in peius genus mutationem aliquando collaudat. Quòd ſi aliter authoris ſententiam interpreteris, nihil video, cur rationabiliter defendi poſſit. Sic enim cum dixiſſet Hippocrates, *i* eos, qui comitiali morbo laborant, maximè locorũ mutatione liberari: adiecit Galenus, ſiquidem proportionalis ea ſit mutatio, hoc eſt, ſi ad calidius, & ſiccius mutetur. Atque hæc cum veriſſima ſint, ac quaſi vniuerſalia quædam primo loco diſpoſita: lubet iam ad particularia

e 6. Epi. 5. tex. 20.

f 1. Com. vt ſuprà.

g 1. De nat. hum. 4.

h Lib. 2. c. 1.

i 2. Aph. 45.

laria

laria tempeſtiuè deſcendere ; & quæ nos in rebus ipſis magis exerceant. Plinius [l] cum multiplicem eſſe nauigandi vſum dixiſſet; principalem verò ait, phtiſi affectis, aut ſanguinem egerentibus. neque enim Aegyptus, inquit, per ſe petitur: ſed propter longinquitatem nauigandi : quia & vomitiones ipſæ inſtabili volutatione commotæ plurimis morbis capitis, oculorum pectoris medentur : omnibusq; per quæ elleborum bibitur. De Phthiſicis autem diligentius adhuc Celſus. [m] His enim, inquit, ſi vires patiuntur, longa nauigatione, cœli mutatione opus eſt, ſic, vt denſius, quàm id eſt, ex quo diſcedit æger, petatur: ideoq; aptiſſimè Alexandriam ex Italia itur. ſi id imbecillitas non ſinit, naui tamen non longè geſtati commodiſſimum eſt: ſi nauigationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimouendum eſt. Præcepta autem hæc, vti vides, in longis dumtaxat morbis ſeruanda ſunt: cuiuſmodi ſunt podagræ, veteres deſtillationes, hydropes, multæ corporis intemperies, quartanæ febres, & multæ, quæ ex decidentia acutæ dicuntur : modo ſcilicet vires permittant. Locum hæc etiam habent in his morbis, quos Hippocrates [n] doloſos vocauit : id eſt, qui aliquando cum videantur eſſe ſedati, aut etiam ſoluti, redeunt tamen: præcipuè ſi id ſæpè fiat. Tale quidpiam Cherioni [o] contigit, qui ter viſus eſt à febre liber, ac toties habuit recidiuas. Quamquam his morbis, qui acutiem habent, non tam ipſas regiones, quàm domicilia permutanda ſalubriter puto. His enim vires ſunt in anguſto: nec regionũ mutationes ſine vitę diſcrimine ſufferre poſſunt.

[l] Lib. 31. c. 6.

[m] Libro 3. cap. 22.

[n] 6. Epi. 6. in medio.

[o] 3. Epi. 2. tex. 1.

An patriæ aer ſemper ſit cæteris præferendus.

HOc in loco prætereunda non eſt quorundam ſententia, qui ad morborum ſanationem, ac valetudinis tutelam patriæ cœlum ſemper præſtare cæteris arbitrantur: eſſe enim iucundius, ac vi quadam pollere naturali, vt quodcunque id fuerit, cætetis multo ſalubrius eſſe reputetur. Ego autem nequaquam nego, minus ægrè ſufferri à nobis morborum incommoda, cum in patria, quàm cum in alienis ægrotamus locis : nego tamen id proprij temperamenti ratione prouenire. Ergo hoc modo, qui calido morbo tenetur, præſtantius in frigida regione, quamuis peregrina, illum habiturum putabo,

Digitized by Google

quàm in patria, ſiquidem cõtrario temperamẽto ſit. Sic etiam lac maternum quamuis pueris admodum familiare exiſtat: attamen interdum minus vtile exiſtere illud poſſe, veriſſimè ſcriptum eſt ab Hippocrate. p Hactenus igitur patriam cæteris locis præfero, quoniam & gra iora ibi ſunt omnia, & magis appoſita: nam quod ad temperiem ſpectat, (quod vnum potius in præſentiarum requirimus) vix quidquam præcipuum ad valetudinem patria habet. Et quamquam obijcere aliquis poſſet, magnam in patrio cœlo nobiſcum eſſe conſuetudinem: vt iam propterea quacunque illius temperies ſit, nunquam nobis poſſit eſſe aliena: ſed planè naturalis: nam & conſuetudo q natura quædam eſt: dicam huic ego, eſſe quidem aliquid conſuetudini condonandum, ac præſertim, cum in eodem ſtatu ſeruandum eſt corpus: at vbi curandum eſt, hactenus conſuetudo tenenda, qnatenus morbi patitur ſanatio. Sæpè enim fit, vt potior r ea ſit indicatio, quæ à rebus præter naturam deſumitur, quàm quæ à naturalibus: cum ſcilicet valida natura eſt, diuq; morbi iniurias perferre poteſt: quod in longis morbis euenire identidem ſolet: in quibus nihil nos vrget naturę cuſtodia, in ſola morbi propulſione totos ferè ex arte occupatos. Ergo ſi quando integra ſeruanda eſt valetudo, patriæ ſedem cæteris eſſe præſtantiorem concedo. Cum verò morboſa aliqua curanda eſt diſpoſitio, hactenus etiam patriam præfero, quatenus eius temperies aduerſa ſit morbo: aliter enim peregrina loca, ſiquidem liceat, ſemper eligenda eſſe firmiter ſtatuo. Sed de locorum mutatione, quantùm medicis relationibus conueniat, ſatis hæc fuerint.

p De alimen. ante finem.

q 2. De motu muſcul. 7.

r 9. Meth. cap. 7.

De peſtilenti conſtitutione. Cap. III.

Scribendi occaſio, & de cauſis peſtilentiæ breuis, & vniuerſa narratio.

CVM multæ rerum occaſiones Medicis identidem proponantur, de quibus propria ſententia palàm ferenda ſit: tum præſertim expoſtulari ea ſolet, cum peſtilens aliqua temporis conſtitutio in ciuitate graſſatur. Alia enim momenta ad eum vſum ferè pertinent, qui vtilis quidem reipublicæ; non ita autem neceſſarius eſſe

eſſe reputetur : Peſtis verò totius ciuitatis exitium, ac labem minatur : vt ſumma cura prouidendū ſit, quò ſimul ac immanis hæc lues ſeſe exerit, haud negligenter de eius origine, atq; natura inter Medicos pertractetur : vt ſalubria remedia, ac pro viribus pro futura adhiberi poſſint. Eoq; magis, quòd in his calamitoſis temporibus, in quibus magno metu, timoreq; tota concutitur ciuitas, tàm multæ tàm variæ de peſtilentiæ primordijs Medicorum ſententiæ feruntur, vt non ſolùm publicæ ſaluti damnoſa diſſenſio : ſed illis etiam infamis ſæpiſſimè excitetur. Ergo hoc ego in præſentiarum ſcribendi conſilum cœpi : vt, ſi quando populares, ac peſtilentes morbi vagantur, communis quædam ratio, ac methodus proponatur, qua promptum ſit, certam mali originem, atque principia deprehendere, ac ſimul ſtatuere : peſtiſnè, an aliud morbi genus eo tempore dominetur. Et quamquam de hoc argumento multa à clariſſimis quibuſdam Medicis memoriæ prodita ſunt, quæ varias peſtis notiones, curationesq; doctè ſimul, ac peritè oſtenderent. Mihi tamen ſpes eſt, quantum ad cauſarum, ac ſignorum notitiam pertinet, non ſolum non ſuperuacua, quæ nunc ſcribimus : ſed vtiliſſima etiam omnibus eſſe futura. Eſto igitur, multis in vno loco ægrotare : ac id quidem ita perniciosè, vt ex his plures moriantur, quàm conualeſcant, (hanc enim quandam eſſe idæam peſtilentiæ, non ſemel ipſe nos docuit Galenus *a*) tunc, vt huius affectus, qui multiplex, *b* nec certi omnino morbi eſt, certa elicias indicia : antè tibi exactiſſima quædam cauſarum notitia tenenda eſt, vt propria cuiuſq; perſpecta natura, haud difficulter ſingularum originem teneas. Porrò peſtilentiæ cauſa, vt vniuerſim dicam, aut à ſuperna origine eſt : aut vicinior in terris conſiſtit : atque illa, aut Deum tantùm agnoſcit authorem : aut cœlorum præterea, ſtellarumq; influxus origo eſſe deprehenditur. Quæ autem terris tribuitur, aut externa nobis eſt, ac putrida inſpiratio, quæ nos lethaliter afficiat : aut internum omnino corporis vitium, quod ex communi cauſa ita in nobis connaſcitur, vt nulli præterea quantumuis acuto veneno concedat. Putrida autem inſpiratio aut ab eodem loco, vbi ſæuit, exordia deſumit : aut aliunde defertur. Internum autem vitium ex improba tantùm victus ratione, quæ multis communis ſit, vbiq; excitatur. Sed hæc cum ſummatim dicta

a 1. *Acut.* 9. & 3. *Epi.* 3. 20. & 2. *Aph.* 13.

b 3. *Epi.* 3. 20.

ſint, lubet iam paulò fuſius eadem explicare: ac ſingula ex grauiſſimorum authorum fide, obſeruationeq; diligenter perquiſita confirmare.

De peſte, quæ à Deo præſertim immittitur.

DEum aliquando peſtilentiæ authorem eſſe, nemo vnquam prudens dubitabit: nam ne vllum quidem morbi genus mortales aliquando exagitat, quod non diuina efficiat, permittatuè prouidentia. Ego, c inquit Dominus, occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo. Et alibi: d Non eſt malum in ciuitate, quod non faciat Dominus. Multaq; etiam, ac grauiſſima teſtimonia afferre huc poſſem, quibus plurima hominũ millia ſæuiſſima peſte confeciſſe Deum, nullius naturæ indigum adminiculi, conſtare poſſet. Sed hoc tam perſuaſum eſt omnibus, vt ipſe etiam Galenus, e cui nimirum de Deo exigua affulſit notitia, memoriæ tamen prodiderit, omnes homines peſtis cauſas ad Deos aliquando referre ſolitos fuiſſe, quos etiam de illius curatione conſulerent. Nihil igitur hoc ambigo. Sed cum Deum peſtis authorem dico, ita planè intelligo, nulla vt præterea cauſa euidens præceſſerit, quæ cladem illam attulerit. Neque enim cum Dauid f propoſitam ſibi à Deo peſtem, vt numerati populi crimen expiaretur, credibile eſt aerem mane illo tam breuiſſimo ita infectum fuiſſe, vt octoginta hominum millia ſex ſummum horis morerentur. Angelus tunc, non ipſa natura Dei mandata exequebatur. Nam & cum ſæuiſſima g olim Romæ peſtilentia Diui Gregorij precibus iam miteſceret, viſus eſt Angelus ad arcem Hadriani enſem ſanguine aſperſum in vaginam condere: vt non alia præterea peſtis cauſa quærenda tunc fuerat. Ergo hoc mihi firmiter perſuadeo, ita in nos aliquando ſæuire peſtilentiam, vt nec cœleſte infortunium, nec vitiatior aeris corruptela, nec victus improbus, aut ſimile quodpiam culpari tunc poſſit: cum ſatis ſola Dei prouidentia rem omnem adminiſtret. Et quamquam accerſito etiam naturæ conſortio, immutatoq; ac corrupto aere, peſtilentem ſtragem mortalibus interdum Deus immittat: nullaq; non ratione humana omnia verſet, exagitetq;. Nos tamen tunc tantum à Deo acceptam eſſe peſtilentiam dicimus, cum ſeipſum nullis adhibi-

c Deuter. 32.
d Amos 3.
e In proœm. epidem.
f Ioſep. 7. antiquit. 13.
g Tarcagn. par. 2. lib. 7.

hibitis ſecundis cauſis, aut certè longè poſt ſe adhibitis, authorem illius præbet.

De peſte ex aſtrorum influxu.

PRoxima huic eſt peſtis origo, quæ cœlitus in nos venit: non quidem à firmamento, aut primo mobili, quæ eaſdem ſemper, atque vniformes reuolutiones, & curſus exercent: neque item à Sole, qui perpetua ſemper lege dies, noctesq; & quatuor anni tempora dimetitur: ſed à certis ſtellarum concurſibus, quos etiam aſpectus, conſtellationesque ac configurationes appellant. Hi autem cœleſtium corporum congreſſus quomodo peſtilentes in nobis affectus producant, hoc ipſum ſuo quodam iure & ſciunt, & docent Aſtrologi. Tria, aiunt, potentiſſima eſſe ſidera, Saturni ſcilicet, Martis, ac Iouis, quæ omnia aut priora ſaltem duo, quæ maiora vocant infortunia, ſi ſub inſignibus piſcium, vel arietis, vel ſcorpionis, aut alterius ſigni, quod humanam præſeferat figuram, in vnum coeant, adſintq; certi quidam aſpectus earum ſtellarum, quæ firmamento infixæ ſunt, ſiquidem venenatorum animalium ſpeciem gerant, tunc peſtes aut veneficos omnino morbos terris portendi. Itemq; ſi, eclypſes in prædictis ſignis contingentes: ſi ſalubrium planetarum dominium in illis extiterit, vel ſi Saturnus in piſcibus, aut principio tauri, vna cum ſtellis venenatorum animalium figuram ſeruantibus: hęc inquam, ſigna haud obſcuram peſtilentiæ aduentum portendere affirmant. Atque Ariſtoteles,*b* ſiuè quiſquis ille eſt, qui *b Cap. 1.* de proprijs elementorum cauſis libellum edidit, mortalitates, inquit, gentium, ac regna vacua fiunt apud coniunctionem Saturni, & Iouis. Sed, vt exempla aliqua ſubijciam, Guido *i* author grauiſſimus memorię prodidit anno ſalutis 1346. *i Trac. 2. doc.* Saturno, Ioue, ac Marte ſub humano ſigno coeuntibus adeò *2. cap. 5.* memorandam peſtem toto orbe terrarum irrepſiſſe, vix, vt quartam mortaliũ partem intactam reliquerit. Iiſdem etiam aſtris anno 1478. ſimiliter congreſſis, ſæuiſſimam peſtem totam Italiam inuaſiſſe accepimus. Et Fraccaſtorius *l* ſic elegan- *l Syphilis lib.* tiſſimè cecinit: *primo.*

Bis centum fluxere anni, cum flammea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Inſolita exparſit febris, quæ pectore anhelo,
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu)
Quarta luce frequens fato perdebat aceruo.

Verùm nulla ferè memorabilis huiuſmodi peſtis mortales aliquando inualit: quin ab his ſignis multis antè tēporibus præmonſtrata fuerit. Idem etiam author alio in loco, *m* tam ſæuos affectus hinc fieri, ait, non quòd ignota vis aliqua, influxuſq; à cœlo deſcendat: ſed quod à potentiſſima illa cœleſtium corporum coniunctione, quæ iam in hominum mala conſpiratint, magna vaporum vis à terris attrahitur, qui deinde aeri commixti, ac diuerſimodè agitati, varias apud nos corruptiones efficiant. Ego verò etſi veriſſimum puto, ſideribus illis ſub certa firmamenti ſtatione coeuntibus, magnam fieri à terris vaporum eductionem, qui deinde infeſtiſſimi nobis, ac peſtilentes ſint, (nam & hoc etiam ſenſiſſe aliquo pacto videtur Ariſtoteles: *n* dum peſtilentem annum fieri tunc putat, cum Sol multum vaporis de terra excitat) nihil tamen video cur à cœleſtibus illis corporibus, quæ inferna hæc perpetuò regunt, ac moderantur, non aliqua influere virtus poſſit, quæ præter temporum intemperiem diuersè immutare aerem valeat: nam, vt Aſtrologos præteream ſapientiſſimos illos viros, & quorum obſeruationibus fides detrahenda non eſt: ipſe etiam Galenus, *o* atque Arabum doctiſſimus Auicennas, *p* qui mihi duo hac in re inſtar omnium fuerint, cœleſtem haud cauſam admittunt, ac non obſcuris argumentis demonſtrant. Nec mihi hoc conſilium nunc eſt, vt cœleſtem hunc influxum eſſe longo ſermone comprobem: nam & alia nos mouet ſcribendi occaſio: & à doctiſſimis etiam viris de hoc argumento abunde diſputatum eſt. Atque hæc de cœleſti origine: nam quod aliqui arbitrantur, omnis peſtilentiæ primordia illinc duci ſemper debere: nec vllam eſſe, quin cœleſte hoc præfuerit dominium, durares eſt; & quæ fidem facere mihi nequaquam poteſt. Nam, vt dem humanos caſus magna ex parte inde originem ducere: non tamen omnes: nam & elementa

m 1. de morb. contag. 12.
n 1. Probl. 1.
o 3. De dieb. decret. 5. 6.
p 1. Cantic. 1. num. 104.

ta etiam vires ſuas ſine cœli imperio exercere, atque intendere aliquando poſſunt. Nec Deus quoque, qui ſuprema omnium eſt cauſa, ſemper ipſe tamen per ſe agit omnia: ſed ſecundis his, atque infimis cauſis aliqua agenda non rarò permittit. Præterea, quod multæ etiam peſtilentiæ aut conſilio hominum, aut errore aliquo inductæ fuerunt, cuiuſmodi ſunt, quæ bello fame, & quorundam machinamentis parantur: quæ tamen non tàm ad aſtra, quàm ad inferiora hæc veriſsima rediguntur.

De peſtilentiæ cauſis ob aeris vitium: eiuſq; præſertim manifeſtas qualitates.

TAntum ſtellis tribuit Auicennas, q vt omnium aeris alterationum formas cœleſtes, ac figuras perpetuò eſſe cauſas conſtanter dixerit. Reuera autem vt fatear multas, ac ſæuiſsimas peſtes à cœlo eſſe: negari tamen non debet, nec adeò paucas, nec adeò minus exitioſas à morboſa temporum conſtitutione, à putrida inſpiratione, à prauis cibarijs, ac ſimilibus quibuſdam principijs proficiſci, quæ nihil profectò cœleſte participant. Sed hoc ipſum pluribus modo explicandum eſt, ac rationibus pro virili parte confirmandum. Aer vt peſtem efficiat, valdè à propria natura degeneret, ac veluti venenoſam aliquam vim acquirat, neceſſe eſt. (voco nunc acrem cum Auicenna, r non ſimplicem illum, ac purum: neque enim ille nos ambit: ſed corpus in hoc medio conſparſum ex vero aere, & aqueis terreisq; vaporibus commixtum.) Hic igitur cum ſuam naturam ſeruat: hoc eſt propriam temperiem retinet, nec quidquam alieni noxijq; habet admixtum: aptiſsimus eſt inſpiratu, ac ſaluberrimus. At ſi fiat, vt vel maximè intemperatus, vel per extraneam miſcelam, aut in tota ſubſtantia immutatus ſit, alienus homini eſt, ac grauiſsimos morbos, & peſtilentes præſertim generat. (in propria ſubſtantia immutatum aerem mihi nunc intellige, non cum paulò craſsior euaſerit: hæc enim mutatio potius ad modum ſubſtantiæ refertur: ſed cum putrefit, atque exitialem naturam acquirit: nam putredinem ad totam ſubſtantiam pertinere, vel ipſe etiam nos ſæpè docuit Galenus. ſ) Quod autem vtraque ratione peſtilens nobis aer fieri poſſit, iam modo demon-

q 1.4. tract. 4. cap. 1.

r 2. p. doc. 2. cap. 9.

ſ 2. Meth. & & 2. de nat. hum. 4. ii art. medic. c. 85.

ſtrare

Digitized by Google

ſtrare fuerit tempeſtiuum. Nam quantum ad manifeſtas pertinet qualitates, Galenus t exurentem aeris calorem quondam Athenis peſtilentiam peperiſſe memoriæ mandauit. Nec diſſimilis ea etiam fuit, quæ in Troianos dum à patria profugerent, graſſata eſt: de qua ita Virgilius: u

t 1. De differ. febr. cap. 8.
u 3. Aeneid.

Tum ſteriles exurere Sirius agros,
Ardebant terræ, & victum ſeges ægra negabat.

Item alia ab eodem deſcripta eſt: x

x 3. Georgic.

Miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoq; autumni incanduit æſtu.

Narrat etiam Liuius, a Cornelio Coſſo T. Quintio coſſ. ex inſolita quadam aeris caliditate, quæ terræ omnem humorem penè abſumpſit, peſtem in vrbe Roma ſæuijſſe. Idem * etiam teſtatur adeò aliquando ex magnis niuibus aerem obriguiſſe, vt ipſe etiam Tyber glacie concreuerit, ac peſtem propterea inde fuiſſe ſubſecutam. Nec nouum videri debet frigus putredinis quandoq; cauſam eſse, quod ea ſcilicet in b humido, ac calido poſita ſit: nam & in Germania, c cœlo omnium frigidiſſimo, tunc maximè peſtilentiæ fiunt, cum vehementius adhuc, ac plus ſolito ingruit frigus: vſqueadeò verum eſt, d immodicas omnes intemperies naturæ operationem exoluere. De humida autem, & calida aeris intemperie nihil eſt, quod pluribus dicam: nam teſtis eſt Galenus, e omnium aeris nos ambientis temperamentorum peſſimum illud eſse, quod humidum eſt, & calidum. Hic autem non me latet, aliquos eſse, qui magnis contentionibus negant à manifeſta aeris intemperie peſtilentem conſtitutionem proficiſci poſse. Ego autem, vt conceſserim, ſola vigente intemperie nunquam peſtem adgenerari: ſic illud veriſſimum puto, ab ijſdem manifeſtis qualitatibus, ſi quando naturæ modum exceſserint, magnam promptamq; excitari occaſionem poſse, cur ipſe aer in tota deinde ſubſtantia permutetur, ac putreat: nam ſi putredo, vt nos docuit Ariſtoteles, f corruptio eſt naturalis caliditatis ab extranea, atque aliena: nihil video, cur magnus æſtus proprium aeris calorem diſsoluendo; ac ſimiliter frigus multum

a Lib. 4. Decad. 1.
* Lib. 5. Decad. 1.
b 1. Diff. febr. cap. 3.
c Gratiol. de peſte, cap. 5.
d 2. Aph. 22.
e 1. De temp. cap. 4.
f 4. Meteor. cap. 2.

multum humiditatem ſubnutriendo, putredinem generare in aere non poſſit. Ergo fatendum eſt quidem in peſtilenti conſtitutione aerem ſecundum totam ſubſtantiam commutari ſemper debere: ſed illud quoque minimè negandum: ſolas manifeſtas qualitates non leue, neque infrequens putredinis excitandæ principium præſtare, & a quo magnum curationis momentum deducatur.

De aere peſtilenti ob propriæ ſubſtantiæ corruptelam, ac putridæ exhalationis permixtionem.

QVatenus à primis, ac manifeſtis qualitatibus putreſcere aer poſſit, ſatis explicatum puto: nunc qua etiam ratione ſine his peſtis oriri poſſit, paucis docebo. Auerroes libro Colliget quarto g duobus modis putrefieri aerem putat: primo, cùm ſuamet ſubſtantia corrumpitur, vt in æſtate pluuioſa contingit: ſecundo, cùm corrupti vapores illi commiſcentur; quales è cadaueribus, ac ſtagnis educi ſolent. Differt vterque: nam illo modo propria aeris ſubſtantia putreſcit: hoc verò recipit tantum putredinem alienam. Et quamquam putent celebres quidam Medici, iſta ratione aerem citra propriam putredinem peſtem diffundere à ſeminarijs peſtilent contractam. Ego tamen vix fieri arbitror, vt peſtis ſeminaria aliquando in aere obuerſentur, quin & ipſum etiam non multò pòſt eiuſdem putredinis participem reddant. Iuuat tamen vtriuſque diſcrimen internoſcere, vt propriores cauſas contemplantes nos illis ſtudioſius opponamus. Ergo prima ratione aer in calida, humidaq; tantùm, ac pluuioſa nimis conſtitutione putrefieri ſolet; cum ſcilicet in æſtate, & verè etiam auſtrina viguerit conſtitutio, exiguiq; fuerint venti. Sic Hippocrates cum in libris de morbis popularibus multas, ac grauiſſimas tempeſtates deſcripſerit: duas tamen peſtilentes tantum fuiſſe Galenus h meminit: alteram, quæ narratur in principio libri ſecundi, cum ait in Cramone pluiſſe in ardoribus aqua larga, atque ab auſtro: alteram, quam in libro tertio i proponit: annum ſcilicet auſtrinum, pluuium, & à ventis in totum ſilentem. Sed hunc adhuc peſtilentem magis, quoniam toto anno id aeris temperamentum perſeueraſſet: cum prior æſtate tantum viguiſſet. Cur verò in his conſtitutionibus tam

g Cap. 14.

h 3. Epid. 3. com. 1.

i Sect. 1. com. primo.

Digitized by Google

malè aer afficiatur, haud difficile eſt noſce: nam cum auſtri-
l 1.epi.2.com. 62. na [l] conſtitutio, ac præſertim cum imbribus eſt coniuncta im-
portunè calida ſit, ac maximè humida: item quia ventis agi-
tata non eſt, ipſa immobilitate vitium contrahat, facillimè
m 3. epi. 1. com. 1. ideò putreſieri poteſt: [m] notiſſimum enim eſt, putredinem
omnem ex materia humida gigni: ex cauſa verò efficiente,
extraneo calore: augeri autem immobilitate. Veriſſimum
n 1.differ.feb. 4. ergo ſit, tunc [n] maximè aerem putreſieri, ac peſtilentes mor-
bos producere, cum ipſius temperatura à naturali habitu ad
caliditatem, atq; humiditatem immodicam fuerit conuerſa.
De reliquo autem putredinis modo, quæ ex putreſcentium
vaporum miſcela excitatur iam dicam. Equidem multipli-
cem huius generis rationem eſſe video: nam vapores iſti pu-
tridi, qui veriſſima ſunt peſtis ſemina, aut ab internis terræ
regionibus veniunt, aut in ipſa excitantur ſuperficie: præterea
non rarò aliunde ad ſalubres regiones deferuntur: & hoc aut
ventorum perflatu, aut per fomitem quendam, in quo tena-
citer putridi illi vapores inhæſerint. Verùm ab internis terræ
partibus tunc exoriri peſtilentia ſolet, cùm ingentes terræmo-
tus regionem excuſſerint. Vaporum enim, qui diu in terræ
viſceribus occluſi pernitioſam acquirũt naturam, tam magna
vis illo tempore in aere expanditur, vt longiſſima etiam infi-
o Lib.4.dec.1. cere poſſit loca. Narrat Liuius [o] anno mundi 3550. ex ſolis
terræmotibus peſtem Romam inuaſiſſe: quod etiam eodẽ au-
p Sabell.enn. 7.lib.7. thore [p] ſimiliter cõtigit anno 3621. Præterea memoriæ pro-
ditum eſt, ſub Xiſto Pontifice eius nominis ſecundo magnam
peſtem ex terræmotu Aſiam, aliasq; multas regiones inuaſiſ-
ſe: vt iam inter calamitoſa portenta iſtæ terrarum concuſſio-
nes habendæ ſemper ſint. Et quamquam de hac ipſa peſtilen-
tiæ cauſa nihil vnquam, quod ſciam, prodiderit Galenus (quæ
res non ſine cauſa admirationem quibuſdam mouet) vtcumq;
ſit, ſatis compertum eſt, ſæuiſſimas peſtes non rarò inde exci-
tatas fuiſſe. Ad quod etiam genus referri illud debet, quod
q Amat. Luſit. cent. 7. Curat. 27. quidam [q] interdum flatus, ac pernicioſæ exhalationes in am-
pliſſimis terræ cauitatibus iam diu collectæ, aliquãdo aut per
exiguam, ac leuem terræ concuſſionem, quæ vix percipi poſ-
ſit, aut per conceſſos alios ſibi terræ exitus in apertum exha-
lant, aeremq; inficiunt: quod etiam ipſe oſtendit Auicen-
r 1. 4. tra. 4. cap. 1. nas, [r] dum putredines, quarum euentus ignoratur, in interio-

ribus

tibus terræ quandoque accidere memorauit. Si autem in ipſo terræ ambitu peſtis præmordia conſiſtunt, haud obſcura eius origo eſt; nam aut multæ paludes ea loca circumfuſæ ſunt; quæ ſcilicet aerem peſtilenti vitio contaminent: aut magna cadauerum vis; ac marcida animalium corpora latè iacent. Plerumque etiam publicæ quædam effunduntur cloacæ, aut immunda alia expurgantur loca: aut denique fœtidiſſima vtcunque excitatur euaporatio, quæ vitioſa prorſus, ac noſtræ naturæ planè ſit aliena. Athenienſes ſ olim cum conſerere manus cum hoſte non auderent, ac ſeſe intra mœnia continerent, computreſcente veluti per ſitum, & immobilitatem corporum temperamento, auraq; ſpirabili infecta, in peſtilentem morbum incidere: nam recepta in vrbem fugientium vndiq; per trepidationem, omnis generis in genti multitudine, cum propter anguſtiam loci, per habitacula incommodè, ac paſſim ſine vllo ordine promiſcuè conſtipati eſſent, varij varijs ritæ modis haud ſine cauſa inciderunt in morbos: quippe conuolutum ex colluuie, & corruptum tetrumq; olentem ſpiritum trahentes, concreto iam exæſtuanti, & circum vndique per quandam præfocationem æthere, intra præcordia acceptum dirum virus concipiebant. Narrat etiam Galenus t lacuum, vel paludum æſtatis tempore euaporationem peſtis aliquando cauſam eſſe. Sæpè etiam obſeruantum eſt, notabiles fluminum inundationes poſteaquam ſubſederint, limoque ac lentore quodam inſalubri latè regionem madefecerint, non multò pòſt peſtilentes morbos peperiſſe, putri vapore in aerem excepto, totamq; eius ſubſtantiam deperdente: quod ſub Pelagio Pontifice eius nominis ſecundo Romæ, ac per Italiam cæteram contigiſſe memoriæ proditum u eſt. Meminit etiam Galenus, x multitudinem cadauerum non concrematorum, vt in prœlijs contingere ſolet, ſæpè putredinis principium attuliſſe. Memorabilis etiam illa fuit peſtis, quæ anno ſalutis 765. Galliam inuaſit ex innumera locuſtarum turba quæ cum aerem vniuerſum latè obfuſcarent, atque à ventorum impetu in proximum litus depulſæ fuiſſent, adeò ingentes aceruos ex ſe obſtruxere; vt putrefactæ aerem magno fœtore inficerent. Huc etiam meritò retulerim, cum in anguſtis quibuſdam locis, quales putei ſunt, voragines, cauernæ, & ſimilia quædam loca, quæ diu clauſa contentum aerem

ſ Diodor. Sic. lib. 12.

t 1. Diff. febr. cap. 4.

u Plat. in vita Pelagij.

x Vt ſupra.

a Plat. in vita Nicolai.

corrumpere, pateat repente exitus aliquando: tam prompta enim emitti inde ſolet putredinis vis, tam nobis perniticioſa, vt totam regionem inficere poſſit. Tripoli quandoq; graſſata eſt peſtis, inquit Fallopius, *b* quòd apotheca multis aromatibus referta, cum iam continuo triennio clauſa fuiſſet, tandem pate facta eſt: & cum propinqui aliqui accepta inde lætthali inſpiratione ſtatim concidiſſent, iam breui vniuerſam ciuitatem tabus cotripuit, ac peſtem diffudit. Narrat Ariſtoteles, *c* in Macedonia ſub Philippi dominatu duos magnos dracones in ſpecubus ſublimium montium latentes tam pernitioſum halitum expiraſſe, vt quoſcunque per ea loca iter haberent, promptè interficerent: diligentia tamen Socratis factum fuiſſe, vt, & læthalis origo, quæ antea latuerat, procederetur, & belluæ etiam occiderentur. Sed hæc vitia, quæcunque ex putri, læthaliq; euaporatione originem habent, ad terram verius, quàm ad aerem refero: qui eo tempore alieno potius, quàm proprio afficitur vitio: nam tunc primaria affectione aerem verè corruptum dicimus, cùm peſtilens conſtitutio diu in illis locis fuerit dominata: aliter autem, quamquam ſimilis pati poſſet affectus, prior tamen agnoſcenda occaſio eſt, quę putredinem tulerit. Sed hoc in loco haud alienè perquiri poteſt, num quemadmodum terram, atque aerem, ibique innas centia animalia peſtem pati poſſe aſſeruimus: ita etiam de mari, fluminibusq;, ac piſcium genere dicendum fit: etenim memoriæ proditum *d* eſt, ad inſulam Liparam piſcium vim magnam exanimem aliquando in litus eiectam fuiſſe, quos dum Liparenſes auidè comederent, omnes fuere conſumpti, ac noua peſtilentia inſula deuaſtata. Et Virgilius 3. Georgicorum libro dum magnam illam peſtilentiam deſcriberet, ad hunc modum cecinit:

Iam maris immenſi prolem, & genus omne natantem
Litore in extremo, ceu naufragæ corpora fluctus
Proluit.

Præterea cùm magna ſit aſtrorum potentia, ac terram aeremq; miris modis immutet: cur eadem non mare etiam, ac flumina ſimiliter afficiat, & peſtilentiam æquè ingeneret? Eoq; magis quòd humidiſſima ea ſint loca, ac propterea ad putre-

b De bubone poſt cap. 2.

c De cauſ. proprijs elem. cap. 1.

d Iul. obſequens de prodig.

putredinem magis parata? Sed huic ſententiæ obſtat Ariſtoteles, qui libro octauo *e* de hiſtoria animalium, nullum morbum peſtilentem vniuerſis piſcibus incidere affirmauit: qualis plerumq; hominibus, & quadrupedibus euenit. Quod ipſum non ſolum de marino aſſeruit genere: ſed de fluuiatili etiam, atq; paluſtri. Et reuera ideò in mari excitari peſtis non poſſe videtur, quod nunquam mare putreſcat: ſiuè hoc à continua agitatione pendere velis: ſiuè quia nullus tam potens externus calor eſſe poteſt, à quo maris naturalis caliditas, quæ in plurimo humido ſita eſt, diſſoluatur. Fateor tamen eam magis partem, quæ in ſuperficie eſt, neque admodum à ſuppoſita diſtat terra, aeris ac ſtellarum vim ſentire promptius poſſe: ideoque in ea innatant piſces facilè communi quodam cum aere vitio corripi poſſe: nam qui in profundo degunt, ac longè à litoribus, quoniam nihil ferè eſt, quod ipſorum naturam alterare poſſit: ideò non ſolum peſtem non ſentiunt; ſed rariſſimè etiam ægrotant. Quod ſi ægrotare aliquos dixerit Ariſtoteles: de his præſertim dictum intellige, qui in extima, ac terris vicina degunt parte. Qui etiam piſcium morbi ſæpius in fluuialibus, ac magis adhuc in paluſtribus conſpiciuntur: nam & otioſius degunt, & terræ aeriſq; iniurias facilè ſentiunt, eoſq; propterea nobis minus eſſe ſalubres quotidie experimur.

e Cap. 19. 20.

De peſtilentiæ cauſis, quæ aliunde ad ſalubres regiones defertur.

A Peſtilenti aliqua regione procul deferri peſtis ſemina ad ciuitates alioquin ſalubres, ſæpiſſimè deprehenſum eſt. Hic aliquando per continuum, inquit Galenus, *f* quædam putredinis fluxere contagia, his, quorum corpora erant ad patiendum parata, febrium cauſæ futuræ. Et Auicennas, * quandoque, inquit, eſt illud cauſa ventorum deferentium ad locum bonum fumos malos ex locis longinquis, in quibus ſunt loca ſtagnoſa, alterata ad putredinem: aut in quibus ſunt corpora cadauerum corrupta in prœlio: aut corpora mortua ex peſte, non ſepulta, nec combuſta. Sic Hippocratem, *g* accepimus, his ventis exploratis, qui in Illirico vigebant, vbi ſcilicet peſtis vagabatur: Acticam ab eo periculo vindicaſſe,

f 1. Diff. febr. cap. 4.

** 1. 4. Tract. 4. cap. 4.*

g Soran. in vita Hippocr.

ſedula

ſedula opera impenſa, ne ab his flatibus patria offenderetur. Sed præterea per quendam fomitem, ac quaſi putredinis receptaculum non rarò ad longiſſima loca peſtis defertur: quæ ſuis illis ſeminarijs adſeruari diu poteſt. Huius rei ſatis conſpicuum euentum viginti ferè abhinc annis nos Siciliæ ſenſimus. Nam cum à pyratis quibuſ iam præda, quæ in Alexandriæ tractu capta erat, à noſtratibus emeretur: haud multò pòſt ſenſim irrepente putredine, peſtem magno hominum, rerumq; impendio experti ſumus. Sic etiam aiunt, *h* Aegyptum quotannis, octo integros anni menſes peſtem pati, è Græciæ, Syriæq;, ac Barbariæ locis per contagium delatam: atque illam tandem quatuor dumtaxat æſtiuis menſibus, expectatiſſimo tempore, flantibus quibuſdam auris ſalubribus interquieſcere: nam & Plinius *i* teſtatur, partes meridianas, niſi hyeme peſtilentiam non ſentire: ac ſemper ad occaſum Solis illam tendere. Sed hoc in loco illorum ſententiam admittere non poſſum: qui huiuſmodi peſtem, cuius ſeminaria ad ſalubria loca transferuntur, impropriè peſtem, ac filiam potius partumuè peſtis appellant: nam, vt fatear, Siciliæ, quo tempore noſtra memoria vagabatur peſtis, nec immodicam aeris intemperiem, nec putredinem, nec communem ciborum corruptelam fuiſſe: attamen nihil hoc intereſt: nam illuc aliunde per fomitem quendam delata fuerat peſtis: cuius primordia ſi diligenter perquiras, aliquam ex enarratis cauſis facilè inuenies. Nec alia illius peſtis ratio fuit: in qua ait Galenus *l* ex Aethiopia putredinis fluxiſse contagia: nam ſiuè à ventis, ſiue in veſtibus ſeminaria fuerint deportata: locum, ac regiones mutare quidem poterant: peſtis autem naturam nequaquam poterant. Eadem memorabilis illius Athenienſium peſtilentiæ cauſa omnibus recenſetur.

h Proſper. Alpin. de medic. Aegypt. lib. 1. cap. 17.

i Lib. 7. c. 5.

l 1. Diff. febr.

Nam * *penitus veniens Aegypti è faucibus Orcus,*
Aera permenſus multum, campoſq; natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis.

** Lucret. de rerum nat. lib. 6.*

Affirmo igitur, veram ibi peſtem eſse, vbicunque multi ægrotant homines: ſiquidem horum maior intereat pars: ſiuè adnata ibi ſit peſtis, ſiuè aliunde delata.

De peſtilentia ex communi omnium victu.

QVibuſdam Medicis controuerſum eſſe video: num victus ratio popularium morborum, atque adeò peſtis in cauſa eſſe poſſit. Equidem Hippocrates m cum morbos omnes tum à victu, tum à ſpiritu, quem attrahimus, fieri dixiſſet: eos autem, qui communes ſunt, cuiuſmodi etiam eſt peſtis, à ſpiritu tantum gigni: non autem à cuiuſq; victu: illum in hac re conuellit Galenus: aitq; non omnino rectè ab illo dictum fuiſſe, quòd ortus communium morborum in aerem ſolummodo ſit referendus: quando ex fame in Aeno leguminibus veſcentes crura imbecilla habuere: qui verò eruo, illis genua dolebant: nouitq; etiam, quod comeſſe ſemiputridum triticum, famis neceſſitate compulſi quidam, communi morbo ex communi cauſa arrepti ſunt. Sed & exercitus quandoq; dum prauis vteretur aquis, ſimili in omnibus militibus noxa vexatus eſt. Ego autem, an iure magiſtrum reprehenderit Galenus, nunc minimè perquiro: hoc vnum ſat ſcio Hippocratis ſententiam fuiſſe: vt varij morbi à particulari cuiuſque victu ſemper fierent: nec vnquam culpandum hunc eſſe, cum multi homines vno corripiútur morbo tempore eodem. Nuſquam tamen ipſum negaſſe, ex communi victu communes morbos generari poſſe: nam quamquam dixerit, id quod communiſſimum eſt, & quo omnes maximè vtimur, eſſe id, quo reſpiramus, hoc eſt, aerem: non tamen hoc ſenſit, quòd aer ſolùm communis ſit ægrotandi cauſa: ſed quòd omnium maximè ſit communis: nihil equidem prohibens, multa etiam alia poſſe prætcrea eſſe communia. Ergo & Hippocrati, & Galeno conſentaneum eſſe puto, non tantum ex aere, ſed etiam ex corruptis cibis, potibuſq;, ac cætera victus ratione, communes morbos, atque adeò peſtem oriri poſſe. Et quidem, cum eò iam homines peruenerint, vt tritico, ac cerealibus omnibus, quorum nobis familiaris eſt vſus, attritis, herbarum radices, frutices, ac plantas inſalubres eſitare propter famem cogantur, vnde, & mali ſucci gignuntur, & prompta communium morborum origo habetur: nihil mirum, peſtem quoq; excitari inde interdum poſſe. Talem in exercitu Macedonico anno mundi 3664. ex prauis nimirum cibis, quos comedere

m vt ſup. tex. 2-3.

dere milites aliorum inopia cogebantur, ſæuiiſſe memorat Curtius: *n* neque aliter exercitum Mithridaticum vexatum fuiſſe accepimus, *o* dum à Lucullo obſideretur. Teſtis etiam eſt Galenus, *p* ex magna illa fame, quæ ſua tempeſtate plurimas Romano Imperio ſubditas gentes occupauit, peſtem enatam fuiſſe. Atque alibi, poteſt, inquit, *q* efficere morbum vniuerſalem hauſtus aquæ infectæ, quod in caſtris accidiſſe memoriæ proditum eſt. Sed huiuſmodi exempla plura ſunt, quàm quæ omnia huc adduci à me poſſint. Atque hæc cum ita ſint conſtituta, non poſſum tamen interea celebres quoſdam viros non admirari, qui vehementer contendunt, illam tantum verè peſtem dici, quæ cœlitus in nos venit: alias verò omnes, ſiuè ex communi cibo, ſiuè ex terrenis exhalationibus ortæ ſint, impropriè peſtes nuncupari. Ego verò conceſſerim quidem grauiſſimas omnium peſtilentias à cęleſti principio produci: verùm ex inferioribus etiam cauſis enaſci veriſſimam peſtem non poſſe, nunquam illi mihi perſuadebunt. Vt enim cætera argumenta præteream, rem omnem ex ipſa peſtis notione ita ante alia demonſtrabo. Nam, vt ſcripſit Galenus, *r* peſtis eſt quicunque morbus in vno loco multos inuaſerit, ac multos peremerit. Atque alibi, *ſ* quicunq; morbi, aio, multi in vno loco fuerint, ſintq; pernitioſi, peſtem appellant: præter hanc nullam apud Galenum, ac celebres alios authores inuenias peſtis definitionem. Vides hic igitur, duo tantum neceſſariò requiri, vt peſtem ponas: nimirum vt plures in vno loco illa occupat, vtque ex his plures pereunt. Quamobrem ſatis mihi perſuaſum eſt, rationem morbi peſtilentis non eſſe aliam, quàm quod vulgo pernitioſus ſit. Ergo cur ex improba viuendi ratione eſſe peſtis non poterit, ſiquidem communis illa ſit multis, ac magnam partem conficiat? cur non ex potu infectorum fontium? aut ſi quid denique huiuſmodi eſt, vt commune pluribus afferre exitium poſſit? At, inquit, peſtem epidemium eſſe morbum: vt autem epidemius ſit, ex aere originem ducat oportet: ergo niſi ex aere, nulla præterea eſſe poteſt peſtis. Ad hæc ego: non negarim, ſæpè Hippocratem, ac Galenum communium morborum cauſam aerem eſse affirmaſse. Nihil attinet, notiſſima omnibus loca recenſere: attamen ita, aio, aerem cauſam eſse illorum morborum, authores dixiſse: non quòd aliæ etiam non ſint:

n Lib. 9.
o Appi. de bello Mithridat.
p de cib. boni, & mali, &c. cap. 1.
q In proœm. epidem.
r 3. Epid. 3. com. 20. & 1. acut. 9.
ſ 1. Acut. 9.

ſint:ſed quòd hunc frequentiorem eſſe animaduerterint. Cùm tres, inquit Galenus, *t* ſint cauſæ, à quibus morbi auſpicantur; vna quidem in his, quæ offeruntur, altera in his, quæ fiunt, & tertia in his, quæ extrinſecus incidunt: per vnamquamq; ſanè communes morbi fieri conſueuere, præſertim per affectum aeris nos ambientis: alijs enim cauſis neque omnes ſimul obuiamus, neque per integrum diem ſubijcimur: ſed aer ſolus extrinſecus omnes ambit, & inſpiratur: nam qui à cibo proficiſcuntur, ac potu, tum infrequentes, tum cognitu ſunt facillimi. Quòd autem contraria ſententia quibuſdam magis inſederit, inde erroris occaſio deducta eſt, quod pandemios morbos ab epidemijs, ac popularibus genere diuerſos apud Galenum aliquando vſurpatos eſſe arbitrati ſint. Verùm qui illius placita ſtudioſè conſiderant, pandemij nomen tum epidemijs, tum endemijs ſemper comune animaduertent: nam, vt cætera loca prætercam, quæ multa occurrunt, ſatis fuerit procœmium librorum de morbis vulgaribus huc attuliſſe, vbi cum vulgares morbos de genere vniuerſalium ſtatuiſſet: paulò pòſt, inter communes, inquit, alij publici ſunt, quos vocant endemios, alij vulgares, quos epidemios. Ergò vt me tandem colligam, vulgares, ac communes morbi, inter quos peſtis communi omnium conſenſu collocatur, non ſemper ab aere, ſed magna tantum ex parte originem ducunt. Sic interdum læthale dicimus vulnus, ſic læthale ſignum; non quod perpetuò læthum aut inferant, aut deſignent: ſed quod plurima ex parte. Ergo quòd à communi omnium victu, non ſolum ab aere, peſtis excitari poſſit, ſatis hactenus demonſtratum puto: ac ſimul illud etiam, quæ nimirum ſingularum peſtium cauſæ eſſe poſſint: in qua re nihil mihi prætermiſſum eſſe videtur, quod ad hanc notitiam pertineat. Nam quod multæ ex enarratis cauſis ferè ſemper ad peſtilentiam concurrant, notiſſimum hoc eſſe debet. Ideoque clariſſimo hoc exemplo rem omnem ante oculos poſuiſſe ſatis ſit. Carthaginenſium exercitum, inquit Diodorus, *u* poſt direptum fanum Cereris Proſerpinæ peſtilentia inuaſit: acceſſit ad diuinam calamitatem, id quoque, quod plurima hominum millia eodem confluxerant: quodque anni tempus erat ad ægritudines efficaciſſimum: & illa præterea æſtas nimijs feruoribus exarſit: quin & locus in cauſa vehementioris cladis fuiſſe videtur. Ergo vix

t In proœm. epidem.

u Lib. 14.

K eue-

euenire aliquando peſtilentiam puto, quia plurium cauſarum complexus afferri valeat. Demus enim aſtrorum aſpectum cladem hanc principio attuliſſe: non multò pòſt ipſe etiam aer, primæ obediens cauſæ, neceſſaria quadam ſequela inficietur: accedetq; ægrotantium putris expiratio: nonnunquam ex fame internum corporis vitium, ac multa deinde alia, quæ ſeſe inuicem conſequuntur, ac trahunt.

De proprijs ſingularum peſtilentium cauſis.

QVæ hactenus dicta ſunt, noſtro vſui hoc præſtant, vt etiam omnia proponantur, ex quibus peſtium ſingularum ſigna deduci poſſint. Nunc tempeſtiuum eſt, ſingulis ſua indicia ſubijcere, vt inſtitutum pro viribus abſoluamus. A Deo Opt. Max. miraculosè peſtem hominibus immiſſam fuiſſe (quod ſæpè ad expianda hominum ſcelera factum fuiſſe nequaquam dubito) hæc præcipua fuerit nota, quod ſcilicet nullum aliud conſpicuum præfuerit indicium, quod nos de peſtilentia admonere potuerit. Solos illius effectus intueri nos, atque admirari licet: nam cauſas cognoſcere humanæ conditioni datum non eſt. Ergo cùm, peſte ſæuiente, nec aſtra infælicia nos vrgere, nec prauam eſſe aëris conſtitutionem, nec multum in victu communi peccatum eſſe animaduerteris, ſine dubio à Deo tantùm, qui per ſe agat, agnoſcenda ſunt omnia. Sed vt hæc miraculoſa, ita rara etiam eſſe ſolent rerum euenta, quæ non ipſa comitetur natura. Si verò enarratas à me prius aſtrorum coniunctiones, aſpectusq; in cœlo obſeruaueris: de quibus omnibus Aſtrologos conſulendum: qui etiam multò antè tempore calamitates iſtas prædicere ex profeſſo ſolent: cœleſtem reuera peſtis originem duces. Et quamquam hic etiam aerē vitiari, ac permutari tempora deprehendes: nihil hoc prohibet, à cœlo primam tunc originem fuiſſe: non enim animantibus tantum: ſed cæteris etiam corporibus communis iſta vis eſt: hoc tantum plus eſſe iudicabis, quod cœleſti cauſæ terreſtris quoque inſuper acceſſerit. Sed huiuſmodi peſtilentiæ genus igneæ aeris *x* impreſſiones, cometes, ſtellæ cadentes, igniæ lampades, cæteraque huius generis ſimulachra præcedere ſolent: tam multa enim coniunctis ſimul efficacibus, ſtellis è luminibus, ac terræ ſuperfi-

x Auic. lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 3.

perficie exhalationum eductio fit, vt in ſummo aere accenſæ igneas imagines diuerſè oſtendant. Si autem magnas aeris intemperies, & quæ præſertim in calore humoreuè exceſſerint, deprehendes: ab iiſdem peſtilentiæ exordia numerabis, ac cætera deinde adnectes principia, quæ ab his multa ſuboriri neceſſe eſt. Quod verò ex praua temporis conſtitutione, non aliunde in ipſo aere putredo excitata ſit, dignoſces ante alia, vt docet Auicennas, a ſiquidem videris turbiditatem aeris,& nebuloſitatem,vt exiſtimes pluuiam,& inueneris pulueruIentum ſiccum, non cum pluuia: ſiquidem auſter, & ſubſolanus multiplicatur in menſe Decembri, ſcias, quod complexio hyemis eſt corrupta. Peſtilentiam autem æſtiuam malignam, malam ſignificat paucitas pluuiæ, ideſt vere cum frigore: deinde multiplicatur auſter,& conturbatur aer aliquot diebus: deinde clarificatur poſt hebdomadam vnam, & accidit frigus in nocte, & in die calor vehemens: & præfocatio,& conturbatio, & caliditas: tunc iam venit peſtilentia: & ſimiliter quando æſtas non eſt vehementis caloris, & eſt vehementis conturbationis,habens matutina alterata: & ſimiliter quando videris aerem alterari die vno multis vicibus, &c. Sed illud apud authores obſeruabis, nunquam peſtem proprio aeris vitio euenire, quin auſtria vigeat conſtitutio: ac præſertim ſi à ventis ſileat,ac pluuia ſit, cuius imaginē quandam ab Hippocrate expreſſam habes tertio epidemiorum libro. b Hoc tempore citius ſolet eſſe contagium, & ſæuior internecio: adeò vt etiam nihil metuentes inopina mors corripiat. Iactatio etiam minor,ac labes ægrotantes infeſtat: nam vires à rapida veneni malignitate occupatæ ad pugnam cum validiſſimo hoſte inſurgere ægrè poſſunt. Hic etiam, vt ſcripſit Aetius, c volucrium generis prior erit interitus: ac certiſſimum etiam ſignum fuerit, ſi ſub diu veſtes culcitraſque, ac pannos alios exponas: nam ſi ſuper his inſolens quidā mucor, ac ſitus noctu præſertim contrahatur, ſine dubio vitiatus eſt aer. Per hæc etiam tempora, multa terræ naſcentia, quæ ex putri originem ducunt, arguere peſtilentiam poſſunt: ſiquidem magnus ſit, atque inſolitus illorum prouentus. Tales ſunt ranæ, locuſtæ,muſcæ, ſcarabæi,item culices, papiliones, ac ſimilia multa. Verùm ſi quod in aere vitioſum obſeruatur, à terræ meatibus venerit, terræmotus præcedent: magni hia-

a Vt ſuprà.

b Sect.3.

c 1 Tet.lib.1. cap.95.

tus apparebunt: mureſque, inquit Auicennas, d & ſub terra viuentia animalia e ſuis latibulis exibunt: ac quaſi ebria incerto impetu ferentur; & quadrupedes hoc tempore, vt teſtatur Aetius, e interire priores animaduertes: ac ſubterraneæ præſertim domorum ſedes nouam quandam inſalubritatem oſtendent. Quæ verò ab ipſo terræ ambitu aeris corruptela excitatur, omnium maximè conſpicua eſt: nam illa eadem, quæ putredinis cauſam præſtitere, ſui quoque non obſcuras notas exhibebunt: de quibus quoniam ſuo loco ſatis dictum eſt hoc tantum dicam, quod tunc nulla peſtilens aeris conſtitutio ſolet præcedere: ſed quidquid in eo putredinis eſt, id omne ab alieno, inſectoq; vapore proficiſcitur. Si verò peſtilentiæ ſemina in regiones alioquin ſalubres deferantur: venti aliquando in cauſa ſunt, qui à peſtilentibus locis perflauerint, in quibus vel marcida cadauera expoſita ſint, vel putridæ paludes, vel quidpiam ſimile: quæ quidem omnia diligenti ſtudio ſunt perquirenda. Hanc autem putredinem quicunque venti deferre poſſunt, atque auſtri præſertim, à quibus peſtis ſemina non ſolum deferuntur: ſed integra etiam ſuis viribus ſeruantur: nam aquilones putredinem ipſam corrigunt, ac moderantur. Hæc eadem ſemina ſæpè ab hominibus in veſtibus, mercimonijs, rebuſque alijs, quibus inhærere peſtilens hic vapor poteſt, comportantur. Hoc ipſum verò cognoſces, ſi cæterarum peſtilentium ſigna omnia longè abſuerint: contagium dumtaxat, quod per contactum fiat, homines inficiat. Atque in his temporibus magnæ eſſe ſolent ſententiarum concertationes: nam quoniam nec aeris improba conſtitutio, nec victus errores, aut aliæ huiuſmodi cauſæ conſpiciuntur, in diuerſa trahuntur Medicorum opiniones: quapropter ſi quando nulla ſatis probabilis peſtis origo proponatur, magnam alieni, externiq; contagij ſuſpicionem eſſe arbitror. Quæ autem à cibo, potuq; peſtilentiæ proficiſcuntur; infrequentes eas eſſe, ac cognitu faciliimas exiſtimauit Galenus: f nam quæ ſua g tempeſtate peſtis in Italia vagata eſt, promptum erat cuiq; cognoſcere, quòd ex corruptis cibarijs euenerit. Vrgere ſolet tunc fames, cuius neceſſitate aliena multa comeduntur; quæ deinde in peſſimos ſuccos conuerſa, peſtilens vitium corporibus ingenerant. Hæc etiam mitior eſſe ſolet peſtis; ac longius vitæ ſpatium ægrotantibus pollicetur.

d 14. Tract. 4 cap. 3.

e Lib. 11. cap. 95.

f In proœm. epidem.

g De cib. moli, et mali ſucci. &c.

cetur: nam quamquam excellens putredo hic etiam requiritur: attamen quia cibus, improbam licet conditionem ſortitus ſit, nihilo tamen minus neſcio quam cum natura familiaritatem ſubſtantiæ adhuc ſeruat, hoc ipſo lenius venenum in corpore producit. Præterea putrida inſpiratio promptiſſimè ipſum cor, vitæ arcem adoritur: quæ verò ex alimenti putredine excitatur, illuc nonniſi poſt aliquod tempus accedit. In hac etiam peſtilentia ruſtici pauperes, atque infimæ ſortis homines magis periclitantur: in illa diuites, ac præpotentes viri, & qui multis delicijs ſunt innutriti: nam hi corpore ſunt rariore: ideoque externis aeris iniurijs magis obiecti. Hanc etiam vrinæ, quæ humorum putredinis certæ *b* ſunt notæ, potiſſimum arguunt: illam non ita: quoniam ſcilicet, ſpiritus magis inficiunt. Atque hactenus ſingularum cauſarum ſigna breuiter attulimus: nam ſi plures concurrant, ac quaſi in commune malum conſpirent, ex enarratis etiam indicijs, ſiquidem ſimul multa componas rem omnem facilè deprehendes.

b 4. Sanſueda, cap. 4.

Qua ratione præſentem adeſſe peſtem aſſerendum ſit.

NOn rarò vſuuenit, vt non de peſtilentiæ cauſis, ac differentia: ſed potius de ipſo genere perquiramus: cum incertum ſit, num qui morbi in vrbe graſſantur, ad peſtem verè referri debeant. Quamobrem operæpretium fuerit, certa ſigna proponere, quæ nos in veram eius rei cognitionem ducant. Præſtiterit tamen prius, communiſſima quædam meminiſſe: quæ plurima illorum pars, qui peſte laborant, præferre ſolent. Huiuſmodi ſunt, quæ ab Hippocrate primo libro *i* epidemiorum multa recenſentur: nimirum in morbis à principio parum rigere, in ſomnes eſſe, ſitibundos, ac faſtidioſos: grauiter angi: paululum in fronte, & clauiculis exudare: multum delirare: timere, mereri: extrema ſubfrigida eſſe: acceſſiones diebus paribus: ſudores frigidi: extremarum partium liuor: non ſitire: vrinæ nigræ tenues paucæ: alui adſtrictio: ſanguinis ex naribus ſtillicidium. Atque hæc ſymptomata quamuis mirè cacoethe, atque exitialia eſſe teſtetur Galenus: attamen multas etiam peſtilentes febres, quamuis ſine peſte comitari ſolent. Ergo propius naturam peſtis atteſtantur periculæ, ac praui præſertim coloris: item antraces, atque

i Sectione 2. tex. 75.

ante alia bubones in inguinibus maximè naſcentes:ſed etiam & ſub axillis,& poſt aures. Verùm hæc quoque quamuis perpetuò peſtem comitentur: alijs tamen affectibus aliquando communia ſunt Ergo conceſſa prius communiſſima illa peſtis natura: vt ſcilicet plures in ciuitate ſimiliter ægrotent,& ex his plures intereant: duo ſunt, quæ proxima, ac quaſi pathognonomica peſtilentiæ indicia eſſe videri poſſent: contagio ſcilicet, præſertim ſi promptiſſimè labes corripiat, lateq; ſeſe explicet, atque diffundat: ſiq; etiam non per contactum dumtaxat: ſed aliquo etiam interuallo communicetur,(eſſe autem contagium peſtilentis morbi ſignum maximum,atque peculiare, non obſcurè Ariſtoteles prima ſectione *l* problematum memorauit.) Secundum verò fuerit ſignum maturus ſimul interitus: qui quidem, vbi deterrima ſunt omnia, ſæpè repentè contingit: non rarò tertio, quartoque, aut quinto etiam die. Braſauolus * verò, ferè omnes, inquit, qui in peſte periclitantur, vt plurimum ſexto die emoriuntur. Rarò autem vltra ſeptimum protenditur exitium.Quamquam Lucretius *m* in magna illa peſtilentia hunc etiam terminum euaſiſſe ægrotantes teſtatus ſit: ait enim:

l Probl 7.

** In 2. Aph. 24.*

m Lib. 6. de rerum nat.

Octauoq; ferè candenti lumine Solis,
Aut etiam nona reddebant Lampade vitam.

Addunt aliqui *n* magnum peſtilentiæ ſignum eſſe, ſi multæ, ac nigræ veſiculæ: & quibus diruptis citrinus humor emanet, toto corpore excitentur: omniumq; adhuc certiſſimum, ſi in præcordijs ingens æſtus ſentiatur: cum reliquæ tamen partes immunes à caliditate eſſe videantur. Præterea ad notandum hoc etiam eſt, quod vigente adhuc peſte, rariſſimi alij morbi, qui ex putredine ortum habeant, per vulgus graſſari ſolent: nam ſi qui ſunt,ferè in peſtem degenerant.Itaq; longo etiam vſu compertum eſt, cum eiuſmodi ægritudines apparere incipiunt,peſtis breui duraturæ, aut iam deſinentis argumentum eſſe. Sed cum hæc in viuentibus conſpici ſoleant: ipſa tamen mortuorum corpora non obſcurum aliquando peſtis indicium præbent: ſiquidem inſolitum quendam liuorem præ ſe tulerint: & aures,nareſq;, labra,teſtes,dorſum,ac digitos,aut liuidiores, aut nigriores gerant. Et quamquam multis hæc

n Fallop. de bub. peſt. c. 3. & Franciſc. de Alex. lib. de peſte.

etiam

Digitized by Google

etiam alijs, quæ ſine peſte emortui ſunt, propria eſſe contendas: hoc tamen diſcernes, quòd in ſtatu peſtilenti citiſſimè hæc ſigna per corpus apparent: atque aliquando dum adhuc ægri animam agunt: ſicuti etiam ingens fœtor, ac tumor hypochondriorum: quæ duo viuentes etiam nonnulli præſeferre ſolent. Obſeruat etiam Ioubertus, a certiſſimum peſtilentiæ ſignum eſſe: ſi mortuo papulæ erumpant nigræ, aut liuentes: & adhuc certius, ſi tumores iiſdem ſuboriantur, qui in viuis latuerant: itq; papulæ, quæ retroceſſerant, appareant, cadauere iam feruenti aceto abſterſo. Atque hæc in peſtilenti ſtatu dignoſcendo, ſi quando ſententiam laturus es, abunde iam fuerint. a *Lib. de peſte.*

Qua ratione publicorum eduliorum vitia in ciuitate aduerti debeant. Cap. IIII.

Scribendi occaſio.

QVAM multa, quàm grauia detrimenta ex inſalubri quorundam ciborum vſu, quibus publicè in ciuitate victitamus, nobis eueniant, non eſt, cur pluribus dicam. Satis conſtat, tam noxia interdum, ac vitiata edulia publico victui proponi: tam imprudens quoque eſſe vulgi conſilium, atque in rebus eligendis imperitum: vt neſcij complures quid eligant, quid dimittant, ſæpè deterrimis ſeſe explent alimentis: ex quibus communiſſimi interdum morbi ac peſtilentes quoque in ciuitate graſſantur. Quocirca inter multas curas, quibus detineri, occupariq; magiſtratus, ac reipublicæ rectores debent, non vltimum arbitror, vt ſalubriter in hoc viuendi genere ciuitas valeat, atque ab huiuſmodi offenſis immunis ſeruetur. Et quamquam commune multorum ciuium ſtudium in id vnum incumbere ſemper debet, vt communi valetudini conſulatur: hoc tamen ſine medicorum conſilio, qui tuendæ ſanitatis ſoli vbique artifices ſunt: ac omnium alimentorum facultates tenere ſuo iure debent, fieri nequaquam poteſt. Quamobrem vt hac in parte iuniores Medici reipublicæ ſatisfacere aſſueſcant, erudiendi nunc ſunt, admonendiq;, vt, ſi vnquam opus ſit, communia

cibo-

ciborum, ac potuum damna aduertere, ac declinare: omninmq; ſaluti proſpicere valeant.

De tritici, ac reliquorum cerealium ſeminum; itemq; & leguminum vitio aduertendo.

TRiticum, cuius omniū cōmuniſſimus eſt vſus: ſi quid vnquam contrahit vitij, omnibus quoq; cōmune illud eſſe neceſſe eſt. Nouimus, inquit Galenus, a quod comeſſe ſemiputridum triticū famis neceſſitate compulſi quidam, communi morbo ex communi cauſa arrepti ſunt. Et quidem promptè nobis triticum damnoſum redditur: nam authore Plinio, b facilius omnibus leguminibus putreſcit: vt iam propterea quicunque ſeruandæ valetudini ſtudet, non vulgari diligentia reponendum illud curabit. Ergo ſi diutius in granarijs, atque horreis aſſeruetur: hoc eſt, vt ſæpè experti ſumus, vltra biennium, curculione exedi manifeſtè deprehenditur. Neque enim ea nunc habemus granaria, qualia ſuis temporibus fuiſſe, Varro c memorauit: ſublimia ſcilicet: vento ab exortu, ac ſeptentrione perflata: ad quæ nulla aura humida à propinquis locis aſpiret: & quorum parietes, ſolumq; opere tectorio marmorato loricentur. In his enim fateor diutius triticum aſſeruari potuiſſe. Nunc tamen huic vſui præſtant putei, quos vulgo forſas vocamus: quos ſcilicet neq; humor, neque externus aer attingit: ideoque nec curculio arrodit: ſeruaturq; in his conditum triticum, vt ſcripſit Varro, d vel annos quinquaginta: modo quidem arida ea ſint loca, atque arenoſa: nam ſi quidpiam humoris receperint, diu illæſa ſeruari non poſſunt: atque eam contrahere putredinem ſolent, quæ nec mola, nec fermento, nec igne corrigi valeat: difficile etiam diu ſeruari integrum poteſt, quod in area manifeſtè maduerit: tale enim etiam in puteis citiſſimè humeſcit, ac putreſit, arctis nimirum, atque anguſtis locis incluſum: nam in horreis, ſpatioſiore ſcilicet loco: & in quo huc, atque illuc transferri identidem ſolet, crebra iſta ventilatione tardius putredinem, ac curculionem ſentit. Hæc autem tritici putredo ita interdum conſpicua eſt, ita omnibus patet, vt quid agendum ſit, neminem lateat: nam quod ita affectum eſt, igni potius, quàm hominibus præſtare pabulum debet: non rarò autem

a De natura hum. 3.

b Libro 18. cap. 30.

c 1. De re ruſt. 57.

d Vt ſuprà.

autem obſcura quædam contrahitur malitia, quæ emendari poſſe quibuſdam videatur: quæ res quoniam in conſultationem cadere ſolet: ideò olfactus, guſtusq; præſertim eſt conſulendus: nam quod triticum vſui non eſt, maleolens, atque acre deprehenditur. Atque hoc libere à communi victu abdicandum cenſeo. Quamquam ne quidquam temerè agas, præſtabit, vt rem omnem penitus explores, & molere, & ſubigere, & panes etiam conficere: qui deinde quales ſint, ſeſe facile prodant. Atque interim id tibi memoria firmiter tenendum eſt: nimirum, triticum, ab eoque confectos panes, deterrimum eſſe edulij genus, cum aliquam contraxerit putredinem: ac tam nobis inimicum, quàm familiare etiam, cùm integrum, incorruptumq; ſeruatur. Neque aliud arbitror ſignificare Auicennam *e* voluiſſe, cum ſcripſit impedimentum panis, cùm non digeritur, multum eſſe: non ſic autem carnis: quod etiam in omnibus boni ſucci alimentis, ſi quando in alienam qualitatem degenerant, vſuuenire veriſſimè memorauit Hippocrates. *f* Nec puta, quod tamen aliqui temerè crediderunt, contractum in tritico vitium putredinis, poſſe alia coctione tolli, qualis in bis coctis panibus, ac nauticis fieri videtur: nam tam penitus inhærere, atque obfirmari illud videtur: vt ne aſſati quidem panes priorem noxam deponant. Præterea hoc tu aliud in tritico vitium aduertes, atque amouebis: cum ſcilicet lollij multa copia illi connaſcitur: ſtudioſè enim ſecernendum curabis. Cum enim praua, inquit Galenus, *g* fuiſſet anni conſtitutio, lollium affatim tritico innaſci contigit: quod cum neque agricolæ accommodatis ad eam rem cribris, exactè perpurgaſſent: neque piſtores, quòd paucus eſſet tritici prouentus: ſtatim quidem multis caput dolere cœpit: ineunte verò æſtate incute multorum, qui comederant, vlcera, aut aliud quoddam ſymptoma, quod ſuccorum prauitatem indicaret, eſt ſubnatum: non agitur, inquit, oportet nos in purgandis ſeminibus, quæ ad eſum comparantur, eſſe negligentiores: perſuaſos etiam ſi noxam, quæ quotidie fit, ob exiguitatem ſenſu non percipimus, quod tamen longo tempore ex ipſa coaceruatur, deniq; erupturum. Atque hæc Galenus, qui nos non ſolum de expurgandis ſeminibus rectè admonuit: verùm etiam quæ ſymptomata lollium afferre ſolet, ne aliquando ſimilis nos fallat occaſio, diligen-

e 3. p. Doc. 2. cap. 7.

f Lib. de affectionibus.

g 1. Aliment. cap. 37.

L ter

b 1. *Diff. febr.* 3. ter ante oculos ponit. Præter hæc autem tritici vitia, rubigo [b] etiam aliquando in primo ortu ipſum occupat, (cœleſte malum vocat Plinius, [i] ac nullo minus noxium) ita igitur vitiatum triticum ſiquã æſitare ciuitas cogitur: quod quidem in magna annonæ caritate euenire non raro ſolet, multa etiam videas morborum genera populariter vagari: nonnulli enim à putridis, [l] ac peſtiferis febribus intereunt: aliqui poſtulas inſtar ſcabiei, ac lepræ in corpore contraxerunt. Quamobrem ſi euitare tale triticum liceat, ſaluberrimum fuerit: ſin minus, ſat eſt, quæ inde euenire ſolent mala, ſaltem præuidiſſe. Hordeum verò in panificij vſu proximum tritico eſt: quod etiam in cibis fuiſſe antiquiſſimũ teſtatur Plinius, [m] ac panem inde confici ſolitum: quamquam vita deinde damnauit. De hoc nihil eſt, cur multa dicam: nam tametſi hordeaceus [n] panis nimis excrementoſus eſt, ac parcè craſſeq; nutriat: attamen quia famis aliquando ſubſidium præſtat: quidquid id eſt, pro gratia potius habendum. De cæteris verò cerealibus ſeminibus: Zea, Secale, Panico, Milio, ac ſimilibus nonnullis, nihil hic memoro: nam quamquam panes alicubi inde confici ſolent: attamen quia nec tam facilè putreſcunt: nec in tam communem vſum deueniunt: vt iam facilè carere illis ciuitas poſſit: propterea nihil attingo. Legumina autem, cicera, fabæ, faſcoli, lentes, & ſimili, quoniam non ita nobis neceſſario ſunt vſui: minorq; illorum prouentus eſt, quam qui vltra hyemem aſſeruetur: ideò raro illa vulgo vitioſa venduntur: ſi autem fiat, vt in magna ſterilitate inde etiam neceſſarius victus comparetur: ſciendum quidem eſt, exiguum excrementoſum, flatulentumq;, ac prauum omnino eſſe alimentum, quod inde præſtatur: attamen ſilent tunc medicinæ leges, vbi fames vrget neceſſitas. Sic igitur Aeno leguminibus veſcebantur, quamquam crura imbecilla fierent: & eruo etiam tametſi his genua dolebant. Attamen quia nihil illi præterea quod comederent habebant: ſatius eſſe rebantur, prauum aliquid, quam nihil omnino eſſe.

i *Lib. 18. cap. 17.*

l *Gal. vt ſup.*

m *Libro 18. cap. 7.*

n *De attenuan. dicta, c. 6.*

De vitiatis carnibus agnoſcendis.

ANimalium carnes, & in frequenti vſu ſunt, & vitium ſæpiſſimè contrahunt: vt diligens propterea danda opera ſit,

ſit, ne ex publico illorum vſu, ſi quando vitientur, publicum quoque damnum in ciuitate contingat. Porrò animalia, quorum carnibus quotidie veſcimur, & ſuſpectæ aliquando ad valetudinem eſſe poſſunt, cum ſcilicet alienam acquirunt naturam, inter greſſilia boues præſertim ſunt, ſues, verucces: ſæpè etiam & capræ, & oues, & hirci. Atque horum caro ſi recens ſit, nulloq; externo vitio contaminata, ac ſuo quçq; tempore æſitetur, vſum præbent valetudini: nam quamquam caprilla, ouillaq;, & hircina minus boni ſit alimenti: ruſticis tamen corporibus, & quæ illi diu aſſueuerint, aut planè ſalubris eſt, aut non ita certè improbanda, vt hoc in loco ratio illius habenda ſit. Sed in hac re adnotanda eſt Galeni ſententia, qui ad carnium, inquit, *o* concoctionem nonnihil refert tum conſuetudo: tum verò non minimum earum carnium, quæ aſſumuntur, parſimonia: ac denique ipſa totius corporis inanitio, quæ illis neceſſario accidit, qui quotidiè in priuatis operibus ſeſe conficiunt: carnes enim inanitæ rapiunt ex ventre ſuccum non modo ſemicoctum: ſed nonnunquam etiam omnino crudum, atque incoctum, cum cibo aſſumpto, operibus ſeſe reddiderint: quod autem eorum plerique, qui laboribus ſe confecerunt, à prauis cibis minus lædantur, in cauſa eſt, quod his ſomni ſunt profundiores: quæ res ad concoctionem multum confert momenti. Sed cum hæc Galenica veriſſima vbique ſint: attamen ruſtici, & qui ſe immoderatè exercent, intempeſtiuæ huius generis concoctioni haudquaquam fidere debent: nam de illis idem *p* loquens: ob hanc, inquit, cauſam hi grauiſſimis morbis prehenduntur, & ante ſenectam intereunt: quod etiam ſi ipſos plures ordine noctes inſomnes ducere coegeris, morbis ſtatim corripientur. Et alibi, *q* ob eam, inquit, cauſam omnibus praui ſucci edulijs cenſeo abſtinendum: etiam ſi ea quibuſdam concoctio ſint facilia: quòd ſcilicet praui ſuccus ſemper eandem retinent naturam: quò ſit, vt vitium in venis colligatur: ac poſtea exiguam ad putredinem occaſionem nacti febres malignas accendant. Verum cùm hæc ita ſe habeant, ſunt etiam certa quædam anni tempora, in quibus animalium carnes aut ſalubrius præbent alimentum: aut minus noxæ certè eſſe reputantur. Ergo cùm propria alimenta, & quibus ante alia gaudeant, abundè ipſis ſuppetunt, optima ad nutriendum, atque ad valetudinem op-

o 1. *Aliment. cap.* 2.

p *Vt ſuprà.*

q 2. *Aliment. cap.* 6.

Digitized by Google

13. Aliment. cap. 2. portuna eſſe cenſentur. Quamobrem veriſſimè Galenus. Quemadmodum,inquit,animalia,quibus alimenta omnia affatim præſtò ſunt, longè ſeipſis in cibo euadunt præſtantiora: ſic deteriora fiunt,quibus ea minus adſunt. Boues igitur,quibus herbas altiores paſci eſt naturale,tunc manifeſtè fiunt obæſiores,ſucciq; melioris,cum herbæ augeſcunt,ac denſeſcunt, & ad ſemen producendum feſtinant: nam hyeme vereq; primo,ac medio fiunt graciliora,& praui ſucci. Oues autem quia humili herba nutriri queunt, primo, ac medio vere ſunt præſtantiores: æſtate autem prima,ac media capræ: cum ſcilicet fruticum germina, quibus ipſæ veſci ſolent, ſunt frequentiſſima. Sues autem domeſticos, quia glande illi vnicè delectantur, ideò hyeme præſertim ſalubriter eſitamus. De his etiam *1. Collectan. cap. 3.* omnibus non minus diligenter egit Oribaſius: nam, ſues, inquit, verno tempore, vſque ad occaſum autumnalem Pleiadum ſunt peſſimi,ex eo vero tempore vſque ad vernum tempus optimi; capræ hyeme peſſimæ: verè autem vſque ad Arcturi occaſum eſſe meliores incipiunt. Pecudes quoque hyberno tempore ſunt peſſimæ; poſt æquinoctium verò vſq; ad ſolſtitium æſtiuum pingueſcunt. Boues verò cum herba fructum ferat, & finito vere, & per æſtatem totam. Ex auibus nonnullæ per hyemem ſunt optimæ, quæ nimirum hyeme apparent, vt merula ſturnus, & palumbus. Attagenes verò, & atricapillæ autumno præſtant, itemq; ficedulæ, & luſcinia, & coturnices eo tempore ſunt pinguiſſimæ. Galli verò gallinacei hyeme non admodum corpore augentur: & præſertim in auſtrinis locis; turtur verò autumno excellit. Ex piſcibus prægnantes optimi ſunt, caris,carabus,& mollles ſepia,& loligines: alij verò, cum ouis incipiunt incubare, & capitones. Cum verò fætu pleni ſunt,tenues ſunt,& non nutriunt:& multò etiam magis, cum partum ediderunt. Tynnus autem poſt Arcturum pinguiſſimus eſt: æſtate verò eſt deterior. Ergo quo quæque tempore præſtent animalium carnes,ſatis hactenus demonſtratum puto. Quamobrem ſi fiat, vt æſtate, verbi gratia, ſues, ſiuè aliorum animalium penuria, ſiuè alia etiam de cauſa ad publicum vſum mactentur: noſtræ tunc fuerint partes, quam malè ciuitas inde ſit habitura, palam profiteri. Nam humidiſſima caro in magno æſtum inflammabilem ſuccum præbet, ac putredini aptiſſimum. Sic etiam ſi media

hyeme

Digitized by Google

hyeme proponatur ouilla, caprinaué: etenim quòd hæ diffi-culter, & deterrimè tunc nutriant, è re publica omnino fue-rit, illas euitare, ac palam damnũ exponere. Hircorum etiam caro, quamquam ineunte æſtate optima paſcua ſortiantur: attamen quia tunc coitu ferociunt, & excandeſcunt, vnde carnis fœtor plurimus, ſuccusq; acerrimus generatur: tutius eſt, ſi illo tempore abſtineas. Sed hoc in loco non inutiliter admonendi ſunt mihi iuniores Medici, quàm plurimi interſit, in iudicandis alimentorum facultatibus, aſſumentium tempe-ramenta, ac naturas intueri: nam cum meſſoribus aliquando hircorum caro publicè proponeretur, multiq; illam improba-rent: quòd ſcilicet duriſſima eſſet, ac peſſimi omninò ſucci: indignaq; propterea, quæ in publicum vſum veniret. Res ad magiſtratum delata eſt: ac mea, aliorumq; medicorum roga-ta ſententia. Ego autem, qui operarios valido eſſe tempera-mento probè ſciam; ac ventriculo ad concoquendum ante alios robuſto: quiq; vulgaria hæc cibaria, ac ſucci deterioris & libenter aſſumant, & optimè etiam conficiant: delicatiora verò, ac magis laudata exiguo profectu eſitent: atque ea, quaſi multa flamma exiguum fomitem, diſſipent, & in hali-tum vertant. Cumq; etiam minimè ignorem, hoc genus ho-minum longa annorum conſuetudine improbis his edulijs plurimum aſſueuiſſe: his omnibus de cauſis hircos publicè mactari, ac meſſores innoxiè eſitare poſſe, etiam propoſita relatione oſtendi. Nam quòd duriſſima illorum ſit caro, & ægrè concoquatur, hoc ipſum vrbanis tantum hominibus ne-gotiũ faceſſeret: nam ruſticorum valida, ac penè ferrea natu-ra hanc difficultatem contemnit: præterea verò ſi quid vitij eſt: nam neſcio quid ſapiunt viroſi, ac malè olent: id quoque alteratricis robur, quæ in quibuſdam animalibus etiam lapil-los euincit: item longa in duris cibarijs conſuetudo, quæ ad naturalem familiaritatem proximè accedit, adeò in melius vertit: vt hoc nomine etiam deterrima quæque commendari ſoleant. Diligenter igitur conſiderandum quibus hominibus qui cibi proponantur: nec artificis eſt, nullo diſcrimine de alimentorum facultatibus quidquam determinare. Ergo v-nius hoc hircinæ carnis exemplo, quid de cæteris dicas, non obſcurè eadem ratione conijcias licet. Verùm de his carni-bus, quæ nullo adhuc externo vitio correptæ ſunt, ſatis hoc

dictum

dictum puto. Supereſt nunc, vt ſi quando aliena aliqua putredo illas contaminarit, quid tum medico ſentiendum ſit, in medium adducam. Porrò boues, captæ, & cætera animalia, quorum carnes eſui aptę ſunt, aut venenoſas herbas, paſcuauè læthalia comedentes intereunt: aut interno omninò vitio labefactata. Vtrum libet, ſemper euitandæ: præſtat tamen, vt hoc interim admoneam, viuentia adhuc iugulare, ac cruorem totum diffundere; ſiquidem ne carnes penitus inutiles fiant: nam, cum iam vltro conciderunt, facilè veneni, ac morbi vis in corpus vniuerſum irrepſit: quod ipſum etiam arguere aliquando manifeſtus poteſt fœtor: tam magna enim putredo contrahi in his ſolet, vt inde peſtilentiſſimus tabus: atque ad inficiendum promptiſſimus ſæpè deſtillat: ſcio enim eueniſſe non rarò, vt iumenta ipſa, quæ morticinas huius generis carnes ſubueherent, breui interirent: læthali illo ſcilicet illito cruore, aut mala vtcunque transfuſa qualitate. Fieri etiam ſolet, vt veneno ab animali aſſumpto, aliqua tantum viſcera vitientur, nihil carnoſo genere oblæſo: quod quidem ex viuido eorum colore, odoreq; non ingrato facilè deprehendes. Memini enim nonnullos quondam pauones, deuorato veneno, quod muribus apparatum fuerat, enectos fuiſſe: illosq; innoxiè conuiuas eſitaſſe, quoniam & incorrupta caro eſſet, & viſcera tantum, inteſtinaq; videbantur corroſa. Prætcrea memoriæ proditum *t* eſt, venatores Hiſpanos ita radicum albi veratri ſucco ſagittas inficere ſolitos eſſe, vt præſentaneo veneno feras quidem conficiant: ſed quorum tamen carnes nihil comedentibus ſint obfuturæ. Et galli, teſte Plinio, *u* teneriorem reddi carnem affirmant, ſi venatum tinctis in eodem ſagittis capiant, circumciſio vulnere. Et Dacos, Dalmataſq; ita cuſpidibus *x* Elenium, & Vinum dictum oblinire ſolitos fuiſſe meminit Paulus, *a* vt, vbi id ſanguini vulneratorum obuenerit, hominem occidat: comeſtum verò ipſis innocuum eſſe, & nihil mali efficere. Sed illud prætereundum ſilentio non eſt, quod prodidit Plinius, *b* quædam ſcilicet animalia, innocua alioquin, venenatis paſta, noxia fieri, & ipſa: nam apros in Pamphylia, & Ciliciæ montoſis, ſalamandra ab his deuorata, qui edere moriuntur: nec eſſe intellectum vllum in odore, vel ſapore. Quocirca diligenter eſt aduertendum, ne carnes animalium, quæ venenatis veſci famili-

t Matthiol. in 4. Dioſcor. cap. 146.

u Lib. 25. c. 5.

x Lib. 6. c. 88.

a Lib. 11. cap. 53.

liariter ſolent, tum facilè in cibum vbique aſſumantur: nam tametſi veriſſimum eſt, quodcunque animal in familiarem ſibi ſubſtantiam cibos conuertere: illud tamen nihilominus compertum eſt, c affici nos etiam à cibis aſſumptis, atq; alterari, quæ deinde alteratio etſi modica eſt, tractu temporis notabilis fit. Ergo illa animalia, quæ huiuſmodi venenata depaſcuntur, ſemper venenoſi aliquid retinent: quod quamquam illis familiare eſt, aſſumentibus tamen noxium ſit futurum. Sic puellam memorat Auicennas, d quæ veneno nutrita reges interficiebat contactu: ſic in quibuſdam carnibus aut ſaporem, aut odorem aſſumptorum ſeruari obſeruamus: vt eorundem etiam vim, ac naturam ibi vigere credendum ſit. Arguit hoc etiam multorum animalium lac; quod pro diuerſa ciborum conditione, aut purgatorium, aut refrigerans, aut aliter affectum identidem experimur. Quæ autem veneno familiariter victitent, ac propterea ad edendum ſuſpecta interdum ſunt animalia, ſunt ex volucribus coturnices, quæ veratrum: anates, quæ buffonem: ciconiæ, quæ viperas: ſturni, qui cicutam: item ardeæ, & meleagrides: quamobrem cauendum eſt, ne illis temerè vtamur: ſiquidem in his locis degerint, quæ huiuſmodi venenorum feracia ſint. Sic ergo ſuſpectæ ſemper fuerint coturnices, ſi in locis veratro abundantibus capiantur: ſic ſturni, vbi cicuta eſt plurima. Vt mirum non ſit, inquit Paræus, e ſi ex tali imprudentia mortes interdum repentinæ contingant. De his igitur animalibus ita iudicabis: nam quæ à mortiferis reptibilibus enecta ſunt, quoniam efficaciſſimum illorum venenum eſt, ac citiſſimè totum ani-animal pabulatur, nullus illorum eſſe vſus debet: quemadmodum etiam quæ à rabido cane commorſa, aut eius etiam ſaliua contacta fuerunt: hæc f enim in rabiem ſimiliter aguntur: ac carnem propterea eſui ineptiſſimam reddunt.

c Gal. de conſuet. cap. 2.

d 6. 4. Tract. 1. cap 3.

e Lib. 20. c. 4.

f 8. De hiſt. anim. cap. 22. & 6. de loc. aff. 5.

De vitiatis piſcibus agnoſcendis.

PIſcium verò non minor cura gerenda eſt. Ergo, vt publico proſpicias regimini, ſiquidem de illorum præſtantia aliquando dicendum ſit, ignorandum non eſt, piſcium g carnes, qui in aquis limoſis, ac ſordidis degunt, excrementitias eſſe admodum, & mucoſas: malas etiam illorum eſſe, qui in mari quieto,

g 3. Aliment. cap. 25.

quieto, & nullis fluctibus agitato verſantur: in ſtagnis autem maritimis adhuc eſſe deteriores: & his adhuc magis in ſtagnis, quæ ſi parua ſint, nec magnos fluuios recipiant, nec fontes habeant, nec largum effluuium, multò profectò ſunt deteriores. Peſſima etiam ſunt ſtagna, ex quibus nihil aquæ omnino effluit: ſed ſtabilis eſt, ac planè immota: omnium verò deterrimi ſunt, qui in fluminibus vrbem magnã præterfluentibus, hominum ſtercoribus ac prauis id genus eſcis victitant. Hi enim ſi paulò diutiùs mortui permanſerint, ſtatim putreſcunt, & peſſimè olent. Iſti autem in cibo ſunt iniucundi, & ad coquendum difficiles: exiguumq; boni quidem alimenti: excrementi autem plurimum reddunt. Quare mirum non eſt, ſi prauum ſuccum in eorum corporibus, qui quotidie illis veſcuntur, congerant. Hos etiam, inquit Galenus, [b] aere vti deteriore, minoreq; natatione, & alimento peiore: maximeque ſi ex magna vrbe profluat aqua, quæ cloacæ, balnea, & culinæ repurgantur, veſteſq;, ac lintea eluentium ſordes. Caro namque piſcium in aquis huiuſmodi degentium deterrima omnium fit. Atque hæc de piſcibus Galenus: quæ quidem diligenter aduertenda ab his ſunt, qui publicæ valetudinis ſtudioſi eſſe videri volunt. Neque enim tam facilè quicunque hæc intueri, ac proſpicere poſſunt. Etenim qui recens capti ſunt piſces, vndecunque fuerint, ſatis hoc, vt ſalubres exiſtimentur, vulgus credit: nam cum publicè malè olidi piſces venduntur, & quos etiam alienus color vitiatos arguat, quiuis è populo aduertere, atque euitare poteſt. Conſpectum eſt aliquando magnam piſcium vim ſpontè in litus electum fuiſſe: quibus tamen abſtinere ipſe omnes ſuaſerim: nam vel maligno vapore aliquo ab imo propellente: vel certè morbóſum aliquid perferentes è ſuis ſedibus malè affecti piſces deturbantur. Memoriaq; proditum [i] eſt, M. Aemilio, L. Aurelio coſſ. ad inſulam Liparam mare efferbuiſſe: ac piſcium vim magnam exanimem diſperſiſſe: quos Liparenſes auidius epulis appetentes, cõtaminatione ventris conſumptos fuiſſe: ita vt noua peſtilentia vaſtarentur inſulæ. Illud autem non minus periculum affert, quòd piſces in infecto aliquando gurgite, ſparſa ſcilicet ephemero herba, aut è lacticinotis aliqua capiuntur: ſic enim peſſimi ſucci eos euadere, atque omnino improbandos, ſatis mihi eſt perſuaſum. Et quamquam doctiſ-

ſimus

[b] *De ſuccor. bonit. cap. 9.*

[i] *Iul. obſeq. in prodigijs.*

ſimus Mercurialis *l* conſultus aliquãdo, num hoc piſcium genere impune veſci liceat, nihil certi reſpondet: ambigitque num aſperſa ephemero piſces verius occidantur, an potius in vertiginem acti, ſuper aquam veternoſi ferantur. Mihi tamen compertum eſt, huiuſmodi piſces, & citius alijs interire, & promptius putreſcere: vt de eorum malitia minimè dubitandum ſit. Idem fermè iudicium de illis feres, quos in his aquis piſcamur, vbi linum diu maduerit, & canabis, ſpartumque: peſſima enim hæc aqua eſt, & quam ne piſces quidem ferre poſſint. Quamobrem nunquam ad publicum vſum illos exponi facilè patiere. Ideoq; diligens ſemper cætariorum habenda eſt cura: nec minus etiam laniorum: ne illos ſcilicet quæcunque vendere liberius liceat: obeſſe enim ciuitati plurimum poſſunt: nam & ſordidum eſt, ac vile hominum genus lucriq; dumtaxat ſtudioſum.

l 3. Tom. conſultat. 6.

Quæ animalium carnes inter reliquas alendo præſtent: & quibus quæq; hominibus magis conueniat.

HActenus quæ carnes, quibus potiſſimum temporibus vulgo eſitandæ, ſatis pro noſtro enarrauimus inſtituto. At quia, dum hæc præcipit medicus, plerumque etiam, quæ his ad alendum præſtautiores, & quæ quibus hominum naturis magis conueniant, à nonnullis requiritur. Ideò non aliena, neque inutilis digreſſio fuerit, paucis de hac re interea meminiſſe. Ergo illud in vniuerſum præfari lubet: quoniam carnium hæ quidem plus nutriunt, illæ verò minus: tenuem nonnullæ, ac fluxilem, aliæ craſſiorem, nec facilè diſſolubilem ſanguinem gignunt: non ſemper præferendas eſſe, quæ plus alunt, aut certam quampiam ſucci naturam ſortiuntur: nam, vt optimè nos Celſus *m* admonuit, vtendum eſt materiæ genere pro viribus: quamobrem, inquit, imbecillis hominibus rebus infirmiſſimis opus eſt: mediocriter firmos media materia optimè ſuſtinet: & robuſtis apta validiſſima eſt. Præterea quicunque *n* humido ſunt temperamento, humidis quoque cibarijs ante alia gaudebunt: qui ſicco ſiccis: atque eadem in cæteris ratio ſeruanda eſt: modo ſcilicet integra valetudine homines perfruantur: nam qui prauam temperiem ab initio ſortiti ſunt, vel poſt acquiſiuerũt, eſus contrariorum vtilis eſt.

m Lib. 2. c. 8. & Hippoc. de affect.

n 3. Aliment. cap. 41.

M Qui

Qui etiam denſo ſunt corpore, & minimè perſpirabili, (diligenter hoc notandum eſt tibi) alimento opus habent humidiore, tenuiore, & vberiore: qui verò raro, & quod facilè diffletur, ſicciore, glutinoſiore, & minore egent. Item qui ſanguinem habent plus iuſto malancholicum, calidis, & humidis alimentis opus eſt: ſicuti frigidis, & humidis, his, qui bilioſiorem: qui pituitoſum calidis, & ſiccis: quibus verò ſanguis bonus multitudine excedit, pauciora alimenta ex vſu ſunt quidem: ſed quæ in omnium qualitatum medio conſiſtant. Sed illud etiam ſilentio prætereundum non eſt: quonam tria ſunt animalium genera, quorum carnes nobis alimentum ſubminiſtrant: greſſibilia, volatilia, & piſces: diuerſa eſt omnium natura: nec nos ſimiliter aut nutriunt, aut afficiunt: nam ex quorundam *o* ſententia volucres minus habent terreni, minus humoris, caloris temperatè, & aeris multum: igitur leuioribus principijs compoſitæ, facilius in aeris impetum nituntur. Aquatiles autem piſcium naturæ, quòd temperatæ ſunt à calido, plurimumq; ex aeris, & terreni ſunt compoſitæ, ſed humoris habent oppidò quàm parum: quò minus habent è principijs humoris in corpore, facilius in humore perdurant: itaq; cum ad terram perducuntur, animam cum aqua relinquunt. Item terreſtria quòd è principijs ab aere, caloreq; ſunt temperata, minusq; habent terreni, plurimumq; humoris, quòd abundant humidæ partes, non diu poſſunt in aqua vitam tueri. Sed hæc placita quamquam probabilia eſſe quiſpiam crediderit, reiecta tamen ſunt magna ex parte à communi philoſophorum conſenſu: monſtratumque eſt ab Ariſtotele, *p* vnumquodq; genus non in contrarijs, ſed in proprijs locis maximè ſeruari. Ergo, vt veriora afferantur, volucres *q* ſicciore ſunt temperatura: alimentum præbent, non illud quidem multum, ac validum nimis: ſed tamen, quod minus habeat excrementi, nec ita facilè diſſoluatur. Ergo ſiccioribus naturis, & qui ſedentariam vitam ducunt: aut his etiam, quos humida, frigidaue intemperies malè habet, magis conueniunt. Piſces *r* verò frigidiorem generant ſuccum, & qui celeriter diſcutiatur, ac ſanguinem faciunt tenuiorem: ideoq; humidis naturis, aut qui intemperatam habent calorem, nec adeò multum exercentur, magis ex vſu ſunt. Vt putem propterea ſalubriter ſibi quoſdam monachos conſuluiſſe, qui ſcilicet nullo

o Vitru. lib. 1. cap. 4.

p De reſpirat. cap. 13.

q 6. Epid. 4. com. 26.

r 3. Aliment. cap. 26.

lo corporis labore, diuinis tantum meditationibus, longè ab hominum commertio indulgent; dum nimirum cæteris carnibus abſtinentes, piſcibus tantum veſcuntur: nam ſi in multa illa corporis quiete, otioq; validius nutrimentum aſſumerent, facilè in plenitudinis morbos inciderent. Greſſibilia autem humidiora auibus ſunt, ſicciora piſcibus, ac plurimum omnino, & firmiſſimum dant alimentum, ideoque robuſtiſſimis quoque hominibus, & magnis laboribus aſſuetis aptiſſimus eſt illorum vſus. Ex his igitur facilè conſtare arbitror, quàm errent, qui nullo diſcrimine de carnium præſtantia, ac conuenientia pronuntiant: neque enim ſatis eſt nouiſſe, quæ caro quàm boni ſucci per ſe ſit, ac quantum nutriat: ſed magis quos ſit nutritura. Sed cum hæc in vniuerſum dicta ſint: præſtiterit etiam de ſingulis carnium generibus ſeorſum meminiſſe. Ergo greſſibilium carnes, vt ab his exordium capiam, pro diuerſa *ſ* illorum ætate, manſuetudine, exercitatione, loco in quo degunt, ipſaq; etiam caſtratione variam omnino temperiem, ac nutrimenti qualitatem ſortiuntur. Nam adoleſcens ætas, illa animalia, quæ natura ſunt ſicciora, cuiuſmodi boues ſunt, ac capræ, ad bonitatem plurimum iuuat: humidiora verò natura, vt ſues, quod ſibi deeſt ad probam temperiem, id ab ætate florente aſſumunt. Senum autem animalium caro tum ad concoquendum, tum ad bonum ſuccum generandum, tum ad nutriendum peſſima eſt: nam & ſues ipſi licet humidi ſunt, cum tamen inſenuerunt, peſſimè nutriunt. Domeſtica *t* autem animalia temperie ſunt humidiora, quàm agreſtia, tum ob aeris in quo degunt humiditatem: tum verò ob vitæ ignauiam. Quæ verò in montibus degunt, multum exercentur, ac fatigantur, atque in aere ſicciore viuunt, carne ſunt duriore, & quæ nullius prorſus pinguedinis, aut parciſſimæ particeps ſit: ideoq; pluribus diebus, quàm domeſticorum, & otiosè degentium animalium ſeruatur, imputris: liquet igitur, quod horum alimentum minus habet excrementi, ac valentius nutrit, & ſuccum gignit multo alijs meliorem. Caſtratorum *u* verò animalium præſtantior eſt caro, ac ſuauior, quàm cæterorum: nam coitu non exuccantur, & pinguiora ſemper euadunt. Sed ex Hippocrate *x* ſciendum præterea eſt: eas nimirum carnes, quæ optimè exercentur, fortiores eſſe, ideoque validis etiam naturis aptiores: quæ verò

ſ 3. De alim. facultatib.

t 3. Aliment. facult. 14.

u 3. Aliment. cap. 2.

x 2. De dieta.

otioſè degunt, leuiſſimas, ac magis illis conuenientes, qui procul à laboribus viuunt. Præterea prægnantia animalia pinguiora fieri omnia: ac propterea & ſuauius, & ſalubrius nutrire, comperta res eſt: atq; ab Hippocrate, *a* & Ariſtotele *b* memoriæ proditum. Verùm & Auerroes *c* quoque veriſſimè illud adnotauit: in greſſilibus ſcilicet commendari plurimum corporis magnitudinem, quemadmodum in piſcibus prauitatem. Sed cum de greſſilibus ſatis multa generatim allata ſint: reliquū eſt de ſingulis animalibus particulatim diſſerere.

a De natura pueri, in med.
b De hiſtor. anim. 18.
c 5. Colliget. cap. 30.

Greſſibilium ſingulorum carnes cuius facultatis ſint.

Ergo ſi de certis quibuſdam animalium carnibus ſciſciteris, ita de his quoque ex arte reſpondebis. Suilla *d* caro omnium ciborum potentiſſimè nutrit, ac cum humana carne ſimilitudinem habet: nonnulli enim humanam pro ſuilla ſine vlla in guſtu, vel olfactu ſuſpitione comederunt: optimi etiam eſt ſucci, ſiquidem ventriculus exquiſitè concoquat, & in ſanguinem vertat iecur. Viſcidi nihilo minus neſcio quid habet: quodq; ideò iecoris, & renum meatus obducat, quibus adſtrictiores hi natura fuerint: ſi quis igitur crebrius illa vtatur, grauitatem ſecundum prædictas partes ſenſum quendam, ac dolorem etiam nunnunquam perſentiet. Ergo beneualentibus, ac robuſtis: quiq; ætate ſunt florenti, atque immodicis laboribus ſeſe exercent, modo nullam viſcerum oppilationem patiantur, maximè conuenit. Cæteris verò, ac quibus præſertim ventriculus eſt infirmus, ac viſcera obſtructa, nequaquam. Syluestrium autem caro, quos apros vocamus, inter reliquum venatum, fortiter plurimum, ac velociter nutrit, inquit Auicennas, *e* ac hyeme præſertim, quo tempore adhuc magis ſapiunt. Neq; eſt, cur obijcias mihi ſuillum genus ſordidum eſſe, ac lutulentis locis gaudere, & perpetua quadam ſcabie laborare, hebetiq; viſu eſſe, vt propterea noxium inde alimentum proficiſci debeat. Nam gallinæ, quæ tamen ad alendum præſtantiſſimæ ſunt, ſtercoribus, & lapillis veſcuntur, atque in bonam vertunt ſubſtantiam: etenim animal eſt, quod alimentum commutat, ac reddit ſibi familiare: non ſimiliter autem ab alimento immutatur. Bubula *f* non mediocre dat nobis alimentum, nec facilè diſſolubile, ac ſanguinem

d 2. Alim. 2. 10. ſimpl. 2. De attenuente dieta 6. De ſuccor. bonit. 2.
e Libro 2.
f 3. Aliment. cap. 2.

Digitized by Google

guinem generat craſſiorem: inſuperabilem etiam hanc carnem vocat Hippocrates: *g* ideoq; nonniſi perelixa vtitur: ac præterea robuſtis, & validioribus ventriculis, & qui vehementer exercentur, vſui tantum eſſe debet: quemadmodum & vaccina quoque, quæ præter ſucci prauitatem, ſexus etiam ratione frigidior eſt: ac morpheam, *h* ſcabiem, & cancros, cæterosq; affectus melancholicos gignit. Taurorum autem carnem omnium peſſimam eſſe, à Galeno *i* ſcriptum legimus. Vituli verò carnem habent ad alendum præſtantiorem, atq; omnium maximè odoriferam eſſe obſeruat Auerroes: *l* ideoque hoc ipſo eſſe meliorem hædina: hanc tamen fatetur meliores humores generare. Ouilla *m* verò excrementoſa eſt, ac mali ſucci: caprilla præter ſuccum vitioſum, acrimoniam habet: hircorum autem tum ad concoquendum, tum ad ſuccum bonum generandum eſt deterrima. Atque hanc ſequitur arietina. Caprillam verò ſecedere aluo ſcripſit Hippocrates, *n* ac flatuoſam eſſe: & ob id frigidam eſitandam; ac, ſi incocta permanſerit, choleram parere. Hœdinam innoxiam Galenus *o* cum cæteris alijs eſſe exiſtimauit: ac vitulinæ antepoſuit. Auicennas *p* frigidam eſitare mauult: nimirum vt malus illius vapor conquieſcat: huius autem ad caprillam eadem ratio eſt, quæ vitulinæ ad bubulam. Fœmellæ autem magis commendari à nonnullis ſolent, quòd ſcilicet à maſculorum ſiccitate nonnihil abſint: reuera tamen deprehenſum eſt, calidis, & ſiccis temperaturis, & qui otiosè agunt, plurimum conferre. Agninam verò humidiſſimam eſſe, ac pituitoſam teſtatur Galenus: *q* ſed hœdis tamen in bonitate proximam eſſe: quam etiam calidam comedere Auicennas ſolet, vt malus eius odor reſoluatur. Vides igitur hœdinam hoc in genere præſtare cæteris: peſſimam verò eſſe arietinam. ſiquidem Galeni ſententiam ſequaris. Auerroes *r* autem poſt hœdos in alimenti bonitate proximos locat arietes: aitq; plurimam medicorum partem ſimiliter ſentire. In qua re hoc vnum dico, paſcuis, atque aquis magnam vim ineſſe ad carnium ſalubritatem præſtandam: vt interdum illorum commendatione poſſit, quæ ſua natura minus ſalubris eſt caro, optima eſſe: & è conuerſo, quæ per ſe optima eſt, ſæpiſſimè in deterrimam conditionem degenerare: vt mirum non ſit in Hiſpania, quæ ſalubriores fert herbas, ac magno ſtudio

pro-

g 4. Acut. tex. 98. 99.
h Auic. lib. 2.
i 3. Aliment. cap. 2.
l 5. Colliget. cap. 32.
m 3. Alimēt. cap. 2.
n 2. De dieta.
o De atten. dieta, cap. 8. & de succor. bon. cap. 6.
p Libro 2.
q 3. Aliment. cap. 2.
r 5. Collig. 32.

procurantur, veruecinam optimi ſucci eſſe: non ita autem alibi. Sed quid etiã prohibet in certis locis proprias, ac peculiares eſſe animalium naturas; quæ nuſquam aliàs ita eſſe ſo-
f Lib.9.c.18. leant: vt de piſcibus memoriæ commendauit Plinius? f Sed & agninam fatetur idem Auerroes humidiſſimam eſſe: attamen in calidis terris temperiem multam nanciſci; nimia illorum humiditate à calidiore cœlo correcta. Lepores verò, in-
t Lib.8.c.55. ter quos & cuniculos ex Plinio t retulerim, carnem æquo craſ-
u 3. Alim.2. ſiorem habent: u ſed melioris ſucci, quàm bubula, & ouilla.
x 2. De diet.2. Aluum ſiſtit, inquit Hippocrates, x & vrinæ incitamentum
y Plin.lib.28. cap.19. facit. Præterea ſomnos y fieri à lepore ſumpto in cibis Cato arbitratur; & vulgus gratiam corpori in ſeptem dies, friuolo quidem ioco, cui tamen aliqua debeat ſubeſſe cauſa in tanta perſuaſione. Hanc etiam carnem ſiccam eſſe, & frigidam, concoctu difficilem, ſeroq; & paulatim nutrire doctiſſimè de-
z Libro 13. epiſt.4. monſtrauit Manardus: z ex animalis nimirum ſubſtantia, duritie, ſquallore, fragilitate, fibrarum copia, ſuillæ diſſimilitudine, ac timiditate deducto argumento. Attamen ſanguinem
b 3. Alim.18. habet omnium ſapidiſſimum: ideoque, vt ait Galenus b cum iecore elixari ſolere, aut cum alijs etiam viſceribus. Apud nos cum laganis, ac paſtellis omnino edulijs elixus, gratiſſimus palato eſt. Cuniculos tamen, ſiquidem non exiguam carnis mollitiem, ac friabilitatem conſulamus, melioris ſucci eſſe, ac ſuauius nutrire, perſpectum ſatis habemus. Atq; hæc de quadrupedum carnibus: inter quas, tres tantum de bonitatis principatu inter ſe certant: ſuillam ſcilicet, hœdinam, ac vitulinam: ſed harum diuerſa eſt ratio: nam robuſtis hominibus, ac magnis laboribus aſſuetis, optima eſt ſuilla: imbecillis, atque otioſis hœdina: medium ſibi locum vitulina eligit: quippe quæ nec ita multum vt ſuilla: nec ita mediocriter, vt hœdina enutriat.

Volatilium carnes cuius naturæ ſint.

AVes dictum iam eſt exiguum alimentum præbere, ſi ad quadrupedes conferantur: ſunt tamen boni ſucci: ac
c Lib.2.c.18. valentius nutriunt, inquit Celſus, c quæ pedibus magis, quam quæ volatu nituntur: atque ex his ipſis, quæ volatu fidunt, firmiores eſſe, quæ grandiores, quam minuta ſunt. Sed iam de ſingu-

ſingulis. Gallinarum, vt bene ex veteribus colligit Conciliator, *d* & nos longo vſu,obſeruationeq; compertum habemus, facilis eſt digeſtionis, paucarum ſuperfluitatum: ac mirè complexionem,& humores attemperat: augmentum facit in intellectu, inquit Auicennas, *e* & ſperma auget. Galenus *f* facilè concoqui gallinarum carnem dumtaxat aſſeruit: iusq; illarum contemperandi vim habere. Dioſcorides *g* verò calida natura præditas illas eſſe affirmat: nam deuoratum inſigne virus conficiunt, & aridiſſima quæq; ſemina conſumunt, arenasq; ; & lapillos ingluuia ſua deuoratos diſſoluunt. Reuera autem certius indicium ex illarum carne deſumimus, quam ſcimus & teneram, & nullius lentoris participem eſſe, ideoq; ad alendum optimam. Præſtat tamen, quæ non adhuc oua pepererunt: aut qui galli nondum coiuerint: nam alij, ac veteres præſertim, duriſſimam habent carnem, ac nitroſam, ideoq; in medicamentis potius expetiti. Capi verò communi caſtrationis beneficio, ſuauiores ſunt, ac meliores quoque. Phaſiani, *h* quoad concoctionem, & nutrimentum pertinet, gallinis diſſimiles non ſunt: voluptate tamen in edendo ſuperant. Hanc volucrem cæteris alijs obſonijs antepoſuit Auerroes: *i* nemóq; non illi principatum tribuerit, non ſolum ad victus ſalubris rationem: verùm ad robur quoque: ideoque conualeſcentibus, & morborum diuturnitate macrefactis optimus cibus eſt. Otis ex ſylueſtrium gallinarum genere eſt, & perdicibus ſimilis; niſi quod corporis pondere attollere ſeſe minus valet. In cibis gratiſſima eſt,& optimi ſucci: & poſt phaſianos primas ſibi vendicat. Perdicis caro *l* laudabilis eſt alimenti, concoctu facilis, ac probi ſucci: ſanguinem generat mediæ ſubſtantiæ, ſiccat tamen moderatè: ideoq; nonniſi poſt vnum diem ſuſpenſam comedunt: ſic enim omni ex parte inculpata redditur caro. His autem præcipuè conuenit, quibus ſalubris victus curæ eſt: ac præterea ad ſiccitatem emendandam præſcribit Galenus. *m* Auerroes *n* autem, perdices, ait, ad frigiditatem,& ſiccitatem vergere, atq; eſſe ſicut gallinas deſerti: & ventrem adſtringere tum aſſas, tum elixas. Columbinum *o* genus omne calidum eſt, & ſiccum, groſſiorisq; ſubſtantiæ: vt iam ex continuo eſu febrem generare credantur. Pulli tamen ætatis ratione humidiſſimi ſunt: quocirca volantes cæteris præferuntur. Calidis autem naturis non-

nisi

d Diff.68.
e Lib 2.
f 3. Alim.19.
g Lib.6.c.40.
h 3. Aliment. cap.19.
i.
l De attenu. dieta, cap.8.
m 6.San tuë. cap.11.
n 5. Colliget. cap.32.
o Auic. lib.2.
& Auerr. 5. Collig. c.32.

niſi cum omphatio, aut frigidis condimentis conceduntur. Omnino autem ſucci probitate, ac facilitate concoquendi commendantur. Caro veteris columbi maſculi, inquit Auerroes, mirè epilepticos iuuat, ac paralyticos. Quidam renibus refrigeratis opem ferre prodiderunt. Agreſtes autem loci, atque exercitationis ergo & minus humidi ſunt, &, ſi Oribaſio *p* credimus, præſtantius etiam nutriunt: nam & Galenus *q* columbas turricolas domeſticis meliores eſſe profeſſus eſt, vt & apri domeſticis ſuibus. Turtures ſymmetro calidiores ſunt, inquit Auerroes: *r* ingenium mirè acuunt: optimum generant ſanguinem. Verum aliquanto ſicciores eſſe ſcripſit Galenus: *ſ* ideoq; non ſtatim captæ, vt de perdicibus dictum eſt, euitandæ. Sturni Auerrois *t* teſtimonio calidi ſunt, & ſicci, craſſioris ſubſtantiæ, & concoctu difficiles. Verùm veſcuntur cicuta, quæ quoniam nobis noxia planta eſt, ideò à menſæ vſu abdicandi. Reuera autem non ita improbat Galenus: nam his, qui nephritide laborant, inter multas alias volucres has etiam concedit: *u* neq; obſtat illos cicutam eſitare: nam quæcunque ea ſit, in ſubſtantiam, ac ſuccum nobis familiarem, aut non penitus alienum ab auicula immutari pro Galeno dices. Turdo Romani multum tribuerunt: nam dixit Horatius: *x*

Nil melius turdo. Et Martialis: *a*

Gloria prima eſt
Inter aues turdus.

Reuera autem multum operæ illi in his auibus ſaginãdis conſumebant: ideoque commendabantur. Nunc autem haud magni illos facimus: nam & duriori ſunt carne: nec bono ſucco generando idonea. Laudabilioris tamen ſunt ſucci, quo tempore dulcium vuarum eſu pingueſcunt. Merulæ etiam cum turdis eiuſdem conditionis ſunt: nam quamquam inter optimi ſucci alimenta ab aliquibus numerantur, duriore tamen ſunt carne, vt meminit Galenus: *b* ideoq; tardè concoquuntur: pauci alimenti ſunt: ac, ſi Platinæ fidem adhibeas, melancholiam augent. Paſſeres, vt & ficedulæ, autumno, inquit Galenus, *c* maximè laudabilem carnem habent: & inter ea alimẽta locat, *d* quæ tenuantiũ, & craſſefacientium in confinio ſunt: cuiuſmodi etiam ait eſſe perdices, columbos, turdos,

p 4. *Ad Euſtach cap.* 1.
q De attenu. diet. 8.
r 5. *Collig. c.* 32.
ſ
t Vt ſuprà.
u 6. *San. tue. cap.* 16.
x
a
b 3. *Alim.* 19.
c 4. *Acut.* 101.
d De ſuccor. bonit. cap. 3.

dos, merulas, & ſimiles alias. Attamen Auerroes [e] calidos, & ſiccos eſſe affirmat: hoc ipſum inde fortaſſe colligens, quod nimia ſalacitate ſeipſis fiant aridiores: ac propterea ne anno quidem diutius viuere Plinius [*] animaduertit. Coturnices, quas etiam qualeas vocat, temperatæ ſunt inquit Auerroes: [f] ſed tamen paulò calidiores: tenuis, ac boni ſunt ſucci: ideoq; ſanis, & conualeſcentibus præſcribuntur: à multis tamen improbantur: quippe quæ & veratrum comedant, & morbo comitiali corripiantur. Auicennas [g] prohibet quidem illarum vſum, quoniam & tetanum, & ſpaſmum inducere aptæ ſunt: non quod elleboro victitent: ſed quod ignota quadam proprietate illud efficiant. Pauonis carnem duram eſſe; itemq; fibroſam, & ad coquendū difficilem planè teſtatur Galenus. [a] Has autem aues mira olim diligentia coqui parabant: nam, vt Diuus Hieronymus [b] teſtis eſt, lentis vaporibus coquebant, qui ad oſſa peruenirent, & ſuperficiem carnis non diſſoluerent artificii temperamento. De hac autem carne illud memoria digniſſimum Diuus Auguſtinus [i] obſeruauit: mirum cùm ſibi apud Carthaginem ex ea aſſis cocta apponeretur, de eius pectore pulparum quantum viſum eſt, decerpſit: reliquum ſeruari iuſſit: quod poſt dierum tantum ſpatium quanto alia caro quæcunque cocta putreſceret, prolatum atq; oblatum, nihil ſuum offendit olfactum: itemq; repoſitum poſt dies amplius, quàm triginta, idem quod erat, inuentum eſt: idemq; poſt annum: niſi quod aliquantulum corpulentiæ ſiccioris, & contractioris fuit. Quamobrem hinc conijcias licet, hanc carnem omnium diutiſſimè incorruptam ſeruari. Anſeres [l] duram habent carnem, & concoctioni aduerſantem, & quæ excrementis redundet: quod etiam de illis auibus ſimiliter ſentiendum, quæ terra, & aqua victum quærunt, & ſtagnis, & lacuſtribus locis viuunt. Iecoris gratia anſeres ipſos ſaginabant Romani: quippe quod ad hunc modum omnium maximè creſceret. Anates, inquit Auicennas, [m] calidiores ſunt cunctis auibus domeſticis, adeò vt quæ frigida ſunt calefaciant: quæ calida, ad febrilem diſpoſitionem perducant: illarum caro difficilè alteratur: alterata autem, validius, quam cæterarum auium nutrimentum præſtat.

e 5. Colliget. cap. 32.
** Libro 10. cap. 36.*
f Vt ſuprà.
g Libro 2.
a 3. Aliment. cap. 19.
b Epiſt. ad Decanū 83.
i 21. De Ciu. Dei, cap. 4.
l De attenuā. dieta, cap. 8.
m Lib. 2.

Piſcium in nutriendo facultates.

PIſces autem pro varia loci in quo degunt, conditione manifeſtè inter ſe differunt. Vis autem eorū qualis, & quanta ſit, ex propria carnis ſubſtantia etiam deprehenditur. Ergo *n* qui in puro mari degunt, præcipuè ventis, ac procellis agitato, meliores ſunt; & adhuc magis qui in arenoſis, ac petroſis littoribus verſantur. In ſtagnis verò degentes deteriores ſunt: & præcipuè exiguis, & ſtabilibus; in paludibus, ac lacubus innatantes omnium deterrimi ſunt. Qui autem in fluuijs ſunt piſces, boni quidem ſunt, ſi aqua ſit copioſa, & rapidè feratur. Qui autem in fluminum oſtijs verſantur, omnium peſſimi ſunt; illic enim vrbium latrinæ, & ſordities retinentur. Qui etiam fluminibus vrbem magnam præterfluentibus, hominum ſtercoribus, & prauis id genus eſcis victitant, omnium ſunt deterrimi, adeò vt ſi paulò diutiùs mortui permanſerint, ſtatim putreſcant, atque in cibo ſunt iniucundi, & ad concoquendum difficiles: & exiguum boni alimenti, excrementi autem plurimum reddunt. Hi igitur cùm peſſimi ſint; contra omnium ſunt præſtantiſſimi, qui præterquam quod in puriſſimo degunt mari, littora etiam incolunt, quæ aquam in orbem ambiunt, & terra non abundant; quod ſi præterea ad boream ſpectent, longè erunt meliores. Qui etiam piſces in eo mari verſantur, quod longè à littoribus dulcis aquæ eſt expers, cuiuſmodi ſunt, quos pelagios appellant, omni culpa vacant, ac cæteris ſucci bonitate, & cibi ſuauitate longè antecellunt. Quod ſi de loco minimè tibi conſtiterit; tunc ex odoratu, & guſtu iudicandum; nam qui in aqua degunt vitioſa, grauiter olent, inſuaueſq; ſunt, ac mucoſi; pinguiſq; adhæc plus alijs habent, ac citò putreſcunt; & qui in mari verſantur puro, cùm odore inculpato, tum guſtu ſuaues, pinguedineq; aut minima, aut nulla ſunt; ac diu citra putrefactionem perdurant; præcipuè ſi quis eos niue circundet. Ex carnis autem ſubſtantia ita piſcium bonitatem dignoſces: nam Galenus *o* friabilitatem in piſcibus, vti & in cæteris animalium carnibus commendat: hoc eſt, ſi nihil lentoris, ac pinguedinis habeant: ſiue duræ ſint, ſiue etiam molles; nam vtraque conditio in diuerſis hominum naturis ſua laude non carent:

n 3. *Aliment. cap.* 25.

o 3. *Aliment.* 27. *de attenuan. dieta* 8.

Digitized by Google

carent: nam in robuſtis hominibus, in quibus plurimum nutriendum eſt, ac facilè concoquunt, præſtantior eſt dura caro: contra verò imbecillis, & quibus exiguum ſatis eſt alimentum, mollis præfertur: modo tamen ſemper friabilis ſit. Sed hic diligenter aduertendum eſt, quod etiam nos Auicennas [p] admonuit: piſces nimirum, qui molles ſubſtantia ſunt, cuiuſmodi inter alios ſunt anguillæ, vetulos iunioribus præſtare: nam ætas nimiam humiditatem abſumendo, mediocritatem parit. Contra qui dura ſunt carne, vt lucij, percæ, & triglæ, præſtant iuniores. Ad alimenti quoque bonitatem plurimum facit, ſi eo tempore comedantur, cum impleri incipiunt: quod & continuo vſu compertum eſt, & ab Ariſtotele [q] etiam proditum: non ita autem cum vterum gerunt: nam deteriores eſſe tunc ſolent, ac præſertim ſquammoſi. Fluuiales tamen, ac lacuſtres poſt partum optimos eſſe philoſophus aſſeruit. Atque illud etiam aduertit, littorales omnes pelagicis eſſe præſtantiores: nam cibo copioſiore, & meliore potiuntur; atque ideò illorum caro magis conſtat: quando pelagiorum humida mollis, & ſoluta ſit. Atque hæc cum vniuerſim de piſcibus dicta ſint: nunc etiam de ſingulis aliquid afferam: neque his tamen omnibus; ſed qui tantum inſignem nutriendi differentiam faciunt. Saxatiles piſces, [r] qui ſcilicet non in leuibus, aut arenoſis, terreiſq; littoribus; ſed in petroſis promontorijs, & vbi ſaxa ſunt delitеſcunt, & pariunt, & qui propterea in puriſſimo ſemper mari degunt: & omnem dulcem aquam fugitant; ſemper optimi ſunt: cùm interim alij à propria bonitate non rarò degenerent. Hi igitur, quoniam carnem habent cæteris piſcibus & molliorem, & magis friabilem, alimentum præbent ad concoquendū facilem, & ſaluberrimum ſanguinem, mediæq; conſiſtentiæ generant. Ideoque otioſis hominibus, ſenibus, atque imbecillis, & ægrotis accommodatiſſimi ſunt. Inter hos autem & ſuauitate, & ſucci bonitate optimi ſunt ſcauri, poſteà merulæ, ac turdi: tertiō loco ſunt iuliæ, fucæ, & percæ. Inter alios verò, qui longè à littoribus degunt, commendatiſſimi ſunt, quos lucios, & percas vocant: quippe qui & ſucci bonitate & ſuauitate etiam edendi principem locum tenent: robuſtius tamen alimentum præbent: ideoque nonniſi robuſtis etiam ventriculis conueniant. Sed hi cum maxima ex parte vbique præſtent: ſæpè tamen

p Lib.2.cap. 553.

q 8. De hiſtor. anim. 30.

r 3. Aliment. cap. 28. 31. De ſucc. bon. cap. 9.

alij alibi piſces principatum tenere, propria quadam locorum facultate ſunt deprehenſi. Nam coracinus in Aegyptorum, vt inquit Plinius, *f Lib. 9. c. 18.* f Zeus Gadibus, circa Ebuſum Salpa obſcœnus alibi, & qui nuſquam percoqui poſſit, niſi ferula verberatus; in Aquitania Salmo fluuiatilis marinis omnibus præfertur. *e Ibid. c. 50.* Præterea e in Tiberi amne lupi præſtantiores ſunt: rhombus Rauennæ, murenæ in Sicilia: elops Rhodi. Anguillæ quæ noſtrorum temporum menſis optatiſſimæ ſunt, & tincæ omninò improbantur: illæ enim limoſi ſunt, craſſi ac lenti ſucci, renibus, atque articulis aduerſæ: tincæ etiam maximè excrementitiæ. *a 3. Aliment. cap. 33.* a Teſtacei autem piſces, cruſtacei, molles, & quos cetaceos appellant, ita cenſentur. Teſtacei, cuiuſmodi ſunt echini, patellæ, tellinæ, ac ſimiles, hoc habent in vniuerſum, vt ſucculum in carne contineant, qui aluum ſubducat; exhibet illis Galenus, quibus cibus in ventriculo corrumpitur, ac ſæpè in optima aqua elixat: plurimum enim ſucci crudi generant. Cruſtacei, quales ſunt locuſtæ, cammari, & alij huius generis, minus ſalſi continent humoris, firmioriſque ſunt alimenti: quamuis difficulter concoquantur, reliqua teſtaceis aſſimiles ſunt. Molles, vt ſæpia, ac polypi, exiguum ſuccum, ac ſalſum habent, & difficilè alterantur: non parum tamen nutriunt, ſi benè conficiantur. Atque hos omnes cum teſtaceis ſimul, atque cruſtaceis, optimos eſſe, inquit Ariſtoteles, *c 8. De hiſt. cap. 30.* c cum vterum gerunt. Cetacei verò, vt thynnus, & xiphius, duram, praui ſucci, & excrementitiam carnem habent, ideoque conditi melius in vſum veniunt: nam recens caro niſi benè conficiatur, magnam crudorum ſuccorum copiam gignit. Atque hanc de animalium carnibus digreſſiunculam, aut vtilem leges, aut ſuperuacuam prætéribis.

De fugacibus fructibus euitandis.

a 2. Aliment. cap. 2. FRuctus ſuccedunt, quos vocant horarios: quia eo tempore naſcuntur, in cuius medio a canicula exoritur: hi quidem ſi parcè, & tempeſtiuè edantur, parum obeſſe conſueuerunt; nam ſi prima ſtatim menſa, ac planè refrigeratos comedas, tantum abeſt, vt noceant, vt æſtiuo potius incendio quibuſdam remedio ſint. Sed illud ante alia aduertendum eſt, *b De ſuccor. bonit. cap. 7.* b fructus omnes fugaces, mali eſſe ſucci, & ſi in ventre corrum-

pantur, quod ſæpè euenit, non longè abſunt à venenoſa mate-
ria. Quandam etiam ebullitionem * faciunt in corpore, & hu- ** 3. p. doc. 2. cap 7.*
moribus: ac ſanguinem omnino fluidum, & putrefactioni ac-
commodatum generant: idq; maximè in ventriculo impuro,
ac per autumnum: in quo, vt admonet Paulus, [c] magna vi- *c Lib. 1. c. 53.*
ctus habēda eſt ſollicitudo: nam inæqualis eſt, inordinatuſq;,
& omnigenos inuehit morbos. Atque hoc tempore atteſta-
tur, noxium eſſe poma affatim aſſumere: vtique non copia
tantum obſint: verumetiam vitioſos procreent humores, &
inflationes; etenim præſtantiſſima ipſorum: nempe ficus, &
vuæ flatus pariunt, corrumpuntq; cibos, niſi ante alios præſu-
mantur. Sed quantum præſtet valetudini ab his fructibus ab-
ſtinere, ſatis Galenus [d] nos proprio docuit exemplo: nam *d De ciborũ bon. cap. 1.*
cum fugacibus fructibus annum ætatis agens vndeuigeſimum
expleſſet, autumnoq; in morbum acutum incidiſſet; à patre,
qui humanioribus omnibus diſciplinis erat inſtructus, incre-
pitus eſt: eoq; præcipiente, vt priorem victus rationem di-
mitteret: ac ne quid de fugacibus fructibus, niſi modicè at-
tingeret, illo anno incolumis euaſit. Sed cùm mortuo iam pa-
tre, iiſdem fructibus cum æqualibus vſus eſſet, ſimiliter ægro-
tauit: ex quo tempore ſingulo quoque deinceps anno malè
habuit, vſque ad annum vigeſimumoctauum. Ergo cum pa-
rum abfuiſſet, ne ſepti tranſuerſi abſceſſu corriperetur; ipſe
ſibi vſum interdixit fugacium omnium, præterquam ficuum,
& vuarum exactè maturarum: atq; his etiam ipſis moderatè
adhibitis: qua diligenti cura ſine morbis perſeuerauit anno-
rum multorum ſpatio. Ergo vt in his norma aliqua propona-
tur, illud ante alia admonuerim, vt vel tibi illorum vſum pe-
nitus interdicas: vel ſaltem modicè vtaris. Præterea duo
etiam ſeruanda ſunt, & vt prima menſa aſſumantur, (nam
prius [e] ingerenda ſunt, quæ facilius ſubducuntur, & corrum- *e 3. Acut. 22.*
puntur magis: poſterius verò contraria; magnum enim ad
valetudinem compendium eſt, ſi [f] ciborum corruptio in ven- *f 6. ſan. tuen. cap. 7.*
trem deſcendat: cuius rei cauſa fructus acerbi inſaluberrimi
ſunt: quippe qui ſui, atque aliorum excrementorum exitum
prohibeant.) Secundò autem, vt frigidi aſſumantur: nam vni-
cuis illorum eſt vſus æſtum attemperare: quamobrem nonniſi
calidiore conſtitutione, ac longiori itinere defatigatis conce-
dit Galenus: [g] cæteris verò, qui præſertim intemperantes *g 2. Alim. c. 2.*

vtun-

vtuntur, damnoſiſſimi ſemper ſunt: ac illud etiam deprehenſum eſt, tunc plurimum eſſe illorum prouentum, cum humida, ac morboſa tempeſtas eſt: ideoq; vt metuenda illorum copia eſt: ita libenter inopia perferenda.

De aquæ, vini, ac niuis damnoſo vſu euitando.

DE aquis nihil eſt, quod in hoc loco plura dicam: neque enim fontes, ac flumina ſi minus bona ſortiti ſumus, tam facilè permutare poſſumus: vt meliora eligendi ſemper detur facultas. Quod ſi detur aliquando, atque illarum bonitatem, ac præſtantiam exactè cognoſcere in animo eſt, de hac re abundè egimus, vbi de locorum ſalubritate diſſeruimus. Hoc tamen te interim admonitum velim, complures eſſe fontes, qui per plumbeos canales aquas deriuãt: quos tu, ſi quando conſpexeris, ſalubriter euellendos præcipies: talium enim huius aquæ vſus inſalubris eſt deprehenſus: limus [b] enim quidam ex plumbo in ea continetur, vnde etiam qui aquæ eiuſdem fæcem combibunt, dyſenterici euadunt. Et Vitruuius, [i] multo, inquit, ſalubrior eſt ex tubulis aqua, quam per fiſtulas, quod per plumbum videtur eſſe ideò vitioſa, quòd ex eo ceruſſa naſcitur. Hæc autem dicitur eſſe nocens corporibus humanis, ita ſi quod ex eo procreatur, id eſt vitioſum, non eſt dubium quin ipſum quoque ſit inſalubre. Exemplum autem ab artificibus plumbarijs accipere poſſumus, quod palloribus occupatos habent corporis colores: namque cum fundendo plumbum flatur, vapor ex eo inſidens corporis artus, & in dies exurens, eripit è membris eorum ſanguinis virtutes: itaque minimè fiſtulis plumbeis aqua duci videtur, ſi volumus eam habere ſalubrem. Saporem quoque meliorem ex tubulis eſſe, quotidianus poteſt indicare victus: quòd omnes extructas cum habeant vaſorum argenteorum menſas, tamen propter ſaporis integritatem fictilibus vtuntur. Andræas Baccius * cum cuilibet quid velit ſentire liberè permittat: ipſe tamen putat plumbi malitiam in æſtum, atque aſſiduum Solis calorem referri debere: qui dum in denſa materia, atque adeò impura referbuit, recrementa mittit diuerſæ ſubſtantiæ, quæ ſubinde prauis qualitatibus aquas commaculent: quo etiam vitio, inquit, carere ſeptentrionales regiones,

b 7. Local. 2.

i Lib. 8. c. 7.

** De therm. cap. 8.*

quæ

quæ non adeò aſſiduo calent Sole. Atque hoc eſt,quod in antiquitatibus vrbis Romæ plerunque, tubi aquarum ductuum ſubterranei de plumbo fiebant; quoniam ſcilicet radiorum ſolarium expertes, nihil eius generis vitij contrahere poterant. Hic igitur iure damnandi illi ſunt pharmacopæi,(vt hoc interim admoneam) qui plumbeis vocatis elambicis ſtillatitias aquas, & cæteros parant liquores: nam quo modo enarrata vitia euitare in illis poſſint, minimè video. De vino autem quantum ad præſens inſtitutum ſpectat, video apud omnes benè conſtitutas ciuitates cautum eſſe, ne priuſquam ad maturitatem aliquam illud peruenerit, in publicum vſum veniat. Huius autem rei non omnibus vinis idem eſt terminus: nam quæ generoſa ſunt, tardius perficiuntur: ac quæ inter hæc excellunt, qualia ſurrentina eſſe memorat Galenus,* ferè ante annum vigeſimum cruda eſſe deprehenduntur: ac vigeſimo tandem anno, & vigere, & potui apta diu perſeuerare. Verùm quia quæ optima ſunt vina, magno vbique in pretio habentur: ferèq; illa dumtaxat ante tempus vendi ſolent, quæ breuis ætatis ſunt; ideò communi horum vinorum natura propoſita, apud omnes in more poſitum eſſe conſpicio, ne ante quadrageſimum diem vſui eſſe vinum exiſtimetur: qui terminus in feſtum Diui Martini ferè incidit: nam iſto iam ſpatio feruor ille vini conquieſcit, & potui minus noxium redditur: quòd ſi fiat, vt, ſpretis ſalubribus iſtis medicinæ præceptis, muſtum publicè vendendum ante præſcriptum tempus proponatur, mihi dubium non eſt, multis morbis populum correptum iri: ac præſertim, qui à craſſiore flatu excitantur: vnde & viſcera obſtruentur, & hydropes fient: atque ex fecis acrimonia alui quoque profluuia. Sed hæc de genuinis vinis dicta intellige; nam quæ ſecundaria, ac loras vocant, maceratis ſcilicet in aqua vinaceis, & prælo ſubiectis, iure dici vina non poſſunt: atque ad omnia minus ſunt efficacia: quamquam & hæc inſalubria eſſe: nec quidquam ad valetudinem præſtare, ſatis conſtat. Præterea verò hoc vnum eſt aduertendum, vinum ſæpè à cauponibus adulterari, vt acrius ſuauiúſq; potoribus videatur. Calce condiunt interdum, aut gypſo etiam, adiectis quibuſdam aromatibus, vt morem Aphricæ olim fuiſſe, author eſt Plinius:[l] & quamquam illis fortaſsè innoxium hoc erat conditura genus, & quo tantum vini aſperitas

* 1. De antid. cap. 3.

l Lib. 32. c. 2. & lib. 14. cap. 19.

ritas tollebatur: nos tamen his in locis damnoſum experimur: inde enim viſcerum plurimæ obſtructiones, ex calefactioneſq; inde neruoſi generis infirmitas, ac diuerſi generis mala proficiſcuntur. Danda igitur opera eſt, vt ſincera tantum vina, aut certè nullo huiuſmodi adulterio contaminata in publicum vſum veniant. Hanc tu autem impoſturam ac noxiam condituram morſu quodam, atque oris acrimonia deprehendes, itemq; quod diu vina ſeorſum repoſita priorem vim, ac ſuauitatem ammittunt. Callidum fuit etiam quorundam inuentum, ne caupones vinum adulterando fraudem exercerent. Cauebant, vt ab vno tantum dolio, ac certa nota obſignato, inter plura, quæ in cella eſſent, ſemper vinum emptoribus promeretur: ita tamen, vt eius dolij dimidia pars ſimul, ac fuiſſet exhauſta, id quod erat vacuum, ex alijs dolijs ſtatim inſtauraretur, repleretur q; : quod vt fierent, fiſtulam in media ſemper dolij fronte, non in infima, vt ferè fit, facto foramine affigebant: neque illam ab ſe ipſo vnquam dimouebant loco: ſic enim dolij dimidium, quod eſt infra fiſtulam, ſemper integrum, plenumq; remanere: ergo quodcunque deinde vinum ſuper infundebatur, ſiquidem viciatum eſſet, ſyncerum illud, quod in fundo præerat, contaminabat: quod ipſum poſtea vitio ſemel contracto, quodcunque aliud indebatur, ſimiliter inficiebat: atque ita depromptum fraudem omnem degeneri ſapore, coloreq; prodibat. Atque hæc, quæ de vino hactenus admonuimus, ne parui momenti eſſe putas: nam ſi aquæ vſum, quæ tamen per ſudores, ac lotium ferè tota expurgatur, plurimum tamen ad valetudinem conferre ſcimus: quid dicemus de vino, quod omnium citiſſime in ſanguinem, ac ſpiritum commigrat? Equidem arbitror ſanguinem totius corporis epoti vini natura magna ex parte emulari. Quamobrem non immeritò virum quidam doctiſſimus

m Matth. in 5. Dioſc. c. 7. fœliciſſimos illos vocat, qui in his regionibus, quæ vina optima ferunt, oriuntur, ac degunt. Nitiis autem vſus (nam his ſua quoque intemperantia aliquod moderamen expoſcit) æſtiuis temporibus ſemper in ciuitate ſalutaris eſſe temerè quibuſdam videtur, qui nimirum voluptatem valetudini præferunt. Ego autem aliter pro publica valetudine ſtatuendum puto: nam quamquam his, qui negotia exercent, in media æſtate vinum, aquam, atque horarios fructus ex niue refrigeratos

conce-

concedit Galenus: ⁿ cæteris tamen quamquam multum caloris perſentiant, atque in æſtu verſentur, niuem penitus interdicit: nam tametſi, inquit, ipſa ſtatim nix iuuenum corporibus ſenſibili noxa non videtur officere: increſcente tamen temporis progreſſu, occulta paulatim noxa, vergente nempe ætate, articuli his, neruiq; ac viſcera morbis corripiuntur, vix aut nunquam ſanandis: ac veriſimile certè fit, vt vnicuique ea potiſſimum afficiatur corporis pars, quæ natura omnium maximè infirma fuerit. Quamobrem egregiè illos ᵒ laudo, qui niuem, cum in cæteris ad valetudinem inutilem, ac damnoſam patent: tantum vellent cum horarijs fructibus incipere, ac deſinere: nam quia fructus vtiles ſunt ad attemperandum æſtiuum feruorem: noxij verò, ac periculoſi ob facilem corruptionem; aſſumi debent refrigerati, quantum poſſunt; quia cum corruptio agatur ab externo calore: refrigerati citra putredinem reſiſtent, donec commutentur: & attemperabunt multo magis. Calidi contra attemperationem nullam præſtabunt, & in pituitam ſalſam, aut ſeroſam quandam bilem facilè abibunt. Nec eſt, cur mireris, nos fugaces fructus niue refrigeratos: non ſimiliter potum ad valetudinem commendare: fructus enim promptè, atque vniuerſim in excrementa vertuntur, ac deorſum deſcendunt: vt iam ipſum ſanguinem, ac ſolidum genus offendere minus poſſint. At potus ſtatim ſanguini per venas ſe commiſcet: diuq; cum ipſo per totum corpus defertur: ac propterea ſi æquo frigidior ſit, naturam noſtram non parum inde affici contingit. Sed huic incommodo hoc etiam accedit, quòd potus multam omnino quantitatem, ac ſæpè in die aſſumimus: fructus autem paucos omnino, ac raro eſitamus: vt propterea ſi paria ſint cætera, illius tamen moles, ac copia plus offendere nos poſſit. Ergo niuis vſus, ſiquidem de hac re conſultandum ſit aliquando, ad refrigerandos horarios fructus ingenuè commendabis: ad potum verò paucis è valetudine eſſe dices: atque his tantum, qui negotijs dediti, nullam viſcerum, ac neruoſarum partium iniuriam conqueruntur: quiq; calidiſſimo ſunt corporis temperamento: idq; in magno etiam æſtu. Et quidem ſi experimenta obſerues, quæ ratio ipſa nihilominus confirmat, vix aliquis eſt, qui niue intemperanter vtatur, qui non artrithide, neruorumque, ac

ⁿ *De ſuccor. bonit. 13.*

ᵒ *Valleſ. 5. epid. com. 29.*

Digitized by Google

veſicæ vitijs tandem laboret: thoracis etiam partibus infe-
5. Aph. 24. ſtiſſima nix eſt, inquit Hippocrates, ac tuſſim mouet: vaſiſq; diruptis ſanguinem manare facit, ac deſtillationes excitat: inimica etiam nix eſt ſenibus, pueris, & qui frigido ſunt corporis temperamento; nec minus his, qui deſidem vitam agunt, longeq; à negotijs: aut qui pectore, & ventriculo ſunt infirmo, ac dentium valetudine minus valent: item illis, qui multas colligunt cruditates: & denique quicunque morbi ex frigida intemperie producuntur: eoſdem nix ipſa, omnium frigidorum efficaciſſima, promptius adhuc generat, fouet, auget. Quamobrem nihil dubito, eam ciuitatem, quæ nunquam aut parcè niue vtitur, multarum ægritudinum occaſiones euitaturam. Atque his tandem intentum eſſe medicum iubeo, qui de publico eduliorum vſu iudicare, ac referre inſtituit.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE RELATIONIBVS MEDICORVM,

Liber Secundus.

De cicatricum natura, atque iudicio. Cap. I.

Scribendi occaſio.

APVD Iuriſconſultos non vulgaris eſt de cicatricibus perquiſitio: num ſcilicet eius generis ſint, vt inter deformes reputentur: an, vt ſola potius apparentia faciem vtcunque inhoneſtent: pro cuius quidem differentia varia etiam ferientibus pœna conſtituitur. Opportunè igitur de hoc quoque argumento agendum eſt. At quia illud omne in pulchri, ac deformis diſcrimine magna ex parte verſatur, de quibus etiam agere Medicorum eſt munus. Idcirco mei inſtituti nunc fuerit, de pulchritudine paulisper digredi, vt cicatricum naturam nulla nō ex parte relaturus Medicus teneat.

Vniuerſalis pulchritudinis notio, atq; explicatio.

PVlchritudo, quemadmodum ex Platone a accepimus, fulgor eſt quidam, ac radius ſupremi boni, cœleſtibus prius: deinde humanis animis, corporumq; figuris, & vocibus immiſſus: qui per rationem, viſum, auditum, animos noſtros mouet, atque delectat. Vides hic pulchritudinem nihil eſſe aliud, quàm diuinæ eſſentiæ ſplendorem, in omnibus quidem rebus conſpicuum: ſed qui tamen in his, quæ nobiliores ſunt, ac propiores ſibi habet Deus, illuſtrior reſplendeat: in cæteris alijs, minus illuſtris. Hanc etiam illam eſſe pulchritudinem, quam vbique in amatis rebus appetimus: ideoque amantes ignorare ſemper quid ament: nam id Deus eſt. Hunc autem

a In conuiu. & Phedr. & in eadē Marsil. Ficinus.

Digitized by Google

ſplendorem, qui omnino incorporeus eſt, anima noſtra non equidem per tactum, aut per guſtum, aut odoratum percipit: iſtæ enim facultates in materia plurimum ſunt immerſæ: ſed per rationem potius, viſum, atq; auditum, quæ ſpiritales ſunt magis. Atque hæc ipſa pulchritudo quoniam in tribus ſpectatur: in animo, in corpore, in voce: quæ corporis eſt, (de hac enim agere noſtri eſt inſtituti) idem etiam eſt fulgor, ac veluti radius diuinæ eſſentiæ: ſed in ipſa tantum apta materia, ac præparata conſpicuus. Hæc autem præparatio tribus conſtat: ordine, modo, ſpecie. Ordo partium interualla: modus quantitatem: ſpecies lineamenta, coloremq; ſignificat. Harum autem prępararationum fundamentum eſt quatuor elementorum temperata complexio. Huiuſmodi igitur eſt corporis pulchritudo, quam viſu percipimus: nam quæ in animo eſt per mentem: quę in voce, per auditum accipere nos licet. Atque hæc eſt diuini philoſophi de pulchritudine ſententia. Verùm Ariſtoteles non tam ex alta origine illius naturam deducit: videturq;, quæ à Platone præparationes dictæ ſunt, b 13. *Metaphyſ. cap.* 3. eaſdem ferè pulchritudinem nuncupaſſe. Ait enim, pulchri b ſpecies ſunt; ordo, commenſuratio, & definitum: in quo loco ordinem poſuit pro recta partium diſpoſitione: nimirum qua ſuo quæque loco rectè collocetur: commenſurationem pro mutua illorum proportione, iuſtiſque interuallis: definitum verò pro totius molis termino: vt iam illud ſit Ariſtoteli pulchrum corpus, quod partes habet rectè collocatas, iuſtè inuicem diſpoſitas, quodq; iuſtæ ſit magnitudinis. Ergo cùm doctè hæc philoſophus: attamen coloris congruentiam, quam ſpeciem Plato nuncupauit, & quę pulchritudini multum confert, nihil omnino meminit. Quamobrem lubet huc Galenum adducere, qui de pulchritudine eruditè multa diſſeruit. c 5. *De placit. cap.* 3. Pulchritudo, c inquit, ex omnium medicorum, & philoſophorum ſententia, in membrorum apta connexione ſita eſt: digiti videlicet ad digitum, digitorumq; omnium ad palmam, & ad manus articulum: & horum ad cubitum: cubiti ad brachium: & omnium denique ad omnia. Hoc autem in loco cum partium proportionem ſatis ille eleganter expreſſerit: attamen de præfinita corporis magnitudine: deq; ipſa ſpecie nihil planè. Quamquam quod ibi prætériuit, alibi clariſſimè adiunxit. Libro enim definitionum medicarum, pulchritudo, inquit, in

ſym-

ſymmetria, ac proportione membrorum, cum coloris probitate conſiſtit. Atque ad Thraſibulum, [d] vera, inquit, pulchritudo in vegeto colore, carnis moderata copia, membrorumque congrua proportione continetur. Atque hæc Galenus, qui cùm de pulchritudine optimè cætera diſputaſſet: nihil tamen de terminis, ac iuſta corporis magnitudine memorauit: quoniam exactam fortaſse pulchritudinis notionem tradere tunc minimè inſtituerit. Ergo ſi Ariſtotelem, Galenumq; in vnum adiungas: pulchritudo, quæ ſcilicet óptimè conſtitutum corpus ſequatur, ordo eſt, ſeu proportio membrorum, cum coloris probitate, ac decenti magnitudine. Nec magni admodum intereſt, ſi dixeris, pulchritudinem, nec ordinem eſſe, nec proportionem membrorum: ſed affectum potius quendam, atque inde enatam qualitatem: nam magnis authoribus honeſta quædam dicendi libertas libentiſſimè vſurpatur: vt nullo diſcrimine, & ordinem ipſum, & ab eo enatam affectionem appellent. Quod ſi adhuc vrgeas, rem eſſe proprioribus vocibus explicandam: ſic ex Plotino definies: Pulchritudo eſt externa perfectio corporum diſſimilium partium, ex earum congruente ordine, menſura, & terminis conſurgens, oculis aſpicientium accommodata. Atq; hæc de ipſa pulchritudinis vniuerſali definitione, quæ longiori oratione tractari digniſſima eſt, breuiter modo ex magnis philoſophis collecta ſufficiant.

d Cap. 10.

Pulchritudinis definitio ſingularius explicatur.

Lvbet autem in eorum gratiam, qui exactius de rebus iudicare deſiderant, quinam ordo, ac proportio in homine pulchro requiratur, minutius expendere: ne dum vniuerſalia tantum contemplamur, euidentior ipſa rei cognitio, quæ in ſingularibus magis elucet, ignota nobis relinquatur. Ordo igitur, ſiuè potius commenſurationem appellare velis, eleganter à Vitruuio [e] ad hunc modum deſcribitur. Corpus hominis ita, inquit, natura compoſuit, vt os capitis ad frontem ſummam, & radices imas capilli, eſſet decimæ partis: item manus palma ab articulo ad extremum medium digitum tantundem: caput à mento ad ſummum verticem octauæ: tantundem ab ceruicibus imis: ab ſummo pectore ad imas radices

e Lib. 3. c. 1.

dices

dices capillorum ſextæ: ad ſummum verticem quartæ. Ipſius autem oris altitudinis tertia pars eſt ab imo mento ad imas nares: naſus ab imis naribus ad finem medium ſuperciliorum tantundem: ab ea fine ad imas radices capilli, vbi frons efficitur, item tertiæ partis: pes verò altitudinis corporis ſextæ: cubitus quartæ: pectus item quartæ: reliqua quoq; membra ſuos habent commenſus proportionis, quibus etiam antiqui pictores, & ſtatuarij nobiles vſi ſunt. Præterea *f* naſi tres in longum diſpoſiti vultus vnius implent longitudinem: aurium vtrarumq; ſemicirculi vna coniuncti oris aperti circulum faciunt: idem quoque coniunctio ſuperciliorum efficit: longitudo naſi longitudinem oris complet: aurisq; ſimiliter: gemini oculorum orbes vnum æquant oris hiatum: capita octo proceritatem corporis comprehendunt: eandem quoque monſtrat brachiorum in latus extenſio: crurumq; ſimiliter, atque pedum. Quam etiam rationem, proportionemq; ſecutus Pythagoras Herculis ſtatum, ac longitudinem ad vnguem reperit: vt videre eſt apud Gellium. *g* Coloris autem probitas, quam ſpeciem appellat Plato, ea in homine temperato eſſe debet, inquit Galenus; *h* vt ex rubro, & albo decens miſcela emergat. Etenim quoniam in nobis omnium copioſiſſimus eſt ſanguis, qui ruber eſt: proximè verò abundat pituita, quæ alba: par etiam fuerit, colorem totius corporis ex ambobus aptè conflatum eſſe: ſiquidem ſecundum naturam habeat. Sed hæc in toto corpore coloris præſtantia maximè expetitur: nam quibuſdam alijs particulis ſua propria eſt, ac peculiaris coloris pulchritudo: oculos enim ita coloratos commendat Ariſtoteles, *i* quemadmodum capræ præſeferunt: nam & morum optimorum tales etiam indicium præbent: & ad cernendi claritatem primatum obtineat. Capillos etiam flauos omnium maximè commendauit Galenus. *l* Quæ ſit autem iuſta humani corporis longitudo, haud facilè eſt præfinire: nam pleriſq; nationibus diuerſæ corporum ſtaturæ, vt magis familiares, ita etiam elegantiores eſſe videatur. Sic Hippocrates *m* Aſianos eximiæ eſſe magnitudinis: Aegyptios, ac Scythas compreſſo corpore. Europeos diſſimili magnitudine eſſe aſſeruit. Accepimus *n* etiam Pygmæos ternas ſpithamas longitudine non excedere. Adde etiam quod mares fœminis eſſe proceriores inter homines vbique conſtat.

f Marſ. Fic. in conuiu. Plat. orat. 5. cap. 4.

g 1. Noct. Attic. 1.

h Art. medic. cap. 51.

i 1. De hiſt. anim. cap. 10.

l Art. medic. cap. 51.

m De aere, loc. &c. c. 7.

n Plin. lib. 7. cap. 2.

Et

Digitized by Google

Et quantum ad ætates pertinet: iuuenibus magnitudo corporis, vt ſcripſit Hippocrates, [o] decens eſt, ac liberalis: ſenibus verò inutilis, ac deterior paruitate. Quamobrem propria cuiuſq; loci, ſexus atque ætatis media natura ſpectanda eſt, vt de certa magnitudine ſtatuere poſſis. Quòd ſi certam quandam hominis ſtaturam, quę exactiſſima ſit, & aliarum norma, inuenire deſideras, (nam rerum omnium [p] natura conſtantium ſua eſt, ac determinata magnitudo) video quibuſdam [q] placuiſſe: nec quidem temerè, menſuram quatuor cubitorum hominis longitudini maximè conuenire: citra quam ſi quis conſiſtat, breuiorem eſſe; ſi verò vltra progrediatur, longiorem. Atque ideo Iberos, quia breuiores ſunt: Batauos autem, ac multos Germanos, quia altiores, hactenus etiam minus pulchros vocari. Italos, ac Græcos, quoniam in vtriuſq; confinio verſantur, ac ferè mediam ſtaturam aſſequuntur, hoc nomine pulchriores eſſe.

o 2. Aph. 54.
p 2. De ani. tex. 41.
q Ioan. Geropius in ſua Gigantomachia.

Pulchritudinis natura adhuc magis explicatur.

Haec ipſa, in quibus pulchritudinem conſiſtere proximè dictum eſt, nihil arbitror intereſſe, ſpeciesnè, an partes dicas: vtrumque enim aliquo pacto rectè dici poteſt: nam ſi exactam, perfectamq; pulchritudinem tecum animo verſes: ordo, ſpecies, ac iuſta magnitudo partes erunt illius conſtitutiuæ: & quorum nulla in exacta pulchritudine conſtituenda ſeiungi à cæteris poſſit: nam ſi quis membrorũ ordine, menſuraq;, & coloris etiam congruentia optimè ſit conſtitutus: attamen exiguo ſit corpore: non equidem hunc verè pulchrum vocarit Ariſtoteles: [r] nam parui, inquit, elegantes quidem & concinni ſunt: non ſimiliter tamen pulchri: ideoque Galenus libro [ſ] ad Thraſibulum, has ipſas particulas pulchritudinem integrare manifeſtè affirmat. Si autem non ita ſeuerè, exquiſiteq; de re ipſa iudicabis: ſatiſq; fuerit, ſi, quod pulchrum volumus, plura dumtaxat, aut aliqua, non planè omnia habeat ornamenta: haud ægrè conceſſerim, & ſuam probo colori pulchritudinem, & membrorum proportioni, & cæteris ſeorſum propriam ineſſe. Quamobrem etiam puſilli corporis homines pulchri nihilominus fuerint. Sed illud etiam dignum admiratione eſſe videtur: quòd præter vniuerſa-

r 4. Moral. cap. 3.
ſ Cap. 14.

uerſalem hanc pulchritudinis idęam, diuerſæ etiam hominum ætates, ſexusq; diuerſi ſuam quoque, ac peculiarem pulchritudinem ſortiuntur: non enim eadem fœminis, ac viris expetitur forma: nam vt hos ingenuitas oris, & promptitudo pulcherrimos facit; ita illis ſuauitas quædam, ac verecundia magis quadrat. Præterea barbæ ornamentum pulchros reddit mares: fœminas non ita. Quod autem ad ætates pertinet: adoleſcentis pulchritudo eſt, inquit Ariſtoteles, [t] ſi corpus ita conſtitutum habeat, vt ad labores ſuſtinendos vtile ſit, vel ad curſum, vel ad vim inferendam: etſi quandam ore ſuauitatem præſeferat, quæ ſpectantes voluptate compleat: viri autem, & qui iam conſtanti ætate ſunt, pulchritudo eſt, vt corpus ad militares labores idoneum habeant: & oris ſuauitatem cum quodam terrore coniunctam: ſenis verò eſt, ſi corpus habeant neceſſarijs laboribus largè ſufficiens, & ſi nullam ore triſtitiam oſtendat, & his morbis careat, qui ſenectutem deprauare ſolent. Hoc autem in loco non incongruè ea quæſtio agitari poſſet: num pulchritudo à ſanitate, quæ in actionum perfectione poſita eſt, aliquo pacto differat: cuius rei occaſionem præbuit Galenus: qui vera, inquit, [u] pulchritudo ad vtilitatis ſucceſſum, & bonitatem refertur: & alibi, [x] pulchritudo, inquit, eſt conſtitutio optima, quę actionibus iudicatur: in quibus locis non aliam à ſanitate illam ſtatuere videtur: nam & naturalem omnium partium corporis conſtitutione m ſanitatem aliquando appellauit. [a] Verum, vt ad hæc paucis, pulchritudo qualitas quædam eſt, ac diſpoſitio, ex ſanitate, ideſt optima corporis conſtitutione enata: non autem eſt ſanitas. Veriſſimeq; Galenus, [b] pulchritudinem fructum eſſe valetudinis aſſeruit: vt & actionem quoque. Atque hoc eſt, quòd in finienda pulchritudine nulla actionum facta eſt mentio: actio enim quamquam perpetua quædam ſit illius comes: attamen nec pulchritudinem conſtituit: nec ab eo conſtituitur: ſed hoc tantum, cum ea ſimul à ſanitate dependet. Sed vt differant, ſeparari tnmen nequaquam poſſunt: doctéq; idem Galenus, [c] valetudinem, actiones, bonum habitum, ac pulchritudinem ſimul creſcere, ſimul minui, ac perfici affirmauit, ac ſimul etiam deleri: quodq; iſtorum vnum læſerit, quidquid fuerit, ſtatim reliqua omnia lædet: contra quod iuuat, pariter omnia iuuarit. Sed cùm hæc de pulchritudine à nobis

t 1. Rhetoric. cap. 5.

u 11. De vſu part. 13.

x 1. De vſu part. 9.

a De differ. morb. 2.

b Ad Thraſib. cap. 14.

c Ad Thraſib. cap. 15.

nobis ſtatuta ſint: præſtiterit intereà argumenta aliqua diluere: ne quidquam ſit, quod obicem nobis facere poſſit. Sunt qui de pulchritudine agere, nequaquam ad medicos pertinere affirmant: nam quidquid id eſt, neque ad valetudinem conſeruandam; neque ad depellendos morbos: in quibus omne opus medici verſatur, aliquid confert: ergo ne de cicatricibus quidem, quæ pulchritudinem lædunt, iudicare medicorum eſt munus. Præterea ſi vera ſunt, quæ in propoſita definitione continentur, profectò nullis particulis vera conueniret pulchritudo: ſed toti dumtaxat animali: nam hoc quoniam ex partibus conſtat, ideò ordinem habet dumtaxat, ac proportionem, quæ in ſingulis partibus nulla eſſe poteſt: ordo enim, ac proportio multorum eſt, non vnius: quòd ſi hominis particulæ pulchræ non ſunt, ne ipſe quidem homo: nam ex non pulchris pulchrum fieri nihil poteſt. Præterea haud difficilè aliquem inuenias, qui vniuerſas pulchritudinis conditiones, quæ in propoſita definitione cõtinentur, abunde habeat: nihilo tamen minus aliqua ex parte deformis ſit: nam ſi quarundam partium numerus præter naturam augeatur: quales hi ſunt, qui in manu ſex digitos habent: aut naturalis conformatio peruertatur, vt qui cruribus ſunt introrſũ, quos vacias, ac varos vocant: erunt hi ſine dubio deformes: quamquam nec in ordine, nec in proportione, nec in magnitudine, aut colore peccarint: ergo aliquid præterea requiritur, quod hoc etiam partium vitium à pulchritudine remoueat. Adde quod pili, de quibus tamen in definitione nulla eſt mentio, poſſunt propria ratione & pulchros, & deformes homines reddere: cuiuſmodi eſt etiam obæſitas, ac macilentia: neque enim difficilè eſt, dari aliquem abſolutæ in cæteris pulchritudinis, qui tamen ſi glaber ſit, aut nimis hirſutus: aut vltra modum extenuatus, pinguiſuè, hoc ipſo & deformis. Motus etiam corporis, ſiquidem ineptè procedat, etiam perfectam pulchritudinem maculare non mediocriter valet. Sed ad hæc paucis. Diximus ex Galeno, pulchritudinem effectum quendam eſſe neceſſarium valetudinis: vti & actionem quoque: nam, inquit, [d] cum ſanitatem induximus, nihil vltra circa actionem, pulchritudinemq; laboramus: accedunt enim hæ, vel inuito artifice: ipſiſq; aditum intercludere, cum ſemel ſanitatem creauerit, prorſus nequit. Fusè etiam eodem in loco probat Gale-

d Ad Thraſib. c. 15. 16.

Galenus, hæc omnia ad eundem artificem pertinere. Ergo ſi de valetudine agere nulla controuerſia ad medicos ſpectat: cur non ad eoſdem etiam de pulchritudine, qui neceſſarius eſt illius effectus? Ad id autem, quod ſecundo dictum eſt loco: vera equidem pulchritudo ſine dubio totius eſt; non autem partium, quæ illius gratia factæ ſunt omnes. Neque alienum eſt, ſi ex non pulchris pulchrum fiat: ſic enim ex imperfectis perfectum: ex paruis magnum: ac denique omnia ex contrarijs fieri, veriſſimè demonſtrat Ariſtoteles. *e* Sed video etiam & partibus ſuam nihilominus eſſe pulchritudinem, & quæ enarratæ à nobis definitioni reſpondeat; nam oculos tametſi totius pars eſt: habet tamen & ipſe etiam ſuas partes, quarum ratione & ordinem, & proportionem ſeruet. Numerus autem membrorum præter naturam auctus ordinis pulchritudinem ſine dubio peruertit: nam ſi ordo eſt, quo quæque particula in proprio, ac naturali eſt loco: ſextus digitus cum in alieno ſit loco: naturali ordini ſine dubio aduerſatur. Huiuſmodi etiam ſunt, qui in cõformatione morbos patiuntur: nam ſi ordo quædam eſt partium diſpoſitio: crura malè diſpoſita haudquaquam naturalem ordinem ſeruabunt. Pilos autem partium appellatione nunc comprehendo: nam quamquam non viuunt, atque ideò partes non vocauerit Ariſtoteles. *f* Ego tamen nullas corporis actiones in pulchritudine finienda mihi aſſumpſi: ſed ea tantum, quæ conſtituere illam poſſunt, quamuis nullius animæ participia ſint. Macies quoq; corporis, atque obæſitas iuſtæ magnitadinis decus imminuit: nam qui nimis obæſi ſunt, maiores æquo eſſe exiſtimantur: qui macilenti minores. Corporis autem motiones propoſitam à nobis pulchritudinem minimè attingunt; potius enim ad gratiam pertinent: quemadmodum & vocum modulamina; nam qui his præſtant, non tàm pulchros, quàm gratioſos dicere ſolemus.

e 1. Phyſic.

f 2. De gener. anim. 1.

De quorundam nominum ſignificationibus.

LAtinæ linguæ authores pulchritudinem ipſam varijs nominibus identidem ſignificant: ſed non eadem ſemper vi, atque efficacia: ideoque vt hoc quoque in apertum fiat: lubet varias huiuſmodi appellationes paucis exponere. Inter

pul-

pulchritudinem, & gratiam quamquam magna connexio ſit, vt ægrè diſiungi poſſint: illud tamen diſcrimen ferè intereſſe notabis: quòd pulchritudo magis obtinet conditionem materiæ: gratia verò neſciò quid plus habet ſpiritualis: atque ideò in motionibus hæc, atque actione, ſermoneq; magis refulget: illa in corpore etiam quieſcente, immotoq;. Quamobrem qui concinnè, aptiſq; geſticulationibus mouetur, atq; eleganter loquitur, aut canit, gratiam huius potius, quam pulchritudinem admiramur, quæ in corpore tantùm ſedem habet. Præterea inter pulchrum, & formoſum hoc intereſt, quòd pulcher dignitatem quandam corporis, nec tamen ſine animi dote demonſtrat: formoſus verò in aſpectus iucunditate, ac concinnitate dumtaxat verſatur. Sic apud Virgilium Latini ſermonis authorem locupletiſſimum, ſæpiſſimè leges: pulcher Apollo, pulcherrimus Aeneas, pulcher Iulus, pulcherrimus Turnus, proles pulcherrima bello. Contra autem formoſum Alexim, formoſam Amaryllida, formosè puer, & ſimilia multa. Quid? quod in Aeneide, grauiſſimo illo poemate, nunquam, niſi fallor, formoſi nomen inuenies: pulchri autem, quæ dignior vox eſt, ſæpiſſimè. Contra in eclogis, humilis opere argumenti, ſæpè formoſum leges: pulchrum vix ſemel: tam ſtudioſè nimirum proprietates nominum ſeruauit poeta. Præterea quod apud Virgilium pulchrum, ac formoſum eſt: id apud Ciceronem dignitas eſt, ac venuſtas: nam primo g libro de officijs, pulchritudinis, inquit, duo ſunt genera: quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas: & venuſtatem muliebrem ducere debemus: dignitatem virilem. Atque hæc hactenus dixi: non quòd te religioſè vbiq; ſeruare hanc loquendi normam velim: ſed ne te vocum proprietas, quæ nonnihil etiam ad tei notitiam facit: ad ſermonis autem elegantiam plurimum, omnino prætereat.

g *Ante finem.*

De ſecunda naturalis pulchritudinis ſpecie.

DE vera, atque abſoluta pulchritudine, qua hominem natura, quaſi princeps quædam architectandi magiſtra per ſingulas partes aptè compoſuit, efformauitq;, ſatis hactenus diſputatum puto. Reſtat modò, vt de alio genere, quod ad noſtrum magis pertinet inſtitutum, paucis diſſeramus. Hæc

autem pulchritudo quædam eſt ſecundaria, ac quaſi ornamentum primæ illi, ac potiſſimæ adnexum. De qua quidem omnium doctiſſimè, atque vberrimè Galenus vndecimo *b* de vſu partium pertractauit. Quemadmodum, inquit, boni artifices præter opus inſtitutum, artem ſuam oſtentant: vel gratia in clauſtris, ſeu obicibus, clypeis, & plerumque in enſium capulis, ac nonnunquam etiam in phialis, ornamentum quoddam, ac ſtatuarium opus aliquod, quod ad vſum partis nihil pertineat, aut hederam quandam, aut vites flexuoſas, aut id genus quiduis inſculpentes: ſic & natura ex abundanti omnia membra, eaq; potiſſimum hominum efformauit: quæ ornamenta multis in partibus clarè apparent: obſcurantur tamen aliquando ab ipſius vtilitatis ſplendore. Atque hæc Galenus, qui quidem pulchritudinem hanc, de qua modo ſermo habetur, non membrorum ordine, ac proportione conſtituit, aut actionibus metitur: ſed in lepore quodam corporis, ac rhythmo locat, & quæ tantùm aſpectum voluptate afficiat. Sic ſi quis cæcos habet oculos, aut nares odorari nequeuntes, aut crura torpentia: quamquam particulæ omnes, ſi potiſſima attenditur pulchritudo, non propter ſeipſas, vt verè ſcripſit Galenus: *i* ſed propter actiones expetuntur à nobis: attamen hæc eadem organa licet ad agendum inutilia, atque otioſa velit tamen vnuſquiſque deſiderio ſecundæ pulchritudinis, quæ primam ſequitur retinere. Ad hoc etiam genus quorundam pilorum ornamentum ſpectat, ac præſertim qui in viris maxillas operiunt: horum enim aut nullus omnino, aut minimus eſt vſus, atque vtilitas, quæ valetudini conferat. Hoc autem ornamentum abuſum aliquando vocauit Galenus: non quòd reuera malus illius ſit vſus: quod quidem vox ipſa apud nos ſignificare videtur: ſed potius pro vſu quodam ſecundario accepit. Sic, inquit, *l* craſſioribus halitus excrementis ad pilorum alimentum natura abutitur: nam potiſſimum naturæ conſilium fuerat, vt totum corpus excrementis expurgaret: poſtea verò quaſi per accidens in hoc etiam incubuit, vt certas hominum partes pulchrè ornateq; inde genitis pilis veſtiret. Præterea tale quidpiam pictoribus eſt, quod parergon dicitur: cùm ſcilicet, vt ait Plinius *m* in tabellæ opificio oſtentationis gratia, arbuſculas, auiculas, atque huiuſmodi alia præter opus ſibi inſtitutum adijciunt. Vides

igitur

b Cap. 13.

i 17. De vſu part. 1. Ad Thraſib. cap. 11.

l 11. De vſu part. 14.

m Libro 35. cap. 10.

igitur pulchritudinem hanc eſſe in homine naturalem, quendam leporem: qui cum ad vſum nihil faciat, partes tantum exornat: eſtq; effectus quidam primæ, ac potiſſimæ pulchritudinis: quemadmodum hæc etiam effectus eſt, ac fructus optimæ valetudinis. Hic etiam lepor cum in ſingulis particulis non obſcurè conſpiciatur: in his tamen præſertim euidens eſt, in quibus non admodum multa eſt actionum neceſſitas: quales ſunt, verbi gratia, aures, ac naſus: nam in oculis etſi æquè etiam is à natura adiectus fuit: quia tamen plurima, ac maximè neceſſaria in illis refulget actionum dignitas, perſtringitur ille propterea, ac delitescit.

De duabus pulchritudinis ſpeciebus ab arte inductis: & quæ cuiq; ex aduerſo reſpondeat deformitas.

QVoniam duas pulchritudinis ſpecies, quæ artificem cognoſcunt naturam ſatis hactenus explicauimus: duæ etiam præterea aliæ ab ipſo Galeno [n] proponuntur: quæ non equidem à natura: ſed ab externo artificio comparantur. Atque harum prima ad exornatoriam medicinam ſpectat: quæ ſemper quidquid ſecundum naturam eſt, id omne in corpore cuſtodit, atque imitatur: ac ſi quid in ea re peccatum fuerit, aliqua ratione emendat, ac corrigit. Huiuſmodi eſt, quæ faciei cicatrices abſtergit, æquatq;: quæ nigros dentes dealbat, atque alia huius generis præſtat. Secunda ad correctoriam pertinet partem: cuius opus eſt, vt acquiſititiam pulchritudinem inducat: quam etiam fucatam, atque adulterinam vocauit Galenus: [o] quæ nimirum albedine ſolet, vel mollitie, vel id genus alijs oſtentari. Hanc eandem vitioſam, & adulatricem dixit, [p] atque omnino inter improbas artes collocauit. Cùm igitur quatuor traditæ ſint pulchritudinis ſpecies: duæ naturales, totidem verò artificioſæ: quatuor etiam illis ex aduerſo deformitatis ſpecies reſpondent. Etenim veriſſimè à Galeno [q] dictum eſt, vitiorum genera eadem numero cum his eſſe, quæ virtutem perficiunt. Quæ prima eſt, deformem hominem vel in ordine partium ac minus apta proportione, vel in non iuſtis terminis, vel in coloris indecentia reddit: ex quibus ſi vel vnum duntaxat defuerit, conſtare amplius pulchritudo non poteſt: omnes enim conditiones concurrant neceſſe

n 1. Local. 2.

o 1. De vſu part. 9.

p Ad Thraſib. cap. 10.

q Art. medic. cap. 8.

ceſſe eſt, vt quiſpiam abſolutè ſit pulcher. Secunda verò eſt, quæ leporem, atque ornamentum illud deturpat, quod diximus tanquam additamentum inductum eſſe à natura. Huius generis eſt, ſi cui glabra ſint ſupercilia, ac capillorum defluuio laborat: ac præterea cui cicatrix ex vulnere impreſſa remanſerit. Tertia autem eſt deformitatis ſpecies, cum quis ita ſe gerit negligenter, vt nec corpus abſtergat, perluatq;, nec ſibi moderatam munditiem, aut cultum corporis ſtudet. Quarta denique eſt, (ſi tamen vlla vnquam dici deformitas debet, quæ muliebrem mollitiem vitat) cùm quiſpiam nec fucum, pigmentaq; alia, nec externum membrorum decorem coloremq; affectat. Nec ignoro, apud eos, qui ſacrorum Canonum decreta interpretantur, aliam pulchritudinis formam vſurpari ſolere: nam deformes illos appellant, qui externis quibuſdam particulis, & quæ ſacris Eccleſiæ cæremonijs adminiſtrandis ante alias deſeruiunt, minus integrè valent: cæteros verò non ita. Ergo cui macula in oculo eſt, qui gibboſus, diſtortus, aut claudus exiſtit, aut ſex habet digitos, meritò & deformis notatur, & ſacros ordines ſuſcipere propterea inhibetur. Sed huius pulchritudinis ratio in prima à nobis explicata definitione comprehenſa iam eſt.

Quæ pulchritudinis ſpecies à deformi dicta cicatrice offendatur.

NVlli dubium eſt, inducta cicatrice, illam tantum pulchritudinis ſpeciem lædi, quæ ſecundo loco poſita à nobis eſt: ac veluti naturæ parergon dicitur. Atque hæc etiam eſt, quæ modo nobis maximè contemplanda proponitur: ſed non illa quidem in corpore vniuerſo: verum in facie tantùm: non quod cæteris etiam particulis ſua huiuſmodi deſit pulchritudo: ſed quod ea in facie præſertim eluceat, pulcherrima ſcilicet omnium particula, & quæ oculis maximè expoſita eſt. Ideoq; huius particulæ offenſæ (vt optimè ſtatuunt Iuriſperiti, r) grauiorem pœnam inferunt percuſſori, quam quæuis aliæ in cæteris partibus acceptæ: & hoc non tam propter formæ, aut actionum oſtenſam: (diligenter hoc adnotes velim) ſed magis ex illata iniuria: quam eos pati recepta iam conſuetudine arbitramur, quibus in facie vulnus ab inimico illatum

r *Angel. de maleſic. verſ. in facie, ſupercilio, &c.*

illatum eſt: quamobrem non tantum ex pulchritudinis læſione, (quamquam & hoc quoque) ſed neſcio quid magis propter iniuriam grauis percuſſori pœna ſtatuitur. Ergo ea mihi ſententia eſt: vt ſi tale vulnus accipiatur, à quo vel genæ, vel frontis portio aliqua abſciſſa ſit: & quod non tam in longum productam cicatricem, quam in latum vndequaq; extenſam relinquat, minus hanc deformem eſſe cicatricem putem: quàm quæ lineæ ſpeciem oſtendit: etenim quoniam ex caſu, ex vulnere, ex eroſione, & quibuſdam alijs ſpontaneis malis tales in facie notas geſtare interdum ſine iniuria ſolemus: ideò in his cicatricibus plurimum imminuitur turpitudo: tametſi magis ab his, quam ab alijs deteri pulchritudo videtur. Ergo in facie tantùm acceptas cicatrices contemplamur: & quæ, vt dixi eius particulæ lepiditatem offendit: nam quæcunque vllas corporis actiones læſerit hoc nomine nullo pacto in præſentiarum deformis nuncupabitur: ſed quæcunque inde particula patietur, aut læſa, aut mutila, aut planè debilis appellatur. Ac ſi fiat, vt vſus ſimul, ac lepor particulæ offendatur: vt cum chartilaginea naſi pars, aut magna pars auris abſcinditur: hunc ego non ſimplicem affectum: ſed ex ſecundæ ſpeciei deformitate, ac functionis offenſa compoſitum fuiſſe pronuntiabo.

Quid, & quotuplex ſit cicatrix.

QVoniam de cicatrice ipſa nonnihil hactenus dictum eſt: ac multa adhuc dicenda: nec tamen quid ipſa ſit, ſatis adhuc conſtat: propterea operæpretium fuerit, hoc in loco vniuerſalem quandam illius notionem proponere: ne id, quod ex profeſſo enarrandum ſuſcipimus, vlla obſcuritate inuoluatur ignoreturq;. Ergo cicatrix, ſi vulgarem nominis intelligentiam capias, caro eſt denſata, ſiccataq;, ac calli inſtar indurata, pro cute inducta, quæ tamen non vera eſt cutis, ſed illi quam ſimillima: nam cutis quoniam ſpermatica pars eſt, eadem amplius adgenerari non poteſt: ideoq; quod licet ſimile quidpiam ſubſtituitur, quod illius officium ſuppleat. Verùm hæc cicatricis ratio minimè ad noſtrum inſtitutum facit: nos enim alia ratione ſumptam intelligimus. Cicatrix igitur ſignum quoddam eſt, atque veſtigium in facie ex vulnere

nere relictum: eiuſq; naturale ornamentum magis, minuſuè deturpans. Ergo hæc cicatrix ad naturalem tantùm pulchritudinem refertur, neq; eam omnem: ſed quæ ſecundaria eſt, & in ſola facie conſpicua. Duplex autem in vniuerſum eius eſt differentia: nam alia deformis dicitur: alia tantum apparens. Deformem eam voco, quæ naturalem in facie leporem, atque ornamentum manifeſtè offendit: apparentem tantum, quæ debiliter, atque obſcurè id facit. Sed de ſingulis ſeorſum fuſius agendum etiam eſt. Cicatrix, quam deformem nuncupauimus, duo planè requirit, aut certè ex his alterum, vt verè deformis ſit: primum, vt magnum in facie ſpatium euidenter occupet: alterum vt partium inæqualitatem aliquam, aut cauitatem faciat: nulli enim dubium eſſe arbitror, ſi multum ſpatij à cicatrice occupetur, ſiquidem conſpicuum id ſit, deformem illam eſſe: niſi tamen in ſola epidermide, atq; extima cutis ſuperficie relictum veſtigium ſit: hoc enim ipſum aliquo temporis ſpatio etiam ſpente deleri ſolet, & propterea neququam deforme futurum. Quod verò diximus, vt partium conſpicua reddatur inæqualitas, cauitaſuè, ita accipias velim: vt tunc manifeſta deformitas ſit, cum extremæ oræ cicatricis nullam inter ſe paritatem ſeruent: ſed alia ſubſideat: emineat verò alia: vel inter vtramque euidens cauitas intercedat: vel punctorum veſtigia non obſcurè conſpiciantur. In hac autem cicatrice ſi fiat, vt particulæ actio aliqua aut deſtruatur, aut offendatur: non ob id ego deformem appello: ſed hactenus fuerit deformis, quia vnicam illam pulchritudinem læſit; quæ interdum nulla ſubſtantiæ, aut actionis iactura deprauari tamen plurimum ſolet. Ergo ſiuè particulæ actio læſa ſit, ſiuè imminuta ſubſtantia, accedet quidem ad cicatricem aliquid: ſed quod tamen ab eius natura minimè contineatur. Atque hic quoſdam medicos iubet admonere, qui nimis ſeuerè, arctèq; de rebus ſentiunt: nimirum iſta me ad forenſem conſuetudinem communemq; hominum ſententiam ſcribere: qui quidem pulchritudinem, nec actionibus corporis metiuntur, atque ipſam omnino à valetudine ſeparant: pulchrumq; eſſe hominem illum arbitrantur, non ſolum qui integra ſanitate vtitur: ſed qui lepore quodam, ac ſecundario illo naturæ ornamento præſertim donatur. Sic qui varis, vaciiſq; ſunt cruribus, aut magnis etiam manibus, quamquam inceſſum, & ap-

pre-

prehenſionem ex naturæ lege exerceaut; haud tamen hoc in loco pulchros vocauerim: quoniam ſcilicet illo careant decore, vnde ſecundaria hæc conſtituitur pulchritudo. Cicatrix autem, quam apparentem dicimus, ea eſt, quæ exiguam iniuriam, ac vix aſpectabilem pulchritudini facit: ideoq; nec multum occupat ſpatij, nec partium inæqualitatem, aut cauitatem adeò manifeſtam inducit. Dicitur autem apparens, non quòd illa, quam deformem appellauimus, apparens etiam non ſit: hoc ipſo enim deformis eſt, quia talis apparet, ſed quod citra notabilem pulchritudinis læſionem tantum appareat. Huic etiam cicatrici hoc propriũ fuerit, vt niſi accuratè, ac diligenter intuearis, nequaquam conſpiciatur: nam ſi quis aliud cogitans faciem aſpectet, ſæpè illa latere ſolet: cum tamen quæ deformis eſt, etiam his, qui negligenter intueatur, facilè ſit conſpicua.

Quarum partium ratione, & quibus alijs de cauſis, magis, minuſuè deformis reddatur cicatrix.

CVm duæ iſtæ ſint inſignes cicatricum differentiæ: non eadem tamen ſemper eſt vtriuſque conditio: nam quæ deformis eſt, aliquando magis, non rarò minus eſſe deformis ſolet: & quæ itidem apparens: ſæpè, aut magis, aut minus apparens nuncupanda. Huius autem diſcriminis ratio (vt nihil ſit, quod in hac materia deſiderare poſſis) tum ab ipſius faciei particulis, tum etiam ab effectus magnitudine haberi poteſt. Ergo quæ in naſo apparet cicatrix, quantum ad partium ornamentum ſpectat, omnium maximè deformis eſſe mihi videtur, data nimirum in reliquis paritate: proxima verò, quæ in malis, quas priſci genas appellant: & quæ, vt ait Plinius, ſ pudoris ſedes eſt, ac maximum ruboris indicium: tertio loco, quæ in buccis, niſi cum barbæ tegumento deliteſcit: quarto quæ in labijs: poſtea quæ in oculis; deinde verò quæ in fronte apparet, ac quæ tandem in auribus. Hanc autem particularum differentiam non ego ex ipſorum functionibus ſumo: ſed ea mihi potior nunc inauditur particula; atq; eius etiam deformior cicatrix, quæ magis indecoram reddit faciem: & quæ nobis intuentibus primò ſeſe offert videndam: illam verò vltimi ordinis, quæ longè ab hac diſtat nota: & quæ om-

ſ *Libro* 11. *cap.* 37.

nium maximè aſpectum noſtrum ſubterfugit. Naſus igitur ideò primo loco ſtatuitur: non quod nobiliſſimas ille edat actiones: ſed quoniam promptiſſima in parte collocatus nobis cernentibus ſtatim exponitur: cum enim quempiam intuemur: naſus ante alia offertur; nam & in media eſt facie, & prominet manifeſtè. Nec me latet, nonnullos eſſe, qui oculorum cicatricem omnium maximè deformem eſſe contendunt: quibus ego, ſi præſtantiſſimum illorum vſum, nobilitatemq; mihi obijciant, nihil vnquam repugno. At qui non de vtilitatis pulchritudine nunc mihi ſermo inſtituitur: ſed de ea planè, quæ in ſecundario illo ornamento poſita eſt. Atque hoc etiam eſt, quod nihil aliquando cernentes oculos: quales ex imbecillis ſpiritibus, aut obſtructo viſorio neruo plerumque intuemur: pulchros tamen recepta conſuetudine dicere ſolemus: nam quam modo cum vulgaribus pulchritudinem contemplamur, nulla ab actione dependet. Naſus verò quantum in hoc genere præſtet, vel ipſe Meletius *ı* philoſophus clariſſimè edocuit: nam hæc, inquit, pars præ cæteris hominis faciem formoſam deformemq; maximè reddit. Et quidem cum exigua naſi videatur in facie actionum neceſſitas, atque vſus: ſola in eo pulchritudo, ac lepor magis elucet: contra verò in oculis, in quibus ſcilicet ornamentum ab actione, quæ plurima eſt, longo interuallo ſuperatur, magis conſpicua eſt neceſſitas: minus lepor. Et Virgilius, qui in reddendis nominum proprietatibus ſingularis, ac penè diuinus ſemper fuit, cum Deiphobi vulnera ſuo quæque adiuncto aptiſſimè expreſſiſſet: id quod erat acceptum in naribus inhoneſtum dixit: in quo plurimum formæ honeſtas tolleretur: non ita in alijs: ſic enim in ſexto Aeneidos ſcriptum legimus:

ı Lib. de natura hom. vbi de naſo.

Atq; hic Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora:
Ora, manuſq; ambas, populataq; tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Huius etiam inſtituti veritatem confirmat, quod in Longobardorum legibus ſcriptum inuenimus: illis nimirum, qui vnius furti crimine ſunt deprehenſi, oculum erui debere: qui verò duorum, naſum abſcindi. Vt iam hinc conſtet: maius ſup-

ſupplicium, maior emq; turpitudinis notam videri, ſine naſo eſſe, quàm ſine oculo. Ac quidam Aethiopum rex fertur, [u] delinquentium crimina non mortis pœna: ſed naſi mutilatione caſtigaſſe: vt eam oris turpitudinem veriti, circumſpectius à criminibus abſtinerent: vt iam gens illa grauius naſi iacturam, quam vitæ exiſtimaſſe videretur. Atque illud etiam aduerto: eas cicatrices, quæ in oculis ſunt, aut omnino videndi actionem tollere: & tunc non tam de læſa pulchritudine, quàm de ſenſus priuatione agi: aut ſolum veſtigium relinqui: quo tempore & ipſa affectus paruitate, & iugi palpebrarum obiectu non adeò multam deformitatem induci. Quamquam omnis etiam oculorum cicatrix facilè ſpeciem quandam albuginis, aut nebulæ repræſentat: vt ægre interdum diſcernere valeas, num à vulnere impreſſum veſtigium ſit, an ab effectu ſponte enato. Ac propterea quamquam oculi offenditur pulchritudo: quia tamen abeſſe iniuria videri poteſt, hoc ipſo minus erit deformis cicatrix. Dictum enim à nobis eſt antea, deformitatem in hoc genere plurimum à concepta iniuriæ opinione pendere. Aures verò propterea vltimo loco conſtitui: quòd retrò in extremis faciei finibus poſitæ ſunt: vixq; in ea loca, niſi ſedulò oculos conijcimus. Præterea obſeruatum eſt, cicatricem in rugoſa facie conſpicuam: cuiuſmodi in ſenioribus ſpectatur, ac præſertim in tempore, iuxta minorem oculi angulum, deformitatem hoc nomine plurimum augere: videriq; ac ſi multis punctis perperam adminiſtratis, inæqualiter vulneris oræ coaluerint. Ergo hic quoq; res tota explicanda eſt: ac qua de cauſa deformitas illa enata ſit, referendum. Atque hæc de partium dignitate, quantum præſens exigit occaſio. Quod verò ad affectus magnitudinem ſpectat: tres omnino ſunt cicatricum gradus: ſiuè apparentes tantum, ſiuè illas deformes eſſe velis: vt alia nimirum ſit magna, alia parua, alia mediocris: non quod tres tantum reuera ſint illarum magnitudines, (innumera enim ſingularium eſt turba) ſed quod ad huius doctrinæ inſtitutionem tres tantum ſatis ſunt, ad quas reliquæ etiam omnes facilè reduci valeant. Magna autem illa eſt, quæ plurimam faciei partem occupauit: aut quæ valdè caua, & inæqualis apparet: parua verò, quæ minimum occupat ſpatium, ac ferè plana eſt ſuperficie: mediocris, quæ inter has extremas ambigit. Atque his

[u] Alex. ab Alexand. lib. 3. cap. 5.

notis non ſolum quæ ſunt deformes: ſed quæ etiam apparentes tantum, per varios hos gradus diſcernas licet.

Cautiones quædam in iudicandis cicatricibus.

CVm multa hactenus de cicatricum natura, ac differentijs dicta iam ſint: illud etiam in referenda ſententia cautè aduertendum moneo: ne de recenti adhuc cicatrice facilè, ac temerè pronunties: in primis enim diebus maior, ac deformior ſeipſa ſemper illa apparebit: quamobrem præſtiterit modicum tempus immorari, dum fluxionis reliquiæ, aut propria particulæ excrementa, quæ tumentem cicatricem, ac malè etiam coloratam reddant, diſſoluentur: redeatq; particula ad habitum naturalem: tunc enim nequaquam mentietur vulneris veſtigium: ac verum de re ipſa licebit iudicium ſtatuere. Quod ſi hoc tibi iudicandi tempus non dabitur: ac de re propoſita iam tum aſſerere neceſſe ſit: dices quidem, diem ipſam multum deformitatis eſſe detracturam: ſolereq; poſt aliquod ſpatium longè minorem eam læſionem, ac deformitatem videri: quod ipſum in iuuene præſertim boni habitus, probique temperamenti non obſcurè vſuuenire ſolet. Sed illud adnotes velim, quod à Celſo *x* proditum eſt, cum ſcilicet in omnibus locis cicatrix commodè inducatur: ſe us tamen euenire in ea frontis parte, quæ paulùm ſuprà, ſupercilia ſit: ſiquidem os etiam non ita leuiter offenderit, ibi enim vix fieri poteſt, vt non per omnem ætatem ſit exulceratio, quæ linteolo medicamentum habente contegenda ſit. Cauſam adiecit Paræus: *a* quia ſcilicet eo loci interna ſubſit in oſſe cauitas, quæ ad naſi cribroſa oſſa pertingit, * aeris plena: à quo carnis inductio impediatur: vel quod eo loci os valdè denſum ſit: vix vt inde ſatis ſucci alibilis exudare poſſit, qui regenerandæ carni ſufficiat. Adde quod in id victus magnus ſit excrementorum, quæ alioquin per oculos, & nares efferuntur, confluxus. Illud etiam prætereundum non eſt, fieri aliquando, vt ab exiguo vulnere, ac cæſim inflicto deformis tamen relinquatur cicatrix: cuius tamen rei culpa aut in chirurgos, qui vulneris oras minus benè ſimul coaptarint: importunaue adhibuerint medicamenta: aut in hominis intemperantiam, externoſue alios errores: aut interim in magnam

x *Lib. 7. c. 4.*

a *Lib. 9. cap. 12. 19.*

* *Vide Fallop. in expoſit. de oſſibus.*

gnam corporis cacochimiam referri verius poſſit. Ergo ſi hoc ipſum animauertes: liberè de omnibus pronunties iubeo. Et quidem ſi pereunte aliquo ex vulnere: plerumque tamen necis culpam, aut in vitioſos corporis humores: aut in prauam victus rationem, aut in externas iniurias merito reijcere aliquando ſolemus: cur non eadem ratio in cicatricibus quoque iudicandis fuerit? ſiquidem exiguum vulnus aliorum culpa, non propria ratione deforme veſtigium reliquerit. Aſſerat ergo medicus agnouiſſe ſe quidem deformem cicatricem: ſed eam tamen non ex ipſa vulneris natura; quod paruum alioquin fuit: ſed aut ex immoderantia ægrotantis, vel quouis alio errore talem redditam fuiſſe. Verum hoc etiam admonitos illos velim, qui integrè ſemper de rebus decernere ſtudent: vt ſi quando cicatrix barba, aut capillo obduci poteſt: dicant quidem deformem fortaſsè illam eſſe: quantum ſcilicet in ea eſt, ſed tamen per accidens factum eſſe, vt non ſolum deformis non ſit: ſed ne apparens quidem. Hactenus enim deformem dicimus, quatenus intuentibus talis videri ſolet: quocirca ſi nulla conſpicua eſt deformitas, ne eſſe illam quidem ſtatuendum: nam in hoc loco res ipſas non mente, ac cogitatione comprehendimus: ſed ſolùm oculorum iudicium poſtulamus. Ergo quid de cicatricibus ſentiat, ac referat medicus, ſatis arbitror explicatum eſt.

De dignoſcendis his, qui morbum ſimulant. Cap. II.

Scribendi occaſio.

FRequentiſſimè à nobis magiſtratus exquirit: num qui carceribus detenti ſunt, aut ad tormenta deferuntur, ſolui inde tamen valetudinis gratia ſupplices petunt, verè ægrotent: an potius ægritudinem ſimulent: in qua re quoniam nihil certi ſtatuere tunc iudices poſſunt, nos meritò adeunt: totumq; eius iudicij cardinem in nobis noſtro iure verſandum permittunt. Ergo de hac quoque materia accuratè agendum hic eſt: ne interdum, qui ſe ægrotos mentiuntur, noſtra authoritate fideq; abuti, ac nos deludere videantur.

Cum vera proponitur ægritudo, quomodo referendum.

NE igitur temerè quidpiam agas: ante alia aduertendum eſt tibi, num de propoſita ægritudine ſatis conſtet, veraq; ſint ſupplicum poſtulata: an potius ſuſpecta res ſit, ac ſubeſſe dolus aliquis poſſit. Nam ſi quiſpiam de manifeſta, atque omnibus conſpicua ægritudine conqueratur: promptum eſt, quidnam ad iudices dicas. Afferes enim manifeſtò ægrotare hominem: atq; interim propriam morbi naturam: ac grauiora, & magis inſignia ſymptomata propones. Dices etiam in quo vitæ diſcrimine ægrotus verſetur, & quàm neceſſe ſit, illum è carceribus eximi, cuius rei gratia illorum incommoda opportunè expones. Ferè enim noxijs vaporibus inſalubres ſunt carceres, nullis perflantur ventis; vda ſunt loca, atque impura hominum expiratione, ſituq; valetudini noxia. Adde etiam nullos ibi præſto eſſe miniſtros, aut domeſticos viros, qui morbo ſalubrem opem ferre poſſint: nec idonea remedia, aut præſcribi, aut adminiſtrari opportunè licere. Sed hac in re admonendi mihi ſunt iuniores medici: ne tam promptè, ac temerè quæcunq; offertur ægritudo, ſtatim homines è carceribus eximendos iubeant: nam ſi quis lenta, atque exigua, verbi gratia, febre incaleſcat, qualis ex frigida viſcerum obſtructione plerumque excitatur: ſi quis item dolorificis quibuſdam externorum membrorum affectibus: qui nec magni ſint, ac ſine febre inuadant, detineatur: haud ſtatim ego propterea locum commutari opus eſſe referam: nam huiuſmodi ægrotantes diu in carceribus, atque innoxiè ſæpè eſſe conſueuerunt. Ergo ægrotos illos tantum, quibus non ita leuis ab his locis imminet offenſa, & quos acuti præſertim morbi diuexant, illinc liberari ingenuè aſſeres: nam qui longas præbent inducias, ac ſine periculo ſunt, tuam operam minimè demerentur. Quocirca nunquam illos medicos laudare poſſum: qui de quouis etiam leui morbo illud liberè pronuntiant: poſſe nimirum, ſiquidem in carceribus degant ægroti, manifeſtum valetudinis, ac vitæ diſcrimen incurrere: ac malum illo in loco facilè recrudeſcere. Ego enim etſi minimè negabo, ægrotantes omnes ſalubrius multò domi, quàm in carceribus eſſe: non hoc tamen eſt, quod à nobis exigit magi-

ſtra-

ſtratus: ſed num quiſpiam ita ægrotet, vt quantum medicis artibus, obſeruationibuſq; perſpectum eſt, certa aut frequens à carceribus læſio, neque hæc quidem exigua ſit profectura. Aduertant igitur hi medici, qui vel amicorum precibus nimis flectuntur, vel corrumpuntur largitionibus: ne præter infamiam, quam difugere vix poſſunt, ſanctum ætiam iuſiurandi ius interea violent.

De tribus ſimulationum generibus.

TRes modos eſſe, quibus identidem ſimulari ægritudines ſolent, deprehendere hactenus potui. Prima eſt, cum nulla medico offertur ægritudinis facies: ſed tantum languentium clamores, ac querimonias accipit. Secunda, cum nonnulli quidem morbi haud obſcuri offeruntur: ſed qui tamen arte quadam excitati, inductiq; ſint. Vltima tamen, cum non ipſi equidem morbi: ſed nonnulla tamen eorundem ſigna præmonſtrantur, quæ & ipſa etiam arte inducta, certos tamen comitari affectus ſolent. Ergo ſi quiſpiam ita ſe ægrotare affirmat, vt nullum tamen ægritudinis iudicium nobis innoteſcat: ſed clamores tantum, ac querelæ ægrotantium, nihil præterea morbum ſignificet: cuiuſmodi eſſe ſolet colicus dolor, lithiaſis, multæq; aliæ dolorificæ affectiones: ac præter hæc inſaniæ genera omnia: hic ſedula adhibenda eſt medico diligentia, ne temerè quidpiam ad iudices referat. Nulla tunc enim inſpectari poſſunt morborum ſigna: præſertim ſi iam tum incœpiſſe affectum enarrent: non pulſus immutatur: nulla nimirum febre morbum comitante: non vrina ſatis fideliter conſulitur. Quod ergo conſilium capiendum? Putant aliqui, aut afferenti de ſe ægrotanti prorſus credendum eſſe: aut nihil omninò certi pronuntiandum. Neutrum tamen prorſus laudo: nam ſi enarranti tantum ægroto fidem adhibeas: dum tu ipſe nihil compertum habes: temerè quidem de incertis rebus certum aliquid affirmabis, atque interim ſanctiſſimum iuſiurandi ius, quod ſeruare te ſemper oportet, maculabis. Si verò tuam prorſus neges aſſertionem: aut incerta omnia proponas: tunc quidem inſcius eſſe videbere: ac te vel nolle officium præſtare, vel neſcire omnes exiſtimabunt. Afferenda igitur ratio aliqua eſt, vt occultos hominum dolos,

qui

qui nos in noſtro munere deludere, ac fallere tentant, detegere poſſimus. De qua tamen paulò pòſt multis agam. Secunda ſimulandæ ægritudinis ratio ea eſt: cum quiſpiam verum aliquem morbum ſibi data opera induxerit: ſed qui tamen breui ſit duraturus: quippe qui externam tantum habuerit cauſam, quę ſanum corpus tantiſper offenderit. Huiuſmodi ſunt, qui alterci ſemine epoto, aliquot horarum ſpatio tam validè febriunt, mentiſq; turbatione commouentur, vt manifeſtum vitæ periculum his, qui dolum ignorant, imminere videatur. Quæ etiam ſymptomata hauſtum vinum, in quo mandragoræ radices ferbuerint, præſtare ſolet. Nonnulli etiam calidum quodpiam electuarium, qualis præſertim eſt anacardina confectio, deuorantes, vino interim ſuperbibito, ſibi febrem accendunt. Alij vlcera ſibi thapſia admota, aut clematide herba, quæ etiam flammula appellatur, alicubi excitant: quæ tamen quoniam ab exteriori tantum cauſa enata fuerunt: nec vllam interni ſucci ſentiunt acrimoniam, facilè propterea, cum libuerit, ſaneſcunt. In hac autem occaſione duplex tibi dicendi modus proponitur: aut enim ingenuè dices, ægrotare hominem, ſiquidem doli machinam neſcies: nam reuera manifeſta apparet ægritudo: & quæ quamquam ab externa enata ſit cauſa: poſſit tamen eadem, ac ſoleat non rarò ab interno vitio proficiſci: vt iam nullo pacto is reprehendendus ſit medicus, ſi latentes hominum aſtus ſtatim minimè deprehendat. Aut certè ſi inſtent iudices, vt diligentius rem perquiras: tuam interim aſſertionem ad poſterum differes diem, adhibita tamen opera ne morbifica denuo aſſumantur antidota. Sic ergo te nihil latebit: ſentieſq; ſymptomata omnia, quæ longum iam tempus duratura antea videbantur, quaſi ex inſperato euaneſcere. Quod ſi eueniat fortaſsè, vt aſſueta ab illis iterum aſſumantur remedia: ac tuam diligentiam tunc etiam nihilominus fruſtrentur: haud equidem ſine periculo hoc facient. Plerumque enim ſi morboſus aliquis lateat apparatus, minima quaque occaſione firmas iacit radices ægritudo: & quæ à manifeſta cauſa proceſſit, iam facilè internum contrahere vitium poteſt. Sed has quoque morborum ſimulationes, mox diligenter, qua ratione dignoſcas enarrabo. Vltimus denique modus: quo quis ſimulare ægritudinem poſſit, hic eſt: vt non ipſos quidem morbos, atq;

euiden-

euidentes præſeferat: ſed quos tamen ex quibuſdam ſignis conijcere poſſis. Sunt enim qui ſibi naturalem pulſuum conſtitutionem alligatis ſcilicet brachijs ita immutent, vt languidi iam, ac multiplici inæqualitate metuendi eſſe videantur: ac præterea vrinam ipſam admixto ſaponario lixiuio, aut rhabarbari tantillo ad liuorem, palloremq; manifeſtè colorent: vt ſi aſtum neſcias, non ſolùm ægrotare hominem: ſed peſſimè etiam habere referas. Quidam alij à cibo aliquandiu abſtinentes, ac minium aqua ſalſa commixtum potantes, ſanguineum fluxum aptè mentiuntur. Indicæ ficus fructus, qui mororum modo maturi manus inficiunt, ſi comederis, ſanguineam vrinam reddunt: id quod multis terrorem incuſſit, credentes ſe illico eſſe perituros. Item ſi mororum fructus ederis, ſtercus cruore tingit: docetq; Dioſcorides rubiæ tinctorum eſu cruentam vrinam reddi. De cumino autem promptum eſt apud eundem legere, quod pallorem inducat: nam qui ita faciem decolorant, vt ſanctitatis titulo ſeſe venditent, illo ſæpè ſuffiuntur, & in cibis vtuntur frequenter. Huiuſmodi etiam ſunt, qui exucto à gingiuis ſanguine, ac tuſſi vltro excitata, cruentam à pectore expuitionem fingunt. Sed iſti doli, cæteriq; alij, quomodo agnoſci poſſint, tempeſtiuè iam dicam.

Quibus rationibus morbum ſimulantes deprehendi poſſint.

DOcuit Galenus, *b* eum medicum, qui in hoc notitiæ genere præſtare contendit: in duobus præſertim diligenter verſatum eſſe oportere; in quadam ſcilicet medica experientia: & in communi etiam ratione, quam pauci exactam, ac perfectam habent. Ad medicam verò experientiam pertinere ait, illum, verbi gratia, deprehendere, qui colico cruciatu ſe teneri affirmabat: cum tamen nec indigeſtio, nec infrigidatio vlla præceſſerit: vnde ſcilicet is morbus proficiſci ſolet. Huc etiam ſpectat, quod ipſe in ſeruo animaduertit: qui ſibi per thapſiam tumorem in genu excitauit: nam cum maximus is eſſet, nihil tamen commiſſum fuerat, quod eum tumorem commouere potuiſſet: nec vllum erat redundantis humoris indicium: præterea cum pharmacum impoſuiſſet, quod thapſiæ tantum qualitatem infrigidare poſſet, nihil tamen

b Libro quomodo morbū ſimulantes, &c.

dolorem leuare: poſt horam lenitus eſt dolor. Hac etiam ratione mentiri illos deprehendimus: qui ſe doloris magnitudine teneri affirmant: ſiquidem nec langueant, nec frigida ſint extrema, nec frigidum ſudent: nec pulſum habeant inæqualem paruum, aut obſcurum: nec de doloris ſpecię interrogati apte medico reſpondeant. Alij enim dolores longè, ac latè diffuſi ſunt, alij tanquam fixi, pungentes alij, ac pulſantes, alij quaſi diuellunt, quidam ſtupefaciunt, quidam grauant, nonnulli vomitum, aut ventris perturbationem, aut caliginem inferunt. Hæc ergo, & pleraque alia medicam exigunt multarum rerum experientiam, ſine quibus fruſtra in hoc genere laborabis. Ad externas autem ratiocinationes, & coniecturas: ſiuè, vt antea dictum eſt, communem rationem, ſpectat nouiſſe, quæ ſimulandi occaſio fuerit: quid hominem ad mentiendum impulerit: ſic ergo cùm quidam in concionem à ciuibus vocaretur: ac conduceret, non accedere; cum ob id colico dolore ſe teneri affirmaret, non erat difficile morbum illum ſimulaſſe deprehendere. Quidam etiam ſeruus qui curſu dominum comitari aſſueuerat, cum illum itineri paratum videret, ac mulierculæ amore teneretur; finxit ſe vtroq; genu dolere: quæ fraus, illi, qui hæc nouerit, facilè eſt, vt innoteſcat. Innumereq; ſunt huius generis coniecturæ: quas diuerſas, ac multas animo verſet is medicus oportet, qui ſimulantium dolos ſtudet deprehendere. Ego autem dum ſuper hæc diligenti cura verſarem, ac quæ à Galeno dicta ſunt, in ordinem qnendam reducere, in multis etiam amplificare contenderem: octo omnino videntur eſſe rationes, ac modi, quibus ſimulati morbi dolus omnis, conſiliaq; deprehendi poſſint. Prima eſt ex medica quadam notione deducta: cum ſcilicet talis proponitur morbus, cuius tamen nullas externas præceſſiſſe occaſiones aduerteris: & cuius nullas internas cauſas adeſſe cognoueris. Sic ſi repente tumor aliquis in benè habito corpore ſine caſu, ſine offenſione excitetur, eſt cur de dolo facilè ſuſpicere. Secunda ratio illorum reſponſiones iubet animaduertere, qui ſeſe ægrotare fingunt: ita enim à natura hominibus comparatum eſt, vt in his, quæ fingimus, ac mentimur, varij ſemper, atque inconſtantes ſimus: ſemper in diuerſas vacillemus partes, vt nec promptè ad interrogata reſpondeamus, nec ſemper eadem. Tertia à remediorum viribus,

bus, profectumq; deſumitur: nam ſi quis morbum conqueritur: illi autem certam adhibueris medicinam, quæ ſæpè alias manifeſtam opem attulerit: attamen nihil tum adiuuarit: erit, quod te in doli ſuſpitionem adducat. Ac cum quiſpiam impoſita thapſia vlcera ſibi in corpore excitaſſet: illitumque aliquid fuiſſet, quod ſuſpecti medicamenti acrimoniam leniret: deprehenſa res eſt, quoniam illud iuuit: nam ſi ab interna fluxione particula intumuiſſet: ab illo læſa potius fuiſſet. Quartus eſt modus, ſi quando aliquem videas, qui præcepta à medico remedia omnino recuſat, atque contemnit: ferè enim cum ægrotamus, auxilium quoque vltro perquirere ſolemus: ſic quendam Galenus dolorem colicum mentientem hoc aſtu deprehendit: quod ſcilicet medicamenta recuſaſſet, meticuloſus alioquin, atque ad medicamenta ſemper antea facillimus. Quintum verò ab hominum tolerantia deduces: nam qui morbum ſimulant, plurimum licet, ac clamosè conquerantur, ſeq; diuersè exagitent, fieri tamen non poteſt, quin per imprudentiam aliquando in ſalubrem ſtatum recidant, vnde ſeſe facilè prodant. Sextum à proprijs quibuſdam morborum notis elicies: atque his præſertim, quæ perpetuò affectum comitari ſolent. Si quis moleſtum ſtomachi dolorem, vellicationem, nauſam, faſtidium cõqueratur, quoniam hæc [c] ſymptomata certos pulſus requirunt, paruos languidos, ac paulò celeriores: tunc dolum facilè aduertes, ſi contrariam pulſuum diſpoſitionem deprehendes. Dolores [d] autem in vniuerſum, ac qui præſertim principes partes tenent: initio comitantur pulſus maiores, vehementiores, celeriores, crebriores: poſtea verò ad modum validi, minores, languidiores, celeriores, crebriores: ac quo diuturnior eſt dolor, eò etiam ſunt vehementiores. Quamobrem ſi pulſuum naturam explores, de omnibus certior fies. Si etiam inſanum ſe quiſpiam effingat: nullus tamen metus, nulla mœſtitia ſit: quæ [e] veriſſimæ eius affectus indicia ſunt: nihil te illius deliramenta permouebunt, quæ vnuſquiſque effingere promptè poteſt. Septimus in ipſa partium inſpectione conſiſtit: ſæpè enim cum multa nequidquam tententur: vnicum tamen huiuſmodi indicium falli non poteſt: ita enim deprehenſi ſunt aliqui, qui ſub finem tuſſis, quoties vellent, ſanguinem excreabant: venula quadam circa gingiuas ſic adaperta, ac comparata, vt

[c] 4. De cauſ. pulſ. 23.

[d] 4. De cauſ. pulſ. 6.

[e] 6. Aph. 23.

dolorem leuare: poſt horam lenitus eſt dolor. Hac etiam ratione mentiri illos deprehendimus: qui ſe doloris magnitudine teneri affirmant: ſiquidem nec langueant, nec frigida ſint extrema, nec frigidum ſudent: nec pulſum habeant inæqualem paruum, aut obſcurum: nec de doloris ſpecię interrogati aptè medico reſpondeant. Alij enim dolores longè, ac latè diffuſi ſunt, alij tanquam fixi, pungentes alij, ac pulſantes, alij quaſi diuellunt, quidam ſtupefaciunt, quidam grauant, nonnulli vomitum, aut ventris perturbationem, aut caliginem inferunt. Hæc ergo, & pleraque alia medicam exigunt multarum rerum experientiam, ſine quibus fruſtra in hoc genere laborabis. Ad externas autem ratiocinationes, & coniecturas: ſiuè, vt antea dictum eſt, communem rationem, ſpectat nouiſſe, quæ ſimulandi occaſio fuerit: quid hominem ad mentiendum impulerit: ſic ergo cùm quidam in concionem à ciuibus vocaretur: ac conduceret, non accedere; cum ob id colico dolore ſe teneri affirmaret, non erat difficile morbum illum ſimulaſſe deprehendere. Quidam etiam ſeruus qui curſu dominum comitari aſſueuerat, cum illum itineri paratum videret, ac mulierculæ amore teneretur; finxit ſe vtroq; genu dolere: quæ fraus, illi, qui hæc nouerit, facilè eſt, vt innoteſcat. Innumereq; ſunt huius generis coniecturæ: quas diuerſas, ac multas animo verſet is medicus oportet, qui ſimulantium dolos ſtudet deprehendere. Ego autem dum ſuper hæc diligenti cura verſarem, ac quæ à Galeno dicta ſunt, in ordinem qnendam reducere, in multis etiam amplificare contenderem: octo omnino videntur eſſe rationes, ac modi, quibus ſimulati morbi dolus omnis, conſiliaq; deprehendi poſſint. Prima eſt ex medica quadam notione deducta: cum ſcilicet talis proponitur morbus, cuius tamen nullas externas præceſſiſſe occaſiones aduerteris: & cuius nullas internas cauſas adeſſe cognoueris. Sic ſi repente tumor aliquis in benè habito corpore ſine caſu, ſine offenſione excitetur, eſt cur de dolo facilè ſuſpicere. Secunda ratio illorum reſponſiones iubet animaduertere, qui ſeſe ægrotare fingunt: ita enim à natura hominibus comparatum eſt, vt in his, quæ fingimus, ac mentimur, varij ſemper, atque inconſtantes ſimus: ſemper in diuerſas vacillemus partes, vt nec promptè ad interrogata reſpondeamus, nec ſemper eadem. Tertia à remediorum viribus,

bus, profectumq; deſumitur: nam ſi quis morbum conqueritur: illi autem certam adhibueris medicinam, quæ ſæpè alias manifeſtam opem attulerit: attamen nihil tum adiuuarit: erit, quod te in doli ſuſpitionem adducat. Ac cum quiſpiam impoſita thapſia vlcera ſibi in corpore excitaſſet: illitumque aliquid fuiſſet, quod ſuſpecti medicamenti acrimoniam leniret: deprehenſa res eſt, quoniam illud iuuit: nam ſi ab interna fluxione particula intumuiſſet: ab illo læſa potius fuiſſet. Quartus eſt modus, ſi quando aliquem videas, qui præcepta à medico remedia omnino recuſat, atque contemnit: ferè enim cum ægrotamus, auxilium quoque vltro perquirere ſolemus: ſic quendam Galenus dolorem colicum mentientem hoc aſtu deprehendit: quod ſcilicet medicamenta recuſaſſet, meticuloſus alioquin, atque ad medicamenta ſemper antea facillimus. Quintum verò ab hominum tolerantia deduces: nam qui morbum ſimulant, plurimum licet, ac clamosè conquerantur, ſeq; diuersè exagitent, fieri tamen non poteſt, quin per imprudentiam aliquando in ſalubrem ſtatum recidant, vnde ſeſe facilè prodant. Sextum à proprijs quibuſdam morborum notis elicies: atque his præſertim, quæ perpetuò affectum comitari ſolent. Si quis moleſtum ſtomachi dolorem, vellicationem, nauſam, faſtidium côqueratur; quoniam hæc [c] ſymptomata certos pulſus requirunt, paruos languidos, ac paulò celeriores: tunc dolum facilè aduertes, ſi contrariam pulſuum diſpoſitionem deprehendes. Dolores [d] autem in vniuerſum, ac qui præſertim principes partes tenent: initio comitantur pulſus maiores, vehementiores, celeriores, crebriores: poſtea verò ad modum validi, minores, languidiores, celeriores, crebriores; ac quo diuturnior eſt dolor, eò etiam ſunt vehementiores. Quamobrem ſi pulſuum naturam explores, de omnibus certior fies. Si etiam inſanum ſe quiſpiam effingat: nullus tamen metus, nulla mœſtitia ſit: quæ [e] veriſſimæ eius affectus indicia ſunt: nihil te illius deliramenta permouebunt, quæ vnuſquiſque effingere promptè poteſt. Septimus in ipſa partium inſpectione conſiſtit: ſæpè enim cum multa nequidquam tententur: vnicum tamen huiuſmodi indicium falli non poteſt: ita enim deprehenſi ſunt aliqui, qui ſub finem tuſſis, quoties vellent, ſanguinem excreabant: venula quadam circa gingiuas ſic adaperta, ac comparata, vt

[c] 4. *De cauſ. pulſ.* 23.

[d] 4. *De cauſ. pulſ.* 6.

[e] 6. *Aph.* 23.

quoties opus eſſet, lingua illam ſugentes, ſtatimq; poſt de induſtria tuſſientes, ſanguinem quaſi ex inferioribus redditum expuerent: etenim ſi aperto ore illorum gingiuas non oſcitanter intuearis: aut ſi etiam ſine tuſſi ſugentes illos expuere cogaris, rem omnem facilè prodes. Qui autem vinculis brachia coarctant, vt pulſuum languorem, atque inæqualitatem oſtentent: præterquam quod alia minimè reſpondent, quæ tales affectus comitari ſolent: ipſa etiam inſpectione licebit tibi rem omnem deprehendere: nimirum ſi ſuſpecta loca denudes, peticulas fortaſsè, aut quidpiam aliud exploraturus. At ſi afferatur vrina, quæ alienæ rei miſcela infecta ſit: odor fraudem deteget aliquando: aut ſapor quoque: dum ſeruo alicui & guſtandam, & olfaciendam porrexeris. Aſſumpta autem pharmaca, quæ febrem, aut mala alia induxerint, haud per æquè facilè eſt comperire; iuuabit tamen hæc, qualia ſint, minimè ignorare: ſæpè enim, vt nihil viſu, ſenſuq; alio percipias: domeſticos tamen percontando, atque externa diligenter perquirendo, in notitiam aliquam iſta te deducet ſedulitas: ſiuè intus aſſumptum aliquid, ſiuè exterius admotum ſit. Vltimus modus eſt, qui non artifici aliqua coniectura: ſed per timorem, ac violentiam non tam dolum aduertit, quam ejicit exprimitq;. Nam & magnus Alexander *f* cum Gordonij nodum aliàs ſoluere non potuiſſet, mucrone tamen explicauit: ac per vim vtcunque oraculum adimpleuit: extorſitq; quod exorare non poterat. Sic memini, mendicum quendam, qui ſe mutum, ſtipem emendicando ſimulabat: à milite, qui hominem aliàs loquentem viderat, vt verum confiteretur, pugnis, ac calcibus compulſum fuiſſe. Verum hic non in omnibus exerceri modus poteſt: ſed in infimæ tantum ſortis hominibus: & qui exigua iniuria, & verbera, & probra perferre poſſunt. Atque his, quæ hactenus expoſuimus, ſi diligenter animum aduerteris, haud difficilè fuerit, occultos ſimulantium dolos explorare.

f Q. Curt. lib. tertio.

De mendicantium dolis dum morbos ſimulant deprehendendis.

NOn ſolum qui carcerum, ac duræ cuſtudiæ incommodis detinentur, ægritudines fingunt: verùm nō pauci etiam abiectæ ſortis homines ſunt: qui mendicantes, vt vilem ſtipem extor-

extorqueant: vtq; maiorem miſericordiam de ſe apud alios moueant, multa ſibi ægritudinum genera: vlcera, paralyſes, mutilationes, cœcitates, oppreſſioneſq;, ac ſimilia quædam mala turpiter effingunt. Viliſſimum huiuſmodi hominum genus eſt: ac tanquam ignauum fucorum pecus, alieno labore otioſum viuit: atque, vt inertia malorum omnium eſt nutrix, infenſum propterea reipublicæ eſt, atque alienis fortunis inſidiatur: nam cum ſine certo lare vagentur; nec in ſuo pedem ponere valeant, noctu per vrbem gementes, piæ hoſpitalitatis prætextu admitti ſub tecta exorant: atque interea facta coniuratione fores nequiſſimis commilitonibus ad prædam aperiunt. Quamquam etiam ſcelesti iſti impoſtores, lenocinia, veneficia, ac ſcelera omnia quotidie exercent: nam & ſub hoc habitu ſecreta ciuitatum conſilia explorantes hoſtibus produnt: aquarum fontes, ac flumina inficiunt, ædificia incendunt: ac denique nihil eſt mali, quod præſtare non ſoleant. Quæ omnia, vt cautius adhuc exequantur, proprium quoddam, ac ſibi dumtaxat notum idioma inſtituunt: cuius opportunitate fraudes, & technas facilè diſponant. Ergo vt nefarios hos, ac ſceleſtos dignoſcas, ac dolos deprehendas, exempla aliqua proponam: vt inde admonitus, reliqua minimè ignorare poſſis. Mendicula mammam, quam crederes canceroſam, viſu horrendam ſic palam oſtentabat. Ranarum pelliculas nigras, ac virides glutinio ex albumine oui, bolo armena, ac farina cohærentes aptè mammæ circumpoſuerat: dein ſpongiam brutino ſanguine, ac lacte imbutam ſub axilla latentem tenebat: à qua per tubulum ſambucinum, ad mammam quaſi ſaniem, ac tabum, captata occaſione exprimeret: ita enim ſordidam, ac deterrimam vlceris ſpeciem exhibebat. Nonnulli elephanticos ſe hac arte præbent. Inſtitam circum fauces adſtrictam tenent: illam dum læua manu ſub pallio latente deorſum torquent, raucam vocem, qualis eſt elephantici reddunt; in facie autem tubercula, ac puſtulas fabrili glutinio confictas bellè excitant, vt neminem ſimilitudo non falleret. Sunt qui vrentibus herbis artus exulcerant: cauterijs, & cauſticis membra inurunt, vt miſerè lucroſi fiant. Solent alij ignitum titionem ſuper vlcus cruſtoſum, quod ſapone, calce, ac ſulphure excitarant, nullo doloris ſenſu ſuperimponere: atque aiunt, ignem eſſe Sancti Antonij: eſt enim

craſ-

craſſior, ac durior eſcara, quàm vt ignis vis penetrare illam poſſit. Alius cadauerosum brachium magna omnium admiratione fulctum fercula oſtentabat: proprio enim brachio poſt terga occulté reuincto, aliud inuicem ex ſuſpendioſi cadauere thoraci aptauerat. Nonnulli elapſum, ac pendulum inteſtinum turpi ſpectaculo viſendum præbent: ac ſanie taboque perfuſum: bubulo videlicet inteſtino in anum ſubmiſſo, ac lacte, & ſanguine per ſpongiam, quæ intus latebat, continuò inſtillante. Nec minoris etiam impudicitiæ mendica quædam procidentem vterum mentiebantur: dum in extremum ceruicis veſicam bubulam flatu ſemiplenam, ac turpi ſanguine oblitam intruſerat: in exitu autem pudendi ſpongiam indiderat: quæ illabente vteri illuuie turgebat: à qua etiam quaſi cuneo aliquo, & veſica retinebatur, & falſus vterus quaſi ſanie quadam madebat. Mendica etiam fertur tam callidæ verſutiæ, quæ contractis epigaſtrij muſculis, voluntarium quendam motum in ventre haud obſcurè ſentiendum præbebat: vt res aliqua extranea intus circumuolui videretur: quam ipſa dicebat, ſerpentem eſſe: ac per os in ventrem dormienti ſibi illapſum fuiſſe. Muti alij ſeſe fingunt: ita ad internum os reduplicata, ac contracta lingua: vt etiam diligenter intuenti mutila eſſe videretur. Nonnullos etiam ſcio, qui manum, ac brachium tam acriter contrahebant, torquebantq́;: vt verè manci diſtortiq́; viderētur. Quidam ſapone in os indito, ac ſpumantem ſaliuam imitante: dum præterea vibrato motu corpus concutiunt, facilè ſe epilepticos ſimulant. Notiſſimum eſt illorum genus, qui interdiu perpetuo corporis motu ſaltantas ſeſe exagitant: occiduo autem Sole quietem capiunt. Hos autem impoſtores ita deprehendes: ſiquidem in clauſo cubiculo accenſiſq́; candelis circa veſperam detineas, varijs de rebus percontando: donec interea Sol occidens imprudentes illos, ac rebus alijs intentos prætereat: nam vel tardius, vel maturius ſine dubio concidentes dolum profitebuntur. Quendam ſcio, qui ſe dæmone oppreſſum, corpus vniuerſum diſtorquendo, atque in deformem aſpectum conformando: expreſſis etiam quibuſdam Latinis vocibus, ſimulabat. Sed aderat interea ſpectatur quidam ingenio acuto: qui literas ſibi fortaſsè miſſas ab amico, ſuper mendicum, quaſi ſacris characteribus inſignitas appoſuit: pa-

lam

Digitized by Google

Iam profeſſus antea, illorum contactu dæmonem abiturum. Hæc audiens mendicus, ac ſacram ſchedulæ vim credens, vehementius vexabat ſeſe; illamque vt infeſtiſſimam excutere tentabat: vnde ſe ipſum doli, atque imprudentiæ coarguit. Mirabile [g] illud etiam narratum eſt: eſſe aliquos, qui multos annos ſine cibo, potuq; quaſi diuino ſpiritu ſuſtentati tranſegerint. Sed reuera impoſturæ ſunt omnes, ac fallaciæ. Talem fuiſſe Antonium quendam Picentem ſcripſit Panormita, qui quadraginta dies, noctesq; ieiunare credebatur, & cum Angelis verſari: vnde in Italia, Sicilia, atque Hiſpania celebris erat de illius ſanctitate opinio. Sed cognitum tandem fuit, dolo illud factum fuiſſe. Simile exemplum Romæ viſum ſub Nicolao Pontifice ab Aenea Syluio narratum eſt. Tale quoque eſt, quod de Anna illa meretrice fallaciſſima Auguſtæ Vindelicorum traditum eſt: quæ neque edere, neque bibere, neque egerere, nec dormire credebatur: ſed pijs tantum meditationibus, ac Chriſti gratia contineri: verùm his præſtigijs cum Cæſari, ac ditiſſimis quibuſdam imponeret, tandem deprehenſa capitis damnata eſt. Hæc igitur hactenus dixi, ne tam facilè nefarijs iſtis hominibus credatur: nam longum illud, ac multorum dierum ieiunium, quale Moſem, & Heliam, & propria virtute Chriſtum ſeruatorem noſtrum, ſeruaſſe accepimus, miraculi loco eſt: & cuius non indignis iſtis mulierculis, aut cæteris improbis hominibus facultas datur. Ergò ſi tale quidpiam vnquam exaudies: haud errabis ſi dolum, aut dæmonis aſtum ſuſpicere. Sed de mendicantium fallacijs hæc ſatis.

[g] Marſil. Cagnat. 1. de continent. cap. 7.

Qua ratione qui à dæmonibus oppreſſi ſunt, aut maleficijs detinentur, à cæteris ægrotantibus internoſci valeant.

HOc in loco alienum non fuerit, qua ratione qui dæmonum cruciatu, oppreſſioneq; laborant, quos dæmoniacos, ac maleficijs affectos vocamus: ab his internoſci liceat, qui naturales ægritudines, atque à naturæ principijs exortas patiuntur, paucis exponere. Nam quanquam nulla in hoc genere ſimulatio eſt: eſt tamen in affectuum ſimilitudine deceptio aliqua. Neque hanc notitiam à medico planè alienam puto: nam & Hippocrates, [b] ſi quid in morbis diuinum ineſt, illius

[b] 2. Progn. tex. 4.

illius

illius prouidentiam diſcere medicum debere clariſſimè affirmauit. Nec rarò etiam euenit, vt in his morbis dum diu, ac fruſtra laboramus, ſalubria medicinæ remedia apud vulgus infamemus, ac multorum calumnijs nos ipſos præbeamus obnoxios: præſtantius noſtro nomini famæq; conſulturi: ſi altiores morborum cauſas, ac naturę fines tranſgredientes contemplati nos à calumnia tutos redderemus. Eſſe autem morbos, quorum natura longè à cæteris diſtet: & qui dæmonum opera excitentur, mihi perſuaſum iam eſt: nam & Plato, *i* ſapientiſſimus philoſophus, cum mirabiles hos affectus proſpiceret; corpora, inquit, hominum magicis veneficijs, & cantibus, ac quibuſdam nodis læduntur: poſitis nimirum cereis ſimulacris aut in ianua, aut in triuio, aut in monumentis parentum. Sed ne ethnici tantum philoſophi placita hæc eſſe exiſtimes, D. Thomas, *l* author grauiſſimus, eos, qui veneficia non eſſe contendunt, infideles vocat: ac contra Sanctorum authoritates ſentire affirmat: hunc deinde omnis Theologorum ſchola ſecuta eſt. Ergo cum veriſſimum ſit, poſſe dæmones hominum corpora morbis diuexare: ſatis etiam conſtare arbitror, nullum eſſe ægritudinis genus, quod ab illis induci non poſſit. Attamen diligenter notandum eſt: dæmones ita in nobis morbos efficere, vt cæteræ quoque omnes externæ ſolent cauſæ: quatenus ſcilicet internas diſponunt, ac mouent: reddunt enim homines, exempli gratia, melancholicos: dum atram bilem, obſtructis, quæ illam expurgant emiſſarijs, in corpore multiplicandam curant: atque in mentem repere cogunt. Epilepticos verò, ac paralyticos, dum cerebri ventriculos, ac neruorum exortus, totius corporis pituita illic congeſta obturant: ac denique ita morbos faciunt, dum interna illorum principia agitant, aptantq;. Has autem ægritudines in duplici eſſe differentia animaduerto: nam vel in homine dæmoniaco excitantur: in quo ſcilicet intus dæmon inhabitat: vel in eo, qui maleficijs tantum detinetur: & quem ille extrinſecus dumtaxat affligit. Iſti autem morbi à maleficis hominibus immitti ſolent: qui cum mutua obligatione dæmonum conſortio abutantur: horum deinde operam in aliorum damna identidem exigunt implorantq;. Illi verò dæmonibus ipſis Dei permiſſu in corpore obuerſantibus tantum fiunt. Vtriq; igitur vt diuersè generantur: ita aliquid habent pecu-

i 11. De legibus.

l 4. Sent. diſt. 34. quæſt. 3.

peculiare, ac planè ſuum: etenim in maleficio affectis tales eſſe obſeruabis ægritudines, quales improba quorundam expetunt deſideria. Sic pellices ne amatores cum vna vxore concumbant, à dæmone aſſequuntur: ſic eædem ſi deſpectui eſſe animaduertant, diuturna corporis extenuatione, vomitibus, doloroſis affectibus, ac virium imbecillitate, profundaq; mœſtitia nonnullos premunt. Huius generis eſt impotens quidam fœminarum amor: odium vxoris; ac ſimilia multa, quæ à peſſimis ſortilegis exorati dæmones operantur. Atque hæc in lenta, ac diuturna valetudine ferè conſiſtunt: nec niſi ſolutis abſcedunt maleficijs. Qui autem in dæmoniacis morbi obſeruantur, planè admirabiles ſunt, omnemque naturæ conſuetudinem, ac vim exuperant. Idq; etiam proprium habent: vt ex quibuſdam temporum interuallis exacerbentur, ac ſæuiant, nec perpetuò homines fatigent. Sic nouas quaſdam ac miras epilepſiæ formas intuebere: quæ aut concuſſo corpore vniuerſo, aut certis quibuſdam particulis, integra tamen mens remanet, atque inoffenſa: videas etiam inſolitas quaſdam partium conuulſiones, quæ breui perdurant, ac nullum corporis nocumentum relinquunt: vomuerunt nonnulli gypſeos lapillos, ouorum putamina, villos, lanea inuolucra, acus, & ſimilia multa, quæ nunquam illi ingeſſerant. Multi ſunt, qui ita laborantes futura quaſi fatidici prædicant: multi Latinè, ac Græcè loquuntur, ac de ſcientijs diſſerunt: cùm tamen ipſi ne elementa quidem literarum didicerint. Sentias aliquos canino latratu horribiles: quoſdam quaſi boues mugire: luporum in morem vlulare alios. Vidi ego magno tumore cuidam dæmoniato repente collum intumuiſſe: quo tamen breui ſubſidente, mox linguam exeruit: quæ ita ſenſim nobis intuentibus augebatur, vix vt ore contineri poſſet. Ergo mira hæc ſunt, quę à dæmone præſtantur morborum genera: ac facilè hoc ipſo innoteſcunt. Quamquam etiam ſolent ita affecti diuinis Eccleſiæ cæremonijs non ita libenter intereſſe: ſed ab his potius, etiam cum à dæmone conquieſcunt, internis quibuſdam ſtimulis remoueri videntur. Reliquos autem morbos, qui ab aliquo effecti ſunt maleficio, non ita promptè internoſcere licet: nihil enim à cæteris diſſimiles habent notas. Attamen, quod obſeruare hactenus potui, hac ratione non penitus ignotos illos relinques. Ferè enim pel-

licum amores (præſtat enim primas occaſiones, atque origines meminiſſe) zelotypia, ac fœminarum odia conſequuntur: quæ honeſtos viri in vxorem affectus aliò retrahant, atq; diuertant. Nec rarò etiam cum impiæ huiuſmodi mulieres vlla in re a quopiam offenduntur, acceptas iniurias ſuis artibus ſæuiter vlciſcuntur. Si igitur fiat, vt cum pellice verſeris, mox verò commiſceri cum vxore de more non poſſis: quam etiam interno quodam odio, nulla iuſta occaſione proſequaris: ſiquidem fiat, vt eandem deſpectui habeas: poſtea verò lento quodam marcore corpus contabeſcat: alijſuè diuturnis malis labores, eſt, cur de maleficio ſuſpicere. Horum plurimam partem obſeruant peritiores nonnulli, perpetua quadam mœſtitia affici: atque infracta partium laſſitudine. Luctuoſa ſuſpiria latente quodam affectu emittuntur: ſæpè etiam quaſi formicas per ſubcutaneas dorſi regiones repentes ſentiunt: ac vomitibus infeſtantur. Quæ omnia feſtis adhuc diebus: cùm ſcilicet Chriſti, ac Sanctorum memoria exultat Eccleſia, ſæuiora fiunt: ac quaſi inſtaurata magis affligunt. Prætèrea hi morbi vix ſalubribus medicinæ remedijs extirpari queunt. Atque ipſi medici in morbi agnoſcenda natura plurimum ambigunt: ac ſæpè in diuerſas trahuntur ſententias: nec quidpiam afferunt certi. Quamobrem, niſi propria, ac peculiaris medela: atq; alia à noſtris medicinæ præceptis adhibeatur, nihil omnino miteſcere animaduertes. Adnotandum etiam eſt, maleficijs viros eſſe omnium frequentiſſimè expoſitos: dæmonum oppreſſionibus mulieres. Hæ enim illorum fallacijs doliſq; promptè capiuntur: nam exiguo ſunt animo, & ad credendum faciles: ideoq; horribilibus viſis, ac repente adorſis ſuccumbunt. Quocirca facili negotio à dæmonibus opprimuntur: quæ facilitas non ſimiliter eſt in viris: ideoque dæmones, quod vnicum datur, extrinſecus illorum corpora laceſſunt, ac maleficijs excruciant. Prætèrea duplex proponitur ratio, qua deprehendere hæc mala poſſis: altera in magicis incantamentis: altera in ſacris Eccleſiæ exorciſmis poſita eſt. Primam nemo vir prudens exercuerit; fallacijs, atque erroribus plenam: aliam verò monſtrat nobis pijſſima mater Eccleſia: vt iam niſi prædictis à nobis coniecturis rem omnem aſſequaris: ſacerdotes, ac peritos eius doctrinæ viros ad eas moneo: qui non ſolum morbi genus agno-

agnoſcant. ſed pro futura etiam adhibeant morborum remedia.

Quinam ferendo chordæ tormento apti, ineptiuè iudicari debant. Cap. III.

Scribendi occaſio, & tormenti deſcriptio.

FRequentiſſimum eſt noſtris temporibus cruciatus genus: quam chordam appellant: in quo tam moleſto dolore homines torquentur, vt etiam à pertinaciſſimis animis veritatem extorquere iudex poſſit: cum interim non adeò multum corpori nocumentum relinquatur: qua quidem conditione nihil eſſe præſtantius in quæſtionibus valet. Ergo quoniam magni momenti res eſt, atq; in his ſupplicijs ſæpè in magnū vitæ diſcrimen per imprudentiam adduci hi poſſent, qui tormento affliguntur. Idcirco noſtra tunc opera, ac diligentia requiritur: ne cruciatus vltra quam ferri liceat, conſtituantur: vtq; res ipſa dolore r[illegible] nec alio prætere a vitæ detrimento adminiſtretur. Ergo p[illegible]ptiones aliquas nunc tradere inſtitui: vt ſi quando ad hoc iudicium medici accerſuntur, ne illa impedimenta ignorent, quæ ab his ſupplicijs homines excuſatos reddant: neuè ſua culpa, aut interitus, aut graue aliquod damnum ſuſpenſis obtingat. Chordæ igitur tormentum hoc in loco illud voco: cùm à tergo contortis brachijs, ligatiſq; extremis manibus, ſurſum homo longo trahitur fune: atque inde ſuo ipſius lapſus pondere, magna vi deorſum decidit: cum antea tamen aliquandiu non procul à terra ſuſpenſus pependerit. Intereà autem humeri, pectoriſq; muſculis violenter attractis, diſtortiſq; acerrimi perferuntur dolores: Sunt qui in hoc tormenti genere luxari humerum affirment: nec poſſe tam validam corporis concuſſionem fieri: quin humeri appendix à ſuo, cui inſeritur acetabulo, dimoueatur: nam & leues interdum caſus validè firmatos articulos nihilominus luxant. Verùm hi longè ſua falluntur opinione: nam præterquam quod nullius oſſis è ſua ſede dimotio tunc apparet: id etiam vidimus non rarò: vt qui recens è tormento ſoluti ſunt, ſponte brachia nul-

lius ope, diuerſè moueant, attollantq́: quod fieri nequaquam potuiſſet, ſi brachiorum oſſium appendices ſuis finibus deturbati fuiſſent. Hoc etiam ita eſſe nos docuit Hippocrates: nam primo libro de articulis, a articulum, inquit, lati ſcapularum oſſis, in alam tantum excidit: in ſuperiorem verò locum, aut in exteriorem nequaquam: nam, vt doctiſſimè ſcripſit Galenus, b lati ſcapularum oſſis commiſſura ſuperiectum habet à ſuperiori parte ſummum lati ſcapularum oſſis, quæ cum iugulo coniungitur: & ideò quamuis in eam aliquando articulus moueatur: cùm ab oſſibus, quæ ibi ſunt, non admittatur, ſtatim pondere inclinatum deorſum feretur: vt iam videas propterea, ſi vlla vnquam luxatio in hoc tormento admittenda eſt, illam planè eſſe oportere, quæ in poſteriorem prolabitur partem: quam tamen nunquam grauiſſimi admittunt authores: nec naturalis patitur corporis ſtructura. Verùm huius tormenti duæ omnino ſunt partes: altera, cùm parùm à terra ſublatus pendet homo dumtaxat: altera verò, cum iam præceps fertur, ac deorſum latus concutitur, conquaſſaturq́: illam ego, ne noua aliqua appellatione obſcurus ſim, ſimplicem ſuſpenſionem vocabo: hanc verò concuſſionem: aut, vt multis placuiſſe video, conquaſſationem. Et quamquam vnicum reuera ſit tormenti genus: in ſimplici tamen ſuſpenſione plus omnino moleſtiæ eſt, minus doloris; in ipſa concuſſione plus doloris, minus moleſtiæ: quamuis vtrobique, & doloris plurimum, nec parum etiam moleſtiæ perſentiatur. Sed in ipſa etiam ſimplici ſuſpenſione aliquod adhuc eſſe diſcrimen cernitur: nam, vel qui ſuſpenſi ſunt, minimum efferuntur: vt iam extremo pollice terram leuiter attingere poſſe videantur: vel ab ea maiore diſtant interuallo. Illud moleſtiſſimè fertur: dum enim multa vi terræ inniti contendunt: atque in id vnum toto corpore, animoq; incumbũt, plurimum ſeipſos excruciant, atq; dilacerant: etenim quo propius id ſolamen laboris cernitur, quod inhibetur, eo magis illius potiundi ſollicitat deſiderium. Sic magnum Tantali tormentum fingunt poetæ: dum exuriens ille, ac ſitiens, paratas ante ora epulas cernit, & flumina: ſed quæ tamen aſſumere nefas ſit. At verò cùm altius efferuntur è terra, leuius tunc eſſe tormentum ſolet.

a Tex. 1. &c.

b 1. De artic. com. 3.

Cuius

Cuius ætatis homines duci ad tormentum liceat.

SEd, vt cominus iam de re propoſita agamus, multas corporum naturas, ac diſpoſitiones inuenio, quæ homines huic tormento perferendo inhabiles reddunt. Inter hos autem primi occurrunt mihi, qui nondum integram ætatem ſunt aſſecuti: ideſt, qui ante pubertatem conſiſtunt: his enim corpus non ita firmiter ſuis articulis compactum eſt: imbecillumq; neruorum eſt genus: vt putem propterea non exiguum detrimentum illi pertimeſcendum eſſe: qui ante hunc annorum terminum ad chordæ tormentum perducitur. Sed quoto ætatis anno impuberes præſcribantur, haud ita certò definiri poteſt: nam quamquam velit Galenus, *c* pueros incipere pubeſcere poſt annum quartumdecimum: hoc tamen non ita perpetuum eſt, quin poſſint ſæpè puberes eſſe vno *d* poſt anno, aut etiam tardius. Ergo & ſi non nego poſt ſecundum ſeptennarium exigua corporis noxa ad hoc tormentum aliquando homines duci poſſe: quod etiam clariſſimi quidam Iuriſconſulti *e* ſtatuerunt: quia tamen, vt dictum eſt, ſerior in quibuſdam eſt puberum ætas: ideò non parum reipublicæ illos conſuluiſſe arbitror, qui decimumoctauum annum iuſtum eſſe terminum maluerunt, à quo homines in equuleo alligari non ita magno incommodo poſſint. Hoc autem anno adoleſcentium ętatem Galenus *f* inchoat ad vigeſimumquintum vſque, quam etiam ætatem omnium optimam, & ad cunctas voluntarias actiones præſtantiſſimam putat. *g* Nec ignoro eſſe nonnullos Iuriſconſultos, qui vigeſimumquintum annum, primum in hac re terminum ſtatuerunt: attamen, vt fatear, robuſtiores illo tempore nos eſſe: nam tali annorum ſpatio vigoris ætas conſiſtit: & vltimum incrementum, vt ſcripſit Hippocrates, *h* ſuſcipiunt homines: deprehenſum tamen eſt, noſtris temporibus, in quibus præcox eſt hominum natura, in ipſa pubertate non exiguam accipere membra firmitudinem: & quæ ſatis tormento eſſe poſſit. Sed hæc de prima ætate. De vltima autem nihil certi ex Iuriſconſultorum monumentis accipere potui: nam hoc tantum, decrepitos torqueri non poſſe, memoriæ reliquerunt. Verùm vt hoc etiam tibi ante oculos ponam. Primum ſenium, quod deinde decrepitas

c 3. Aph. 27.
d 6. Sanitat. tuen. 2.
e Iul. Clar. in pract. crimin. quaeſt. 64.
f 5. Aph. 19.
g 3. Aph. 18. 1. ſan. tuen. 5.
h Lib. de carnib. poſt med.

pitas ſequitur, à ſeptimo annorum ſeptennario ad nonum vſque: hoc eſt à quadrageſimonono vſque ad ſexageſimumtertium extenditur. Secundum autem ſenium, quæ vltima, ac decrepita eſt ætas; & in qua maximè inualidum infirmumq; eſt corpus, ac cunctis ægritudinibus expoſitum, vt iam magnis itineribus ad interitum properet: ab hoc ipſo ſexageſimo anno initium aſſumens, ad vltimum vſque vitæ terminatur. Hæc ætas ad omnia viuendi munera, ac negotiorum functiones ineptiſſima ſemper fuit exiſtimata: atque ideò in ſumma rerum omnium otia relegari hi ſenes ſoluerunt. Et quamquam ætatem hanc à ſexageſimo anno aliqui dinumerant; nam & Romani, qui nos politicam vitam magna ex parte docuerunt, ſexagenarios ex ponte, hoc eſt ab omni ſuffragiorum iure deijciebant. Reuera tamen quantum ex Hippocrate *k* accipere potuimus, omnis ætatum ratio per annorum ſeptimanas progreditur: in quibus roboris, imbecillitatiſq; ; multarumq; rerum notabiles mutationes fieri obſeruamus. Ergo qui ſexageſimotertio anno ſeniores ſunt, cum multarum rerum immunes eſſe, etiam ab antiquis temporibus ſoleant; ita huic tormento inhabiles puto: niſi tamen corpore ita ſint valdè robuſto, vt proprij temperamenti vis annorum numerum euincat: ſunt enim, inquit Galenus, *l* etiam quidam ſeptuagenarij, qui multum ſanguinis, ac vires habent robuſtas: quamobrem non numero annorum animum aduertere: ſed magis corporis habitui præſtat. Sed hi rari ſunt: ac nonniſi inter ruſticos validiſq; exercitationibus aſſuetos talem quempiam inuenias: aut certè, ſicubi cœli benignitas maximè longæuos, ac robuſtos homines facit.

k De ſeptim. partu.

l De miſſ. ſang. cap. 13.

Nimis obæſi, & qui proxi nè comederunt, num duci ad eculeum ex iure poſſint.

QVi admodum obæſi ſunt, ac magna corporis mole grauet, hi mihi tormentum hoc ſemper ægerrimè ſuſtinuiſſe ſunt deprehenſi: ac præſertim ſi à prima ætate ita fuerint affecti; his enim non ſolum præ nimio corporis pondere lacerari pectoris muſculos facilè contingit: ſed etiam quoniam huiuſmodi corpora exiguum calorem, modicum ſanguinem, ac ſpiritum, horumq; anguſta habent conceptacula. Ideò fit, vt

vt magno illo tormenti labore imbecillæ ipſorum vires opprimantur. Et cætera cum nihil vſquam ſit mali, cui illi obiecti non ſint, qui corpore ſunt nimis obæſo: omnium tamen maximè reſpirandi difficultatem, apoplexiam, ſyncopen, & mortem repentinam perpeti ſolent: de qua etiam re abunde ſcribentem habes Auicennam. *m* Quocirca hos ego ab ipſa concuſſione excuſatos libenter velim: non ſic autem à ſimplici ſuſpenſione: niſi tamen inſolens fuerit corporis craſſities: qualem Nicomachum Smyrneum fuiſſe memorant, *n* qui loco moueri non poterat. His etiam, qui proximè comederunt, moleſtiſſimum eſſe hoc tormentum ſolet: non quod turgens alimento ventriculus, ſeptum tranſuerſum impellat: atque ita reſpirationem offendat: nam vix aliquando fieri arbitror, vt eatenus eleuari tunc ventriculus poſſit. Ergo nauſeæ dumtaxat, ac vomitus ratione damnoſiſſimus tunc eſſe ſolet cibus aſſumptus: nam in magna illa totius corporis agitatione, promptum quoq; eſt turbari ventriculum: atque ita cibum ad os violenter reuolui: qui deinde colli vicinarumq; partium compreſſione repulſus magnam afferre ſolet moleſtiam. Atque hoc etiam valido ventriculi motu dum amplius concutitur corpus, nouum quoddam accedit tormenti genus. Haud iniuria ergo præcipiunt Iuriſperiti, vt qui ad hoc tormentum ducuntur, per decem ſaltem horas ſe abſtineant à cibo: quod quidem tutiſſimum eſt interuallum. Quamquam quorundam Medicorum obſeruatio eſt, vt exiguus, ac tenuis cibus in homine integrè ſano ſpatio vnius horæ confici debeat: craſſiſſimus verò multuſq;, decem omnino horas requirat: niſi planè vitiata concoctio ſit: quod ſi omnia ſint mediocria, quinque horis aiunt, primam hanc concoctionem abſolui. Sed hi quatenus verum dicant, nihil curioſè perquiro: id vnum profiteri poſſum: Galenum *o* ſimpliciſſimum cibum, id eſt ſolum panem, aut aliquandò etiam cum palmulis oliuis aut melli, ſex horarum interuallo concoquere ſoluiſſe. Quod fortaſsè tanquam normam, atque exemplar aliorum omnium memoriæ mandauit: quamobrem melius mihi, ac cautius ſenſiſſe videntur Iuriſperiti: qui in vulgari cibo decem horas ad concoquendum requirunt. Tametſi, vt fatear, bis mihi videre hactenus contigit, qui proximè paſti pociq;, nullo inde tamen incommodo tormentum ſuſtinuere.

m 2.4.*Trac.* 4. *cap.* 5.

n *De morb. differ.* 9.

o 6. *ſan. tuen.* *cap.* 7.

Mu-

Mulieres prægnantes, enixæq; , ac lactantes, an duci debeant ad eculeum.

IMmunes etiam ab hoc tormento mulieres ſunt, quæ vtero gerunt: atque vltimis præſertim geſtationis menſibus: facilè enim à moleſtiſſima illa concuſſione, ſuſpenſioneq; fœtus vincula diſrumpuntur, ac neceſſarius abortus ſequitur. Nec eſt fortaſsè, cur eas, quæ paulò antè conceperant, nec nimis tumentem vterum gerunt, ſimplicem ſuſpenſionem ſuſtinere poſſe, exiſtimes: nam ipſe Hippocrates, *p* famulam cantatricem, ſeptimo à conceptu die, hoc vno abortum facere coegit, dum ſepties illa ad terram ſaltaret: qui quidem motus, ſi tormentum ſpectes, exiguus omnino eſt: ſed tamen ad abortum ſatis. Puerperas etiam meritò, vel ipſi Iuriſperiti *q* ab hoc ipſo remouent aculeo: niſi tamen quadrageſimum à partu diem exegerint. Et reuera ingentes cruciatus parientes fœminas laceſſunt: vt ſcripſerit etiam Auicennas, *r* præ conatu ſeparari tunc iuncturus aliquas, quæ quòd ad naturalem redeant ſtatum, fortem eſſe operationem naturæ. Quamquam & ante ipſum Hippocrates *ſ* coxendices in partu diſparari clariſſimè affirmauit. Et celebres quidam anatomici, qui ſcilicet in his ſtudijs diligenter verſati ſunt, os coccygis dumtaxat ſua ſede, hoc eſt ab oſſibus ilium, manifeſto interſtitio dimoueri, *t* teſtati ſunt. Non autem temerè quadraginta dierum ſpatium requirunt: nam partus & ipſe acerrimum tormentum eſt: ac nihilo chorda inferius: & ſi quando idem tormentum repetere illis neceſſe eſt, tot quoque dierum ſpatium interponunt. Et quidem partus ipſe aliqua ratione morboſa quædam affectio eſt: ſiquidem ingentes dolores, ſanguiniſq; profluuia, multaq; alia inſpexeris ſymptomata: eſtq; eius naturæ, vt inter diuturnas ægritudines quodammodo adnumeretur: quas quidem per quadraginta dies terminari, veriſſimè docet Galenus. *u* Lactantes verò huius tormenti exortes à ſuo ſenatu iudicatas eſſe memorat Iulius Clarus: *x* nimirum propter infantem: ſic enim lac diſperdi, atque ad alias vias deriuari facilè poſſet: aut certè multa illa agitatione plurimum vitiari. Fieri etiam poteſt, vt non tàm infantis, quàm ipſius nutricis commoda inſpexiſſet: bona enim melioris ſanguinis pars ab infan-

p Lib. de nat. pueri.

q Iul. Clar. vt ſuprà.

r 21.3. Trac. 1. cap. 2.

ſ De natura pueri, propè finem.

t Columb. lib. 12. & Parſus lib. 23. c. 13.

u 6. Aph. 36.

x Vt ſuprà.

infante exugitur: vt propterea ipſam nutricem imbecillam reddi neceſſe ſit: nam & ſacri etiam Canones eas ab Eccleſiaſticis ieiunijs immunes eſſe ſtatuerunt.

Qui thorace ſunt nimis anguſto quatenus tormentum ferre poſſint: & quæ ſigna ſuſpenſos in eculeo periclitari arguant.

QVi nimis anguſto thorace ſunt, adſtrictoq; : quales præſertim alatos vocant Medici: eminentibus ſcilicet humeris, adſtrictis lateribus, & exiguis coſtis: quiq; propterea thoracis morbos, & facilè ſubeunt, ac ægerrime ferunt: hos ego non raro ab hoc tormento excuſare ſoleo: ſiquidem eò magnitudinis iſta pectoris conſtitutio deuenerit, vt iam exigua etiam occaſione actiones vltra modum lædere poſſit. Etenim deprehenſum eſt, huiuſmodi homines in hoc cruciatu plurimum laborare: nam exiguum ab his attrahi refrigerium valet, vix vt feruentiſſimo cordis calori ſatis ſit. Notiſſimum enim eſt, reſpirationem ipſam in hoc cruciatu plurimum lædi: compreſſo nimirum thorace: valideq; illis attractis muſculis, qui ex oſſe pectoris latè enaſcentes brachium adducunt. Verùm hos omnes alligari quidem ſines, ſuſpendiq; : ſed tamen attentè obſerues iubeo, num aliquod ex his ſeſe prodat indicium, quod ſuſpenſis aliquod inſtare periculum demonſtrat: Hæc autem ſunt nimij ſudores: liuidus, ac cadauerosus corporis color, ac brachiorum præſertim, pectoris, & capitis: item totius corporis delaſſatio, ac lentor: vocis languor, ac nonnunquam & ſtertores: crebrior reſpiratio: ac ſaliua ex ore excidens. Atq; hæc communia quædam ſunt ſigna, quæ magnum aliquod incommodum his, qui torquentur, adeſſe oſtendunt. Ergo ſi quos ita laborantes offenderis, ſolui eos ſtatim iube: ne ſuſpenſi fortaſsè tua magna infamia deficiant. Atque ego ſi quando in hos incido, iudicibus ſuadeo, vt ad quaſſationem properent: ne diuturna ſuſpenſione reſpirationis vſu nimis defatigato iuſtum abſolui tormentum non poſſit: hac tamen adhibita cautione: vt cum iam non longè à trochlea ductus eſt reus, reſpondere tum ille à iudice compellatur: ſiq; libera, atque expedita videatur eſſe locutio, proijci illum ſine: verùm ſi nec facilè loqui poſſit, aut quodpiam ex enarratis impedimentis animaduerteris, periculoſa

T tunc

tunc erit concuſſio: quocirca ſenſim, æqualiq; lapſu dimitti hominem præcipe: quod etiam vbiq; ſeruandum moneo, ſi quando fu uri periculi vlla ſuſpitio eſt. Atque ita de certis quibuſdam corporum conſtitutionibus, quę plurimum in hoc cruciatu afficiuntur. Quamquam hoc etiam addiderim: nimirum vt anguſtum pectus hoc in genere maximè ſolet periclitari: ita eos tutiſſimos eſſe, qui amplo thorace ſunt. Atque hoc eſt, vt hoc interim dicam, quòd fœminę minus alijs in hoc tormento laborare vt plurimum conſueuerunt: quoniam ſcilicet magno à natura thorace donatæ ſunt. Erat enim neceſſe, vt multa optimi alimenti pars, lactis vſu ad mammas conflueret: vt propterea ex copioſo alimento latum quoque ac robuſtum pectus reddi neceſſe ſit. Nec obſtat, quod fœminæ toto corpore, ac præſertim corde ſunt frigidiores: vnde partium potius anguſtiæ arguantur: nam imbecillæ etiam particulæ, frigidioreſq;, ſi tamen copioſa alimenti copia perfruantur, robuſtiores fieri ſemper ſolent. Atque Amazones a dextram ſibi mammam ideò exurebant, vt vicina manus, ſuſcepto ampliore alimento, quod ante deuenire ad mammas ſolebat, vegetior, ac robuſtior fieret.

a 7. Aph. 43.

Quænam pectoris vitia à tormento excuſant.

ILlos etiam excuſatos velim, qui pectoris, ac pulmonis morbis non adeò leuiter affliguntur: tuſſi, aſthmate, deſtillatione, purulentia, ac ſimilibus nonnullis: in quibus variè lædi ſolet reſpiratio: hi enim tormentum hoc diutius pati non poſſunt: nihil enim in illis magis, quàm liberum reſpiratum requirimus, vt tenacia illa, infarctaq; ſputamina, quorum magnus eſt in his morbis prouentus, expui promptè valeant. His autem ſi notabilis propterea accedat thoracis labor, ac compreſſio, quam ab hoc cruciatu fieri ſatis conſtat, nihil mirum ſi repente aliquando tunc illi deficiant. Sed quoniam enarrata interdum vitia leuia ſunt: ideo hoc tempore proiectionem minimè impedient: nam diuturnam ſuſpenſionem ne hos quidem pati poſſe, eſt obſeruatum. Vtcunque tamen in his maximè ſuſpenſorum tolerantia ſpectanda eſt: ac variè pro illorum viribus ſtatuendum. Omnium autem maximè ab hoc tormento remouendos illos eſſe iudico, qui ſangui-

nem

nem ex thorace reiectant: ſuſpenſis enim plurima fit è toto corpore ſanguinis ad thoracem confluxio, locum nimirum illo tempore affectum: qua re vel ſola hæc nimia plenitudo ſatis innouare vulnus, ſciſſuramuè poteſt: quamquam illud etiam accedit incommodum, quòd tunc non modicè thorax comprimitur, ac valdè etiam conquaſſatur: vt robuſtus etiam particulas eo tempore diſrumpi contingat. Quamobrem hos ego tantum abeſt, vt proiectionem concuſſionemq; pati poſſe conſentiam, vt ne ipſam quidem ſimplicem ſuſpenſionem.

Quæ capitis vitia, ac ramicum ſpecies à tormento excuſant.

QVi etiam epileptici ſunt, ac ſcotomitici, ſiquidem non omnino leues affectus fuerint, hos ego nec ſimplicem ſuſpenſionem, nec proiectionem ſufferre poſſe, ſine magno diſcrimine ingenuè aſſero. Multa enim in eo tormento ſanguinis, ac ſpirituum in toto corpore fit agitatio: multa illius ad caput expreſſio: vnde facilis quoque obſtructio excitabitur: vt nihil etiam mirum ſi aſſueti inſultus, quamuis aliquo antè tempore ſiluerint, tunc redeant, & quidem vehementiores. Scotomicos etiam quàm promptè moueat conſpectus ab alto, nemo eſt, qui neſciat: quamobrem vel hic ſolus innouare acceſſionem poteſt. Sed hoc præſertim affirmo, vbi primario affectu cerebrum laborat: nam ſi alicui particulæ conſentiat: alligari tunc equidem ſines: atque interim diligenter intueberis, quæ tolerantiæ ſpes, quis metus proponitur. Multis etiam dignam excuſationem afferre ſolet, ſiquidem ob vulnus capiti inflictum, ita effracta caluaria fuerit, vt perforare etiam os, ac membranam detegere neceſſe fuerit: ſiquidem magna ea oſſis fractura, ac latè etiam apertum ſit foramen: mihi enim ſatis perſuadeo, cerebrum his, qua parte nudatum oſſe fuit, imbecillum eſſe, atque ab aere externo, alijſq; etiam de cauſis plurimum offenſum. Quamobrem nihil mirum, ſi ſuſpenſi manifeſtè lædantur. Quod ego cum aliquando in multis obſeruaſſem, veriſſimis experimentis fidem detrahere nequaquam poſſum. Fateor tamen quibus exiguum id foramen inductum eſt, non adeò malè affecto eſſe cerebro: ideoq; tormentum ſuſtinere innocuè poſſe. Hernioſi etiam ægerrimè hoc tormentum ferunt: ſiuè ſcrotum, ſiuè inguen, ſiuè ipſe

plurimum intumuerit vmbilicus: tam magno enim impetu in illa concuſſione inteſtina deorſum præcipitant, vt vel hoc vno immenſam ramicem etiam integris repente excitare aliquando poſſit. Verum ſi exiguus quiſpiam in his locis tumor aliquando offeretur: & qui modicè laxatis obicibus fiat: aut ſi etiam aquoſus is ſit tumor, quem hydrocelen vocant: ea mihi ſententia eſt, vt ſimplicem ſuſpenſionem nullo incommodo tolerare poſſint, ac concuſſionem quoque: ſiquidem aptis quibuſdam faſcijs, ac vocatis brachialibus benè hominem munias. Nam hac etiam ratione multos ſcio, qui cum non exiguam enterocelen paterentur, ſimplicem tamen ſuſpenſionem innocuè pertulerunt. Atque eadem quoq; ratio eſt in vmbilici eminentia: quæ ſi exigua ſit, vtramq; tormenti partem admittit: ſin magna à ſola excuſat concuſſione. Sed hæc vt frequens pueris: ita alijs rariſſima eſt affectio.

Quæ brachiorum vitia ab eculeo excuſant.

PRæterea quibus aliquando effracta ſunt brachia, quamuis antea coaluerint, inepti huic tormento iure exiſtimandi: facilè enim contractus callus magno illo concuſſu diſſoluitur. Verum in his brachiorum fracturis deprehendendis aliqua interdum Medico proponitur difficultas: nam quibus iamdiu oſſa probe coaluerunt, ſæpè aut nullum, aut obſcurum effracti oſſis indicium præbent: præſertim ſi carnoſum ſit brachium: aut tenera, ac puerili ætate effractio obtigerit: hoc enim tempore quoniam molliſſima ſunt oſſa validè agglutinantur: nam & quorundã opinio eſt, nec quidem improbabilis, oſſa, qua parte diſrupta coaluerunt, aliquot annis fieri omninò firmiora, quàm vbi illæſa integritas eſt: ac callo, quaſi firmiſſimo glutinio, maius adhuc robur comparari: ſic fracta interdum ligna adeò glutinij ope obfirmantur: vt promptius alibi, quàm vbi intercedit ferruminatio, effringi queant. Ergo ſi fiat, vt in primis ætatis annis brachium frangatur, ac probe coalitum ſit, ſecurè tormentum ferri poteſt: ſin poſtea, ac nulla fracturæ nota tactu deprehendatur, ſuſpendi tantum ſines: adhibita tamen diligentia, ne interea inſolens aliquis liuor brachium occupet: nam tunc ſtatim ſolui hominem iubebis, veritus ne iterum brachium effringatur. Excuſare etiam

reus certa aliqua brachiorum vitia iure poteſt; à quibus contrahi illa, ac diſtorqueri ſolent, ſitumq; naturalem immutare: Tales ſunt, qui vulneratos habent articulos; aut quibus interni muſculi, tendineſq; exciſi fuerunt: horum enim brachia ægrè extendi poſſunt: quod ſi vi aliqua ad extenſionem compelles, obrumpantur tandem, atq; acerrimi dolores excitentur neceſſe eſt. Inter hos etiam iure illos collocarim, qui notabile vulnus tranſuerſim inflictum in his muſculis acceperunt, qui ab oſſe pectoris nati in brachia inſeruntur, atque illa adducunt: iſtæ enim particulæ omnium maximè in tormento afficiuntur; ſentiuntq; qui iam pendent, ac magis adhuc qui conquaſſantur, illas dilacerari, ac vi maxima diuelli: nam ſi fiat, vt ex vulnere aliquo pacto contracta ea particula ſit, illam ſine dubio abrumpi etiam oportet. Quibus etiam in brachijs inuſti apertiq; ſunt vocati fonticuli: ac præſertim ſi maciem aliquam diuturno tempore particulæ attulere: hi ægerrimi tormentum ferunt; ac periculum eſt, ne brachia inde reddita imbecilla, appenſa corporis mole dilacerentur; quod cuidam fœminæ eueniſſe ſcio, quæ bina huiuſmodi emiſſaria in brachijs gerebat. Quibus etiam vtcunq; reſoluta ſunt brachia: hos ego à tormento facilè excluſerim: maximè enim inualida ſunt membra, quæ paralyſis corripuerit: quoniam enim animalis in illis functio deperijt: propterea diminutè, & particula nutritur: otioſis *b* enim, atque inexercitatis partibus, quales reddit paralyſis, non ſatis alimenti ſubminiſtratur. Tumores etiam in brachijs doloroſi, ac præſertim ad ipſas manus: qua parte ſunt colligari ſolent, (nam in manu nullum negotium faceſſunt) & concuſſu, & ſimplici ſuſpenſione homines vindicant. Sunt etiam, qui poſt primam alligationem, cum poſtridie ad tormentum ducerentur, magnas in brachijs, ac ſubaxillis echymoſes oſtendant: ruptis nimirum heſterno tormento exiguis quibuſdam venulis, ac ſanguine inſubcutanea ſpatia effuſo. Sed hoc (quod ego obſeruare potui) nihil obſtat, quominus & ſuſpenſio, & concuſſio tolerari poſſit. Vidi etiam nonnullos, quibus poſt tormenta pectoralis muſculus, quem diximus in hoc genere multum pati, adeò qua præſertim parte in tendonem deſinit, ac brachium attingit, fuit extenuatus, ac redditus imbecillus: vt non ſolum antiquum illius robur fuerit imminutum: ſed frigida etiam particula

b 2. De fract. com. 59.

ticula

ticula perpetuò ſentiretur: quamobrem hos ego ſola tantum ſuſpenſione cruciandos, atque id etiam cautè permitterem. Hic autem quærunt aliqui, num quibus diſrupta fuit furcula, aut ex coſtis aliqua, debeant tamen ad hoc tormentum admitti. Ego quidem id vnum profiteri poſſum, cuidam, cui iam callus ad furculæ fracturam erat obductus, dum in tormento conquaſſaretur, omnia fuiſſe ad ſuum locum reſtituta, impetu ſcilicet ab internis foras facto: quamobrem tantum abeſt, vt ille labor hominem offenderit, vt potius ſalutarem fuerit expertus. Nec abſimile eſt, quod eueniſſe aliquando Beniuenius *e* teſtatur, architectum ſcilicet altero pede claudum, cum de eminenti turri præceps ruiſſet: nón ſolum ex caſu incommodum non reportauit: ſed rectè deinceps ambulauit. Sed quibus furcula fuit abrupta, illos ego ad ſimplicem ſuſpenſionem facilè admitto: non ita tamen ad concuſſionem: nam quo impetu ad naturalem ſitum impelluntur effracta oſſa: eodem etiam adeò vltra eum extendi poſſent, vt difficilis deinde futura ſit inſtauratio. Et quod in vno fœliciter aliquando obſeruatum eſt, aut ita in cæteris ſimiliter ſucceſſurum puto.

e De mirand. morbor. cauſ. cap. 55.

Quæ febres, qui dolores, viriumq; imbecillitates à tormento excuſant.

FEbres etiam non ita admodum imbecillæ: item vehementes quicunque corporis dolores, ac notabilis virium imbecillitas homines ab hoc tormenti genere immunes facit. Febres quidem: nam violento illo corporis motu, laboreq; magis accenduntur: totaq; ſanguinis inde perturbata maſſa facilè maiorem obſtructionem, ac putredinem: & fortaſſis malignitatem acquirit. Dolores verò: nam eadem etiam de cauſa moleſtas fluxiones ad laborantes particulas conuocare ſolent: huiuſmodi autem ſunt vulnera, vlceraq;, ſimileſq; contiui ſolutiones, ac præſertim in brachijs, ſiquidem eſtatu dignæ eſſe videantur. Imbecillitas verò nullos vehementes labores ſufferre vnquam poteſt. Nec tamen quælibet huiuſmodi fuerit imbecillitas: ſed quæ planè notabilis eſt: ac præſertim poſt acutos morbos relicta. Atq; hæc omnia diligenter aſſidens Medicus aduertat moneo: atq; interim illud etiam, ne temerè reorum querelis, ac clamoribus moueatur: vix

enim

enim quempiam inuenias, qui tunc aut miniſtrorum non incuſet errores: aut brachiorum, humerorumq́;, ac cæteri corporis ementita vitia non conqueratur: ſalubriter licet, atque inculpatè tractetur. Sed de his iudicandis, qui tormento perferendo apti eſſe exiſtimantur, ſatis hæc dicta ſint.

Qui corporum ſtatus ab itinere faciando hominem excuſent. Cap. IIII.

SVNT qui iudicum ſententijs iter facere procul compelluntur: cui quidem peragendo quoniam ſat s eſſe aliqui non poſſunt: ac nonniſi magno diſcrimine illud aggrediuntur: ideò quę ſint ea corporis vitia, quæ inde homines excuſare ſoleant, ſi quando de hoc ipſo referre Medicus debeat, opportunè iam dicam. Porrò iter facere, aut terra, aut mari in vniuerſum ſolemus: & terra quidem aut pedibus, aut equo, aut vehiculo, aut lectica. Diuerſa horum omnium eſt ratio: nam iter maritimum, ſiuè etiam per lacum, aut flumina dicere velis, placidiſſimum fe è eſt, nulliſq; laboribus expoſitum: etenim tametſi à principio fortaſsè ſtomachū *d* ſubuertit: attamen paulò pòſt non moleſtè illud fertur: multaſq; præterea capitis ægritudines, oculorum, ac pectoris, quaſi motione illa commotas, atq; depulſas non mediocriter iuuat. Quin etiam quartanas, & tertianas aliquas extenſas, & acutorum morborum reliquias plurimum maritima adiuuat nauigatio. Quamobrem admittenda ea excuſatio non eſt, quæ in huiuſmodi morbis, ac ſimilibus alijs adhibetur, ſiquidem maritimum iter euitare contendant. Niſi tamen, cum moleſtæ vomitiones ma i aliqua innouare ac commouere per ſe ſolent. Tales fuerint, qui ſanguinem reiectant, aut tumore aliquo ventriculi laceſſuntur: hi enim niſi nauigationibus antea aſſueuerint, maritimum iter ægerrimè ferre ſolent. Equo autem vehi his præſertim moleſtum eſt, qui renum, ac veſicæ inflammatione, abſceſſu, vlcere, laborant. Equitatio enim, vt memorat Aetius, *e* maximè inguinum laſſitudinem facit: ac pectori præterea inimica eſt. Quamobrem qui ſanguinem ore reiectant, non parum ab equitatione læduntur. Doloroſæ etiam

d Aet. tetr. 1. lib. 3. cap. 6.

e Vt ſupra.

omnes

omnes capitis affectiones, ſtomachi, ventris articulorum: quæ ſcilicet vehementer hominem vexant: quæq; præſertim à tenui, ac calida fluxione originem ducunt moleſtam equitationem experiri ſolent: nam quæ lentæ ſunt, & frigidam habent cauſam, atq; ad minus periculoſas particulas pertinent, dentes, oculos, manus, aut ſimiles alias, non admodum ab huiuſmodi itinere lædi obſeruamus. Excuſatos illos etiam ſimiliter velim, qui morbis acutis detinentur, ac febres patiuntur continuas, nec omnino leues: nam quæ mites ſunt, ac diuturnæ: atque ex frigida viſcerum obſtructione ortum habent, nihil ab hoc labore excuſant. Non ſemel enim eſt obſeruatum, qui ſimilibus febribus detinentur, ſolitas vitæ actiones, muniaq; non ægrè admodum exercere. Quamquam iſti etiam affectus à locorum mutatione non mordicè adiuuantur. Herinioſi autem, & qui hæmorrhoidum fluxum patiuntur, non ita ab equitatione offendi ſolent: nam huiuſmodi affectos et am longiſſima itinera nullo incommodo confeciſſe non ſemel obſeruauimus. Qui autem nimis obæſi ſunt, difficulter quidem itineris incommoda ſuſtinere poſſunt: non ob id tamen excuſatos eſſe illos referes. Etenim equitationis motio, ſuccuſſante licet equo, excitat natiuum calorem: qui in illis quaſi ſopitus, multa humoris copia obruitur. Fieri tamen poſſet, vt alter tibi Nicomachus *f* Smyrnæus obueniat, qui, vt teſtis eſt Galenus, præ ingenti corporis mole loco moueri non poterat: & tunc quidem quid ſtatuendum ſit, ipſa neceſſitas, ac periculi promptitudo dictabit. Lectica autem geſtari, in qua quietiſſimum iter conficere ſolemus, & adhuc quietius, cum ſella vehimur, etiam nonnullos febrientes ſalubriter poſſe meminit Aetius: *g* vt iam in leuioribus malis nulla admittenda excuſatio ſit. In lectica enim decumbentes, inquit ille, geſtamus febri lethargica, aut ſemitertiana, aut quotidiana correptos: vt hinc conſtet, nullum ferè eſſe morbi genus, quod huiuſmodi iter recuſare poſſit: ſiquidem vires eam mutationem ſufferre valeant: nam quod Celſus *h* ſcripſit, nunquam dolens corpus geſtari debere, ſiuè id in toto, ſiuè in parte eſt, neque vnquam in recenti febre: is neque explicat, de qua geſtatione intelligat: & ad valetudinis tutelam ſermonem direxit: nos autem non quod iuuat: ſed quod non ita plurimum nocet, hoc in loco contemplamur. Sed in his omnibus

f De differ. morb. cap. 9.

g Vt ſuprà.

h Lib. 2. c. 15.

nibus ſemper virium conſtantia ſpectanda eſt: nam ſi admodum imbecillæ ſint; aut talis ſit morbus, qui ſua natura celeriter illas deijciat, à quocunq; itinere abſtineas iubeo: quippe quod quamquam placidiſſimæ exercitationis vicem præſtet: ſemper tamen vires exercet, nec niſi in benè valentibus reficere illas poteſt.

Qua ratione nonnullas functionum læſiones in quibuſdam vulneratis particulis aduenturas præuidere Medicus poſsit. Cap. V.

Scribendi occaſio, & quod nam ſit inſtrumentum motus voluntarij.

NON rarò euenit, vt illato vulnere, necdum tamen eius euentu ſatis perſpecto, noſtra interim à iudice poſtuletur ſententia: nimirum, vt manca, vt functionibus imperfecta inde euaſura ſit corporis particula. Ad quæ quidem interrogata, non cuiuſuis eſt ex arte reſpondere, ac ſatisfacere: perito opus eſt artifice, qui & partium corporis ſtructuram, vſumq; diligenter teneat: & varios vulnerum euentus ſtudioſè obſeruarit. Sed vtiliſſima hæc etiam tractatio eſt, tametſi longè à foro diſcedas: nam dum magnorum vulnerum euentus, artificioſè prædicis, nullum reprehenſionis locum, vt ait Galenus, [a] querulis iſtis hominibus reliques: qui functionis abolitionem Medicorum curationi, non vulneri prius impacto ferunt acceptam. *a 1. Anat. ad min. cap. 3.*
Huius etiam rei cognitio plurimum adhuc neceſſaria eidem [b] reputatur, his præſertim, qui manibus medicinam exercent: ſiuè aculeos, ac telorum cuſpides eximere: ſiuè aptè quidpiam excindere: ſiuè ſinus, abſceſſuſuè rectè curare in animo eſt. *b 1. Anat. ad min. cap. 2. 3.*
Præterea ſcire à quibus muſculis extendatur brachium, cubitus, brachiale, fœmur, tibia, & pes: à quibus rurſus inflectatur, tam eſt Medico ad cognoſcendum neceſſarium: vt ne ipſi quidem empyrici ſcientiam hanc audeant damnare: ſed fateantur potius, omnium id genus eſſe vtiliſſimam. Sed hoc in loco lectores admonitos velim, me non de quibuſuis læſionibus agere in præſentiarum inſtituiſſe: ſed de his tantum,

quæ ad animalia inſtrumenta præſertim ſpectant: nec illa quidem omnia: ſed ad nonnulla tantum inter externa; quæ voluntarium in nobis conſpicuè exercent motum: nam quæ offenſiones, ac detrimenta vitalibus inſtrumentis, ac naturalibus inferuntur, idcirco hic prætermittimus; quòd conualeſcentibus nobis, ad ciuilia negotia, reſq; agendas impedimentum minimè relinquant: & à quibus aut mori fortaſsè homines: aut commodè in eo vitæ genere verſari deinde poſſint. Nam ſi cor, pulmoneſq;, ſi iecur, ac ventriculus venæq; vulnus accipiant: illud ſanè aut hominem tollit: aut, ſi euadat, nihil tamen obſtat, quo minus voluntarias motiones exerceat: ac de more in ciuitate verſetur. Sed de hac etiam relationum materia mox integro capite acturus ſum: in quo de læthalium vulnerum natura, vt vera mortis occaſio deprehendatur, ex inſtituto ediſſeram. Ergo, vt aliquod noſtræ orationis fundamentum ante conſtituam, illud mihi conceſſum velim: muſculum c ſcilicet eius motus eſſe inſtrumentum, qui noſtræ voluntatis imperio ſubijcitur: quem ideò voluntarium, & ſpontaneum dicere ſolemus. Nec vlla vſpiam in corpore particula eſt, (modo talem ſortita ſit motum) quin in ſe muſculos habeat inſertos. Tres d autem muſculi ſunt partes: extremæ duæ neruoſiores: media verò carnoſa. At muſculi principium, quod etiam caput, atque exortum appellant, ex oſſibus prodit: medium verò, quem ventrem vocant, multaſq; habet in ſe diſperſas fibras; quæ ex ligamentis, & neruis diducuntur. Extremum verò tendo nuncupatur, quoniam eius actio tendere eſt: tum etiam eneruatio: nam in eum finire videtur muſculus. Ex multis autem ſimul commixtis fibris conſtituitur: inſeriturq; aut in os, aut in alium muſculum, eius ſcilicet particulæ, quæ mouenda eſt. Nec obſtat, quòd aliquando dixerit Galenus, e tendonem, non muſculum voluntarij motus eſſe inſtrumentum: ac muſculum tendonis gratia fuiſſe conſtitutum: nam & tendo reuera eſt muſculi pars, & cui actio ante alia debeatur: ac muſculus integrum eſt inſtrumentum: vt parum interſit, huicnè, an illi functionis proprietas tribuatur. Sic f oculus nulli non viſionis inſtrumentum reputatur: omnis tamen videndi actio ad cryſtallinum g humorem, vt ad potiſſimam inſtrumenti partem veriſſimè refertur.

c 1. De vſu part. cap. 10. & 16. eiuſdē cap. 2.

d De ſucc. bonit. cap. 4. & primo de motu muſcul. cap. 1.

e 10. De vſu part. 9. et 12. eiuſd. cap. 3.

f De inſtrum. odorat. 2.

g 8. De vſu part. 5.

Quæ muſculorum ſectiones, quas motuum læſiones in vniuerſum faciant.

CVm igitur ſatis conſtet, muſculum voluntarij motus inſtrumentum eſſe: neceſſe etiam fuerit, muſculis vtcunque læſis, lædi etiam eius particulæ motum, qui illi muſculo fuerit familiaris. Ergo *b* totis muſculis per tranſuerſum abſciſſis, penitus etiam in ſubiectis particulis motum perire neceſſe eſt: inciſis autem læditur tantum: læſionis autem quantitas, quantitatem ſectionis ſequitur: magis quidem pereunte motu in maioribus ſectionibus: minus autem in minoribus: quæ omnia etiam de tendonibus mihi dicta intellige: etenim & hos ſi totos abſcideris, omnem diſſolues particulæ motum: ſi verò inciderís, tantum lædes, quantum incidiſti: nec minus etiam de illorum capitibus; nam cuiuſque capite diſſecto, inquit Galenus, *i* non amplius functionem obit: itaque ſi muſculus capite ſimplici, vnoq; conſtat, facillimum eſt, illud ſecantem, motu ipſum priuare: ſin autem pluribus, omnia ipſa incidere oportet. Quod autem paulò antè dictum à nobis eſt, debere totos muſculos per tranſuerſum incidi, vt pereat particulæ actus; non negligenter intelligas velim: non enim quæcunque muſculorum inciſio, aut etiam tendinum, particulæ functionem tollit: ſed tantum quæ tranſuerſa eſt: & quam Galenus *l* ad rectos angulos fieri docet. Quod quidem nouiſſe neceſſarium eſt medico, qui futuras partium læſiones aduertere debet, ita difficile eſt: non enim omnes fibræ, vt ait Galenus, *m* ſecundum muſculi longitudinem perpetuo ſimiles exiſtunt: ſed variam interuum compoſitionem ſortiri ſolent: ſic quidam muſculi ſimplicem habent fibrarum naturam: nonnulli duplicem: vt pluribus ſibi mutuo incumbentibus muſculis ſimiles eſſe videantur. Quin & fibras inter ſe longitudine contrarias continent. Hæc autem & ſi diligenter intueri hi debent, qui exactam harum rerum ſcientiam tenere deſiderant. Attamen multiplex iſta fibrarum varietas haudquaquam plurimum fatigare nos debet. Omnes enim muſculi fibras habent plurimum ſecundum ſuam longitudinem porrectas: raroq; fibras in eis reperies tranſuerſas, aut obliquas: ſi eorum ſpectes multitudinem, qui ſecundum longitu-

b 1. De motu muſc. 4.

i 8. Anatom. admin. 8.

l 1. Anatom. admin. 3.

m Vt ſuprà.

n 1. De fabr. hum. cap. 3. gitudinem habent. Etenim Veſalius n tribus tantum muſculorum generibus multiplices tribuit fibras: his nimirum, qui brachium pectori adducunt: tum qui ſcapulam ſecundus mouet, qui duplices habent fibras: tum qui genas, ac labra. Hæc igitur admonere interim lectores volui: vt quæ in pleriſque muſculorum vulneribus ſæpè communia præcepta obtingunt, ne eadem ſæpius repetere, vlla occaſione compellar.

Inſtitutiones quædam vniuerſales, Medico ad prædicendum vtiliſſimæ.

ANtequam de vulneratis particulis ſpeciatim ſermonem inſtituam; quædam in vniuerſum præfari lubet: quæ non exiguam opem his, quæ poſtea dicentur, ſunt allatura. Ergo illud ante alia admonebo: nimirum vulnera omnia, quæ in externa, prioreq; corporis regione accipiuntur, extenſioni ſemper officere: quæ verò in interna, flexioni. Internos enim muſculos flectendæ particulæ authores eſſe: externos verò extendendæ, ipſe abundè demonſtrauit Galenus. o Muſculus enim hactenus operatur, dum ſuum initium verſus contrahitur: p ac particulam, quæ mouetur, ad ſeipſum adducit: ſiuè id fiat, toto muſculo aduocatum caput attracto: ſiuè potius, dum ille q in ſeipſum quaſi conglobatur, ac cogitur: nam & hoc etiam aliquando ſignificauit Galenus, r dum muſculos in agendo tendi, ac veluti contractos rotundari affirmat, dumque alibi, ſ muſculi actionem non aliam eſſe, inquit, quam coitum in ſeſe, contractionemq;. Præterea diligenter illud eſt adnotandum, ſiuè externi t tantum, ſiuè interni re ſecentur muſculi, in vtraque figura immobilem ſemper particulam remanere: nam nec ſola extenſio, nec ſola flexio in particula oriari poteſt: ſed vtramque ſimul vigere, aut perire neceſſe eſt: non quòd ea, quæ ſuos integros habet muſculos, reuera pereat operatio: ſed quod hi motus inuicem ſibi ſuccedunt: nam ſi internus muſculus, qui particulam flectit, ſanus ſit, cœſo interim externo, qui eundem ſolebat extendere: flectet ille quidem primo: poſtea verò non amplius flectet: niſi partem rurſus ipſe extenderis: extenſæ enim flexio eſt. Nec abſimilis etiam eſt ratio; ſi cœſo interno muſculo, qui flexionis eſt opifex, reſtet illæſus externus: extendet enim hic primo, poſtea

o 1. De motu muſc. 5.
p 3. De fract. com. 42.
q 1. De motu muſc. 5.
r 6. Meth. 5.
ſ 12. De vſu part. 8.
t 1. De motu muſc. 5. & 3. anat. admin. cap. 9.

poſtea verò non amplius extendet: niſi forſitan tu ipſe manibus perditam vulnerati muſculi operationem ſupplens, aut extendas flexam, aut flectas extenſam: tunc enim ſanus muſculus ſuam operationem denuo aggredietur. Illud etiam ſilentio prætereundum non eſt: quòd cum nonnullæ corporis particulæ multis articulis diſtinguantur: non vbicunque inciſio facta eſt, eius particulæ functio propriè laborauit: ſed illius, quæ ſubijcitur, ac vulneratæ particulæ per articulum colligatur. Ducuntur enim muſculi ex ſuperiacentibus oſſibus, in quibus ſunt cotylæ: inſerta autem ſunt poſt principia ſubiacentium, quæ erant mouenda: & per hos intenſos capitibus ſurſum tractis, ſimul cum eis totum membrum ſurſum trahitur: quod vberrimè nos docuit Galenus primo libro u de motu muſculorum. Quocirca ſi functiones, quæ in cubito ſunt, læſurum ſit vulnus, illud quidem in brachio infligatur neceſſe eſt: ſi verò, quæ in brachio, profectò vulnus ad ſcapulam vicinaſq; regiones acceptum ſit oportet. Præterea hoc etiam memoriæ mandandum, non ſemper ex vnius muſculi integra exciſione, ſtatim etiam propriam particulæ functionem interituram: nam ſi hæc x ita certo alicui muſculo ſit peculiaris, vt nulli præterea alij conueniat: credendum equidem fuerit, totam particulam inutilem reddi: ſiquidem illius actione priuetur. At ſi plures muſculi in communem actionem conſpirent: haud ſatis vnius detrimentum fuerit, vt vniuerſa particulæ actio deperеat.

u Cap. 9.

x 1. Anatom. adminiſt. 3.

Frontis, ac palpebræ ſuperioris vulnera quidnam detrimenti relinquant.

SI quis in fronte vulnus accipiat, præſertim iuxta ſupercilia, vbi carnoſiores ſunt fibræ: ſiquidem in longitudinem illatum ſit, ac ſecundum fibrarum rectitudinem, nullum, inducta cicatrice ſubeſſe functionis detrimentum ſolet. Si verò tranſuerſum, nec omnino in ſuperficie: dices ipſa ſupercilia, a & cutim omnem contiguam deorſum conuulſuram: atque oculis, quibus iſtæ particulæ incumbunt, non exiguam inde moleſtiam affuturam: oculoſq; nec liberè aperiri: nec integrè ſuo munere poſt hæc fungi licere. Atque hæc ſimplex fuerit, &, quantum ad iudicium pertinet poſtulata; veriſſima quoque

a 4. Anatom. admin. cap. 3.

que

que relatio. Sed ne tantum vera retuliſſe: at cum aliquo etiam artificio videaris: præſtabit aliquando, inſtrumenti, hoc eſt muſculi actionis opificis exortum, ipſamq; inſertionem, ac fibrarum ductum exponere: nonnullaq; præterea alia, quæ tibi ad præſentem occaſionem opportuna eſſe videbuntur. Si igitur de hoc tibi frontis vulnere enarrare, ac referre aliquando neceſſe ſit: hæc etiam his, quæ modo dicta ſunt, accommodabis. Nimirum ſubſtantiam hanc, quæ fronti ſubiecta eſt, illiq; tenaciſſimè adhæret, Galenum [b] non muſculum, ſed muſculoſam cutem nuncupaſſe: ac Veſalium ne muſculoſam quidem: ſed carneam planè membranam, quæ pluribus carneis febris aucta ſit. Aliter autem ſenſiſſe Fallopium, qui muſculum prorſus appellauit: hoc ipſum enim & motum, & fibras atteſtari. Duos etiam in fronte muſculos agnoſcit Realdus: viditq; aliquando, altera frontis parte conuulſa, ſanam aliam, ac ſui muneris integram ſuperfuiſſe: quod in ipſa etiam ſectione non rarò deprehendit: aitq; præterea terminari hos muſculos in communem illam ſuturam, quæ oſſa capitis à ſuperioris maxillæ oſſibus interſtinguit. Nullo [c] etiam tendine hi muſculi donati ſunt: quòd ſcilicet non os aliquod: ſed cutis tantum erat mouenda. Fibras autem, quarum ratio nobis præcipuè habenda eſt, Veſalius recto tramite percurrere ait, à naſi ſummo vſque ad dimidiam frontis ſedem. Columbus verò non rectas, ſed obliquas obſeruat: à ſummo ſcilicet naſo verſus tempora. Vſus verò inſtrumenti eſt, vt ſupercilia attollat. Atque hæc, quæ de frontis vulnere attulimus, tu ipſe oblatæ occaſioni variè accommodabis. Quamquam hoc in loco prætereundum non eſt, quod Hippocrates in coacis prædictionibus memoriæ prodidit: nimirum ex vulneribus, quæ vel ſupercilio, vel paulò altius infliguntur, viſum obſcurari: & quanto vulnus fuerit recentius, eò magis videre homines: ac tardius euaneſcente cicatrice, magis obſcurari viſum. Etenim, vt declarat Hollerius, propter viciniam, & conſenſum in vicino oſſe communibus membranis, & quibuſdam venis laborant oculi, atque obſcurantur, magis quidem procedente morbo, difficiliore ſcilicet vlcere, ac tardius cicatricem ducente. Atque hæc Hippocrates: cui quidem vt ſummam authoritatem minimè detraho: ita id ingenuè fateor, mihi ſcilicet hoc ipſum ſæpius in quotidianis obſeruationibus per-

[b] 4. Anatom. admin. 6.

[c] 1. De motu muſcul. 3.

qui-

quærenti, nihil tale hactenus compertum eſſe potuiſſe: Superior etiam palpebra (nam inferior planè eſt immobilis) ſi ſauciata ſit, illo ſcilicet toto ſpatio, quod inter maioremq; minoremq; angulum, quos canthos appellant, interponitur, haud difficilè fuerit, ex natura, ac ſitu muſculorum prædicere, ſi tranſuerſa ea inciderit percuſſio, vniuerſam palpebrę functionem eſſe perituram; ſiquidem omnem illius profunditatem enſis attigerit: quod ſi non adeò magna incitio eſt: dices, illud tantum palpebræ defuturum, ne liberè claudi poſſit. Quamquam vix fieri arbitror, quin vtriuſq; muſculi pereat functio: nam ea, quęcunq; eſt, tenuis eſt ſubſtantia, & fibris non parum commixta. Verum duo *d* in ſuperiore palpebra efformati ſunt muſculi: alter quidem in maiore angulo apud naſum obliquus, ad dimidiam tarſi partem aduenięns: & hic palpebram flectit: alter verò & ipſe obliquus, à ſupercilio propè minorem angulum exoriens ad reliquam tarſi partem dimidiam accedit: cuius eſt munus, ſurſum palpebram attollere: ita enim conſtitutos eſſe vtriuſq; muſculi exortus decebat: nam & muſculos omnes verſus proprium principium tendi neceſſe eſt. Quamquam hic notat Fallopius, priorem ſcilicet muſculum non omnino ex media maioris anguli ſede, vt ſenſiſſe, inquit Galenum, & Veſalium, enaſci: ſæpè enim illum locum incidi, exuriq;, vt in ſanando Aegilope conſueuit: nec inde tamen vllam palpebræ læſionem ſequi. Aduertit ergo ab interiore parte eum muſculum originem ducere: vnde etiam alius procedit, qui ad ſuperiora oculum attollit. Sed hoc ipſum omnium primus obſeruauit Galenus: *e* vt turpiter propterea magiſtri diligentiam ille ſibi adſcripſerit.

d 10. De vſu part. 9.

e 10 De vſu part. 10.

Buccarum, ac labiorum: itemq; inferioris maxillæ, & maſticationis functiones, quarum partium vulneribus impediantur.

VT autem ad buccarum læſiones deſcendam: latus quidam muſculus ſub cute in collo exiſtit: quem omnium primus aduertit Galenus: *f* tenuis ille, ac mēbranoſus: quem etiam ſi lubet muſculoſam ſubſtantiam, aut dilatationem muſculoſam appellabis. Vniuerſæ autem cuti, quæ circa collum eſt, in orbem ſubtenditur: atque in priori quidem parte deorſum

f De ſect. muſcul. cap. 1.

ſum

ſum fertur vſque ad clauiculas: in poſteriori verò iuxta ſcapularum ſpinas ad metaphreni, ideſt dorſi principium. Horum autem vſus ſunt, buccas à ſeipſis mutuo ad latera, citra inferioris maxillæ motionem, oriſq; apertionem abducere: quas quidem functiones ex huius muſculi vulnere lædi neceſ-
g De diſſect. muſc.cap.1. ſe eſt. Huiuſmodi enim actio in ſpaſmo, *g* qui cynicus dicitur, clariſſimè inſpicitur: in hoc enim prædictus muſculus maximè intenditur, atque ad ſuam originem contrahitur. Verùm ne in referenda ſententia aliquid prætermittas: huius muſculi fibræ non eundem obique ductum ſeruant: nam partim rectà ſurſum ad labra deferuntur, vt in ea muſculi parte, quæ ab oſſe pectoris, ac media clauiculæ regione ſurſum aſcendunt: partim verò obliquè ab eadem contendunt: vt in ea portione, quæ ex reliqua clauicula, ſummoq; humero, ac ſcapulis, ceruiciſq; ſedibus exoritur. Vt iam videas, quò verſus tendere debeat ſectio, ſi per tranſuerſum fibræ ſint diſſecandæ: qualia dumtaxat vulnera functionibus officere, dictum eſt antea. Atque hæc ex Galeno, cui tamen columbus diligens anatomicus, nequaquam aſſentitur: putat enim buccarum motionum opifices muſculos inter vtramque maxillam ſitos eſſe: naſciq; à gingiuis, atque in gingiuas deſinere: ac latum illum muſculum labia tantum deorſum obliquè trahe-
h De diſſect. muſc.cap.2. re, oriſq; apertioni deſeruire affirmat. Labrorum *h* autem motiones ita ex vulnere offendi ſolent: cum enim duo muſculi à malis obliquè deſcendant, totidemq; aſcendant ab extrema maxilla, vbi eſt mentum: illi ſuperius labrum hi verò inferius, & conſtituunt, & mouent. Si igitur hæc ſpatia, quæ prædictis finibus continentur, conſaucies, enarratos motus ſine dubio offendes. Sed diligenter aduertendum hic eſt, horum muſculorum fibras variè eſſe contextas: inter ſe enim commiſceri, ac complicari: quamobrem quoquo verſum vulnus inferatur, ſemper eſſe tranſuerſum, ac fibras diſrumpere. Inferioris autem maxillæ functionum læſiones, quibus læſis particulis deprehendas, non erit admodum difficilè. Si cui enim in ea regione plagam infligas, quæ inter aurem, & frontem, oſq; iugale, quaſi imperfectus quidam circulus, interiacet: (tempus appellant) iam inferioris maxillæ, atque oris ad
i 11. De vſu part. 4. ſuperiora attractionem, clauſionemq; offendes. Subeſt enim muſculus *i* temporalis, quem etiam crotaphitam vocant, qui à verti-

Digitized by Google

verticis frontis, ac temporis oſſe enatus, cuius acumini maxillæ inferioris affigitur: illamq; ſurſum trahit, atque os claudit. Huius autem muſculi fibræ à circumferentia ad centrum progrediuntur: cuiuſmodi nulli præterea inſunt muſculo. Sed hic cautè prædicas velim: nam *l* huius muſculi læſiones non ſolum inferioris maxillæ expoſitam actionē labefactant: ſed ſi Hippocrati, ac Galeno credimus, conuulſionem præterea, febres ſopores, ac deliria inferunt: quòd nimirum neruorum principio proximi illi ſint muſculi. Si verò ab oſſe iugali, radiceq; auris, ad inferioris maxillæ initium inferas vulnus, maſticationi non obſcurè incommodabis: ibi enim muſculus *m* adeſt manſorius, maſſeter dictus: ille quidem, quem aperto ore haud difficilè digitis apprehendi poteſt: quique expoſitiore capitis parte, vbi ſunt proceſſus ſtyloides, exortus totam inferioris maxillæ ſummam amplitudinem amplectitur: ipſamq; in circulum agit. Sed Galeni ſententia eſt, tum hos ipſos muſculos: tum etiam quos temporales ante appellauimus, maſticatorios æquè nuncupari poſſe: nam in commune maſticationis munus ambo conſpirant.

l 11. *De vſu part.* 3.

m 11. *De vſu part.* 4.

Capitis motiones quarum partium vulneribus offendantur.

CApitis motus, quibus oblæſis muſculis noxam ſentiant, ſic habe. Septem ſunt muſculorum paria, quæ proprijs capitis motibus deſtinantur: atque ex his *n* vnum duntaxat antrorſum caput adducit: reliqua retrorſum trahunt: omnes tamen externis quibuſdam alijs muſculis ſubſtrati: anteriores quidem muſculoſæ dictæ dilatationi, vnde buccas moueri dictum fuit: poſteriores verò muſculo ſcapulari. Quocirca non ita in ſuperficie conſiſtere debet vulnus, quod capitis motiones impediat. Horum autem origines, progreſſuſq; ignorandi etiam non ſunt: priores enim duo, qui caput antrorſum inclinant, à ſummo pectore, atque à clauiculæ extremo exoriuntur, longi illi, teretes, ac validi: ſatiſq;, etiam non excoriato cadauere, apparentes: inſeruntúrq; in proceſſum mammillarem: ac ſi fiat, vt ſimul ambo moueantur, ad anteriora caput mouetur: ſin alter agat dumtaxat, in latus adducitur. A parte autem poſteriori ſex muſculorum paria anatomici obſeruarunt: omneſq; à ſpinis quinque primarum verte-

n *Ex Veſalio ſed vide* 4. *anatom. adm.* 6. 7.

brarum ad medium ferè occipitium contendunt. Ergo ſi tota colli regione altius deſcenderit vulnus, vt iam proximè ſubiecta attigerit loca, capitis motiones manifeſtè lædes: prout hi, aut illi muſculi conuulnerantur.

Brachiorum vulnera quibus functionibus incommodent.

BRachiorum vulnera, & frequentia ſunt, & functiones maximè homini opportunas oblædunt. Ergo vt ſingulorum euentus proſpicias: præſtat prius muſculorum, qui vniuerſas brachij partes diuersè mouent, proprias functiones recenſere: ſic enim vel ex teipſo, quæ læſiones inde futuræ ſint, facilè cognoſces. Vt igitur ab extrema brachij parte incipiam: vndecim ᵃ in vniuerſum ſunt muſculi, qui humeri articulum mouent, (humerum ᵖ nunc voco quidquid à iugulo vſque ad cubiti articulum intercedit: vti etiam cubitum, partem omnem, quæ inter cubitum, ac palmæ principium ſita eſt) tres à pectore in brachium aſcendentes: duo ab ilium regionibus: & quinque ex ipſa ſcapula prodeuntes: vndecimus autem, qui epomida, ideſt ſuper humeralem occupat. Atq; hi omnes muſculi ſimul connati, atq; implantati ſunt, quo loco humeraria eſt vna. Sed horum omnium motiones hæ ſunt: nam qui epomida occupat, brachium ſurſum rectà attollit: qui autem ab huius lateribus vtrinque duo à ſcapula prodeunt: hi etiam ſurſum brachium erigunt: ſed non rectà: verum vel ad poſteriora, vel anteriora magis vergunt: prout hunc, vel illum locum ſortiuntur. Qui verò à pectore enati ſunt muſculi, eodem etiam brachium adducunt: reliqui autem ad poſteriora conuertunt: & præſertim qui ex inferiori fine imæ in ſcapula coſtæ proficiſcitur. Vides igitur, quarum regionum vulnera quas motiones impediant: nam ſi muſculi, qui ſurſum erigunt, vulnerentur: nulli dubium eſt eidem functioni nocumentum futurum: atque eadem quoque in reliquis ratio habenda eſt. Cubitus * autem à quatuor muſculis mouetur, qui totum os brachij in orbem ambiunt: ac priores duo articulum flectunt, non quidem rectà: ſed alter introrſum, extrorſum alter inclinando. Extenditur autem à priore, qui iuxta humeralem venam manifeſtè apparet, ac maximè iu gymnaſticis, duoq; habet capita: vnum ad ſcapularum ceruicis ſuperci-

ᵃ *De diſſect. muſc. 18. & 13. de vſu part. cap. 13.*
ᵖ *De oſſibus, cap. 16. 17.*
* *De diſſect. muſc. 20. 1. anatom. admin. 11.*

percilium, alterum ad proceſſum: ipſe autem brachij oſſi cohærens tandem radio adnaſcitur: habetq; alium ſub ſe eiuſdem actionis comitem. Illo igitur muſculo vulnerato, haud commodè flecti cubitus poteſt: ſi verò in poſteriore brachij parte, quæ enarratis muſculis, ferè ex aduerſo opponitur, eorumq; fines attingit, plaga accipiatur, tunc extendendi cubiti munus offenditur: totum enim hoc ſpatium muſculus occupat, qui cubitum extendit: & quem ſiuè vnum, ſiuè duos appelles, nihil intereſſe veriſſimè putat Veſalius. Præterea ſi à ſuperiore, anterioreq; cubiti parte ferè ad extremum radij, longo illo quidem, ſed anguſto ſpatio vulnus accipias: radium in ſupinum liberè duci prohibebis: ſubeſt enim longus muſculus, ab humeri oſſe enatus, ac tandem in inferiori radij appendice implantatus, ac ſecundus inter hos enumeratur, qui radium in ſupinum ducunt. Si autem inferiorem vlnæ longitudinem ſauciaueris, vſque ad os brachialis inferius, omnes carpi motus facilè offendes: ibi enim extenſi ſunt quatuor muſculi, omnium brachialis motuum authores: quorum tamen externi duo, qui promptius vulnerum iniurijs obiecti ſunt, ab externo humeri tubere exorti, in primum, ac ſecundum os carpi inſeruntur, eiq; extendendo deſeruiunt: ideoq; hanc præſertim functionem, illis læſis, lædi neceſſe eſt. Verum *q* ſi cubitum ad carpum vſque, interna quidem parte: ſed quæ modicè retro vergat, vulnere offendas: tum quidem ſecunda quatuor digitorum internodia flexionis munere deſtituentur. Vnicus enim ibi ſubiectus eſt muſculus, ac primus inter internos, qui ſummam manum mouent: quique ex inferiori humeri tubere natus, vſque ad cubiti articulum ſub alijs quibuſdam eatenus deliteſcit. Ex eo autem loco quaſi emergens, ſub cute conſpicitur: niſi quantum prior muſculus, qui latum tendinem efformat, qua parte tenuis eſt, atque in nerueam propaginem deſinit, ſupergreditur. Ille ergo brachiale tandem præteriens in quatuor tendines ſecatur, qui ſinguli ſecundis oſſibus digitorum affixi, eorundem flexionis opifices ſunt: ſed quoſcunque etiam ex internis muſculis ſecueris, qui ſcilicet cum enarrato primo ad brachiale contendunt, eius contrahendi functionem manifeſtè offendes. Ab externis autem muſculis: ideſt qui in poſtica cubiti parte locati ſunt, manus manifeſtè extenditur. Illorum primus poſteaquam

q 2. De vſu part. 5.

Digitized by Google

quam cubiti articulum prætergrediens, quaſi ab alto emergit, ſub cute conſpicuus redditur: ac, ſi alium remoueas, qui huic ſuperſtans, tandem brachiale extendit, in ſuperiori prioreq; parte ſitum illum diceres. Hic frequentiſſimè in quatuor ſcinditur tendines, qui omnes omnium digitorum articulos, præterquàm indicis, attingunt, dilatantq;. Secundus autem muſculus, à quo minimus digitus à reliquis abducitur, ac palmæ efformatur, eandem cum primo fortitus exortum ſpectabilis & ipſe ſub cute cum primo: ſed tamen infernè ad manum procedit. Ergo quocunque in loco enarrata hæc muſculi ſedes vulneretur: aut minimi digiti functio lædetur, ſi inferiorem regionem vulnus attingat: aut trium ſequentium, ſi paulò ſupra infligatur. Atque hæc de brachiorum vulneribus ſatis ſint.

Manuum vulnera quibus functionibus incommodent.

r 2. De vſu part. 3. IN manu *r* verò ſi vulnus accipiatur, poſtica ſcilicet parte vbi non quidem muſculi, ſed ipſimet tendines iamiam ſuos articulos adituri perreptant: non erit difficile proſpicere, quæ læſio digitis ſit inde afutura. Ille enim digitus ante alios laborabit, ſub quo proximè ſubpoſitus muſculus, aut tendo offendetur. Sæpè tamen eueniſſe memini, vt exterioribus his tendinibus abſciſſis, nihilo tamen minus digiti extendantur: quamquam paulò debiliores in opere exercendo permanſerint: præſto enim ſunt alij quidam muſculi in palma enaſcentes, qui cum prædictis tendinibus idem extenſionis munus exercentes, faciunt: vt priorum iacturam non moleſtè admodum ferant digiti. Palma etiam manus, quam volam appellant, identidem vulneratur: nec rarò videas, offendi inde digitorum motus. Tu verò ita omnia præuidebis. Sub eo enim tendine, quem latum appellant, quiq; proximè cuti ſubiectus eſt, quatuor exiſtunt muſculi, quos à dimidia palmæ regione vſque ad digitorum exortum feriri promptum eſt. Hos autem obſeruat Columbus, extendere quatuor digitos præter pollicem, ſint licet interni: vt mirari plerunque ſoleant quidam chirurgi: qui fiat, vt exterioribus inciſis tendinibus, extendantur nihilominus digiti: neſcij ſubeſſe eos etiam, eiuſdem functionis participes. Hi verò à tendinibus eius muſculi naſcun-

naſcuntur, quem tertium articulum omnium quatuor digitorum flectere, dictum eſt antea: atque in externam tandem emergentes, & in tertium articulum implantati, ipſam extendunt. Si verò ſub auricularem digitum hominem vulneres, facilè is offendetur muſculus, qui ex quarto oſſe metacarpi enaſcens, eum digitum ab alijs abducit. Quòd ſi carnoſam volæ partem, quæ propriè ſub pollice eſt, vulneraueris, eos muſculos lædes, (tres illi ſunt) qui pollicem flectunt. Hoc enim priuatim, ac ſupra cæteras habet eximium maior digitus, inquit Galenus, ſ quod nihil ex altioribus ad ipſum deuenit quamobrem aut in ipſomet digito, aut non longè acceptum: ſit vulnus oportet, vt eius functio præpediatur. *ſ 1. Anatom. admin. 5.*

Fœmoris, ac tibiarum vulnera quas functiones impediant.

SEd, vt iam ad fœmoris vulnera accedamus, ſi quis tota ea regione, quæ è dimidia oſſis ilium appendice, ab oſſe ſacro, coccygeq́; per vniuerſam natem vulneretur: niſi leuis ſit inciſio, fœmori erit impedimento, ne liberè extendi poſſit. Porrò hic muſculus cum ab enarratis principijs ortum ducat, deſinit tandem in maiorem trochanterem, ac natem ex ſe efformat. Aduerte tamen, huic muneri, quod robuſtiſſimas alioquin exigebat vires, alios quoque ſubiectos muſculos in eandem functionem famulari: nimirum, ne vnius muſculi læſio totius particulæ functionem aboleret. Reliquos autem fœmoris motus alij quidam muſculi abſoluunt: qui quoniam ab interna lumborum parte per inuiſam nobis regionem deferuntur, idcirco prætereundi nobis tantiſper ſunt. Fœmoris autem vulnera tibiarum motibus vt plurimum aduerſantur: hos enim ſuperne deſcendentes muſculi adminiſtrant, abſoluuntq́;. Ergo, vt rem penitius attingas, ſi fœmur à ſuperiore parte, anterioreq́; vſq; ad patellam vulneres, tibiarum extenſioni non modicè incommodabis. Subeſt enim eo loco ſeptimus muſculus ex ijs, qui tibiam mouent, ac ſub hoc etiam octauus ſupra genu conſpicuus: illi tamen quia alij quoque in communem hanc actionem conſpirant, haud planè ex vnius muſculi detrimento integræ extenſionis iactura in tota particula timenda eſt. At verò ſi eam partem vulneres, quæ ferè ex inguine quaſi inſitia quædam obliquè deſcen-

ſcendit: ac per fœmoris interiora in anteriorem tandem definit tibiam, haud leue ſentiet tibia impedimentum, eo nimirum tempore, cum ad alterius cruris inguen, aut ad fœmur adducitur. Poſtica autem pars fœmoris ſi plagam accipiat, quo ſcilicet loco natis deſinit, ad poplitem vſque: iam tibiæ contractionem lædere hoc vulnus ſolet: præſertim ſi ad tendines pertingat exciſio: qui quidem in ipſo poplite ad latera ita ſunt manifeſti, vt contracto crure, non obſcurè etiam digitis apprehendi poſſint. Sed hic prætereunda non eſt Galeni[1] de curſore quodam hiſtoria: quam ego, tum quia memoranda: tum etiam quod aliquos habeat diuersè ſentientes, haud grauatè recenſebo. Ipſe igitur dum de quarto muſculo, qui tibiæ motor eſt, ſermonem facit, qui quidem non interna ipſius parte, verùm externa ſolis alijs tribus opponitur, extremumq; ipſius carnoſum ſimul, & manifeſta latitudine conſpicuum tibiæ extrinſecus connectitur: & cuius functio eſt, vt totam tibiam in obliquum torqueat; hunc, inquit ille, muſculum, ſpectauimus curſori cuidam haut vulgari abruptum: certanteq; homine in ipſius medio auulſum: cuius deinde ſedes inanis erat, & concaua, & quam partes auulſi muſculi relinquerent, hæc quidem ad caput reuulſa, altera verò ad tibiam detracta. Curſor tamen ille poſtquam dolor ceſſaſſet, & inflammatio deſtitiſſet, deambulando nihil offendebatur: adeò vt audacter curſum iteraret: ex quo etiam nihil ſentiens incommodi, rurſus certauit: iterumq; ceu prius victoriam reportauit: quod illi obtigiſſe non erat veroſimile: nam in curſu non eſt opus articulos in obliquum torquere: verum ſufficit eos extendere, atque inflectere. Realdus verò ſaucios nonnullos in hoc muſculo obſeruauit, neque magno admodum vulnere: qui licet ad ſanitatem redacti eſſent, non ſine labore tibiam flectebant: quamobrem, contra ac ſenſit Galenus, tribuit illi flectendi munus. Tu verò interea quoniam res tota in obſeruatione poſita eſt, aut captata occaſione de re ipſa oculatim iudicabis, aut fidem tuo arbitratu vtrilibet adhibebis. Sed iam tandem ad pedis incommoda Nam ſi eos vulneres muſculos, qui poſt ſuum exortum, ſupra genu emergentes, ac ſuis ventribus in vtroque tibiæ latere ſuram conſtituunt: & qui tandem omnium totius corporis robuſtiſſimum formant tendinem, qui ad calcaneum attingit; tunc haud libere

[1] 1. Anatom. admin. 4.

berè ipſe pes ſeſe extendere valebit. Verùm huius vnius muſculi læſio non ſatis ad totius functionis iacturam fuerit: nam quatuor præterea alij auxiliares illi copias ſubminiſtrant. Inter ſuram verò, ac tibiæ os, priore ſcilicet eius parte, duo muſculi in conſpectum veniunt: alter ſuræ propior: cuius eſt munus, quatuor pedis digitos extendere: alter verò, qui iam eo loci tendineam acquiſiuit naturam, vergit ad os tibiæ: eiuſq; ſunt partes, vt extremum flectat pedem: vtrumlibet ſi vulneres, nemini dubium eſt, propriam cuiuſq; functionem te eſſe læſurum.

Quorum neruorum, ac cuius ſpinæ partis vulnera, quas partium motiones impediant.

SEd iam ſingula ferè loca attigiſſe videor, quæ extrinſecus læſa ſpontaneum certarum partium motum peruertere identidem ſolent: vt ſuſceptum quoque munus penè me abſoluiſſe putem: ſi hoc vnum præterea addidero: nimirum non ſolum vulneratis, cæſiſq; muſculis particularum motum offendi: ſed illis etiam neruis, qui per muſculos diſtributi, primi ſunt illius functionis auctores. Nam de omnibus muſculis hoc commune ſentiendum eſt, inquit Galenus, *u* quòd ſiuè neruos ipſorum læſeris, ſiuè fibras omnes tranſuerſas amputaueris: totos ſtatim muſculos motu priuabis. Quare neceſſarium tibi fuerit, principia neruorum, qui in ipſos diſtribuuntur, & fibrarum ſitum pernoſcere. Ergo notiſſimum illud eſt: muſculis nimirum vires, ac facultatem mouendi à cerebro, ceu ex quodam fonte per neruos, riuorum in morem deduci: qui quidem, quoniam ad mouendum ſatis eſſe non poterant, muſculos quaſi vectes quoſdam fabrefecit natura: vt promptius etiam pondera mouere poſſimus. Ergo quilibet muſculus neruum in ſe habet inſertum, vnde ſortitur, quod moueatur. Illum autem ſi incidas, opprimas, contundas, aut aliter tranſitum ſpiritibus interceperis, auferetur muſculo omnis motus, & ſenſus. Præterea quantum ſuperius eſt inciſione continuum cerebro: id quidem adhuc conſeruabit principij vires; omne autem, quod inferius eſt, neque ſenſum, neque motum vlli præbere poterit. Sed de hac re pleniorem etiam à Galeno habes demonſtrationem primo *x* libro de motu

u 8. Anatom. admin. 5.

x Cap. 1.

motu muſculorum. Vt igitur læſas muſculorum functiones, quæ ex ſuorum neruorum vulnere proficiſcantur, minimè ignores: qui nerui, quibus originibus, quas in partes deriuantur, paucis modò tradendum eſt: nec de omnibus quidem: nimis enim hoc longum, ac vltra noſtri conſilij modum foret: ſed quantum ſuſcepto à nobis inſtitutò ſatis eſſe videbitur. Hoc igitur in vniuerſum dicam: obſeruatum ſcilicet eſſe: neruos rarò per extima corporis ad muſculos peruenire: ſed potius tutelam quandam, ac protectionem affectantes, per interna diſcurrere. Attamen qui ad manus *a* accedunt, per internum brachium contendere deprehenduntur: non ita tamen, qui in crure: nam omnes per partes fœmoris poſteriores deorſum feruntur: nullum igitur neruum neque ad curuaturam cubiti: propterea quod ea eſt ex carnis, inuenias expoſitum: neque ad genu, & tibiam anteriorem: ſed vbiq; in profundo intero ſtium propugnacula, aut chartilaginum, aut ligamentorum aut carnium. Quantum verò ad neruorum origines ſpectat: qui ad brachium, cubitum, ac ſummam manum deueniunt, à quinta, ſexta, ſeptimauè ceruicis vertebra per axillam perreptant nerui: ac præterea à prima, ſecundaque thoracis: quas tamen ſi à principio enumeres, octauam, ac nonam dixeris. Sed hi nerui ſtatim ab ipſo ortu tam variè inuicem commiſcentur, ac confunduntur: vt non ineptè cordulis illis, quæ Cardinalium galeris appenduntur, poſſes aſſimilare. Hæc ergo omnia neruorum paria, ſi quæque à ſuis vertebris prodeuntia conſauciabis, certum eſt, non modicè brachiorum, ac manuum motui pro vulneris magnitudine obfuturum: ita tamen, vt ſtatuere minimè poſſis, quod præſertim neruorum par in ſua exiſtens origine, quibus muſculis nociturum ſit: nam vt multiplex eſt illorum contextus, ita incertum quoque, qui muſculorum nerui, quonam vertebrarum foramine dependeant. Satis tamen nouiſſe ſit, iuxta enarratas vertebras illata vulnera brachijs, manibuſq; promiſcuè nocumentum afferre ſolere. Ad fœmur autem, tibiamq;, ac pedem ab omnibus lumborum vertebris, atque ex oſſe ſacro procedunt nerui, eodem implexu, confuſioneq;, vt in brachiorum neruis antea meminimus. Quocirca quodcunque neruorum par è prædictis procedens vertebris offenderis, omnibus muſculis è directò ſuppoſitis æquè incommodabis.

a 16. De vſu part. 8.

Præ-

Præterea verò (nam hoc quoq; cognitu non erit inutile) ner-
uos ipſos, qui ad extremæ manus muſculos contendunt, haud
obſcurè etiam in viuente homine ita poteris ex Veſalio de-
prehendere: nam ſi inter poſteriorem vlnæ proceſſum, & ex-
tremum humeri tuber non ita leuiter digito preſſeris: tunc
quartum neruum, qui pollicem, indicem, ac medium mouet,
ex quodam eorundem digitorum torpore, ibi ſubeſſe ſenties.
Quod ſi poſteriorem interioris tuberis locum comprimes:
quintum ibi neruum, eodem argumento contigiſſe animad-
uertes: qui ſcilicet minimum digitum, anularem, ac medium,
diuiſis ad manum ramis mouentes facit. Quod ſi anteriorem
ſedem, quæ in interiori humeri eſt tubere, ſimiliter premes:
iam equidem tertium neruum, qui ad internum pollicem, in-
ternumq; indicem, ac medium ſimiliter pertingit, facilè de-
prehendes: conſultò, vt diximus, eorundem digitorum tor-
pere. Ergo prædictis in locis ſi ad cubitum nerui fortaſsè vul-
nus accipiant, non ita arduum fuerit Medico prædicere, qui
digiti inde lædendi ſint. Cæterum de ſpinalis medullæ ſectio-
ne reſtant adhuc nonnulla explicanda, quæ Galenus b octauo b Cap. 9.
de anatomicis administrationibus noſtro inſtituto opportu-
na memoriæ mandauit. Si in media, inquit ille, tertiæ, & quar-
tæ vertebræ regione totam ipſam medullam perſecueris, ſpi-
ratione confeſtim animal deſtituetur: non ſolum thorace,
verùm etiam infrà ſectionem toto corpore facto immobili.
Atqui perſpicuum eſt, quòd ſi poſt ſecundam aut primam
vertebram, aut in ipſo ſpinalis medullæ principio ſectionem
ducas, repente animal corrumpetur. Verum ſi poſt ſextam
vertebram, medullam ſpinæ totam ſecueris tranſuerſam (ſem-
per enim hoc ipſum ſubaudiendum) toti quidem thoracis
muſculi ſtatim motum amittunt. Solius autem diaphragma-
tis beneficio tunc animal ſpirat. Inferiores verò hac vertebra
ſectiones ſpinalis medullæ permultis ipſius partibus thora-
cem moueri concedunt: nam maxima ſublimium ipſius mu-
ſculorum coniugatio duplicem vtrorumq; neruorum origi-
nem ſortita, proceſſum alterius coniugij maioris plurimum
poſt ſextam vertebram exigit: etenim huius cauſa poſt ſepti-
mam vertebram ſpinalis ſectiones, vtraq; muſculorum con-
iugia functionem obire non impediunt. His magis ſectiones
poſt octauam, aut nonam factæ: ſiquidem & alia neruorum

 prin-

principia aſſumunt: & muſculorum membraneorum actionem retrorſum aſciſcunt: atque inſpirare animal videtur ambabus thoracis partibus: ſuperiore, & inferiore: præterquam ſi parua reſpiratione indigeat: nam tunc etiam diaphragma ſolum ei ſufficit. Cæterum quanto magis ad humiliores vertebras proceſſeris, tanto plures thoracis muſculos actiones obeuntes habebis. Idem etiam Galenus, c ſpinalis, inquit, medulla cum iuxta longitudinem ſupernè deorſum verſus per medium recta linea diſſecatur, nullum ex inter coſtalium neruis reſoluit: neque eos, qui in dextra parte, aut altera habentur: neque eos, qui in lumbis, vel cruribus exiſtunt. Tranſuerſa autem, cum dimidia dumtaxat pars, ipſa diuiſa fuerit, ſiuè ſiniſtra, ſiuè dextra: omnes ordine iuxta rectum inciſæ partis tramitem nerui reſoluuntur. Sed hæc quamquam vera ſint: ſciendum tamen eſt, in ſpinalis medullæ vulneribus nequidquam fortaſsè medicum de futura particularum læſione conſultare. Eſt enim cur potius de vitæ diſcrimine tunc timeas. Ita enim inde homines intereunt plurimum, ac sauciato ſolent cerebro. Et reuera ſpinalis d medulla velut alterum eſt cerebrum, his ſcilicet partibus, quæ ſub capite ſunt: ideoq; etiam illius vulnus inter inſanabilia numerauit Celſus: e quod ipſum & omnium antiquiſſimus Hippocrates in Coacis prædictionibus ſcriptum reliquit.

c Cap.6.

d 2. De vſu part. 11.

e Lib.5.c.26.

Non ſemper diſciſſis muſculis, neruiſuè, propria illorum ceſſat functio.

CVm hæc ex Galeni, ac communi medicorum conſenſu ſcripta ſint: ac ſatis iam demonſtratum diſſectis muſculis, neruiſuè ipſis, integram etiam particulæ functionem interire. Attamen ſilentio prætereundum non eſt, quod mihi diligenter in hæc ſtudia incumbenti ſæpè eſt obſeruatum: poſſe nimirum magna ex parte incidi, ac diſcindi muſculos, qui certæ alicuius functionis authores ſunt: integra tamen illorum functione, aut non ita admodum læſa remanenre. Memini complures me vidiſſe, quibus in fronte magnum vulnus tranſuersè acceptum vſque ad os latè muſculum diſſecuit: attamen ſano iam vlcere, ita inculpatè ſupercilia ſurſum trahebantur; vt nulla aut exigua eius functionis eſſet difficultas.

Præ-

Præterea diu non eſt, cùm ingens vulnus cuidam ſub cubito in externa parte illatum fuit; cumq́; prædictum fuiſſet, digitos aliquos ſolita extenſione deſtituendos eſſe: coalito iam vulnere præter expectationem nulla ſuperfuit in manu læſio. Multiq́; etiam huiuſmodi mihi ſeſe caſus diuerſis temporibus obtulerunt: qui me multa hæſitatione diu ſuſpenſum tenuere, quid ſcilicet pro Galeno dici poſſet: qui, vt abundè antea monſtratum eſt, ex magna muſculi abſciſſione, aut integram prorſus particulæ actionem perire: aut certè magna ex parte lædi clariſſimè docuit. Vt igitur ingenuè dicam, quod ſentio: non nego, muſculum voluntarij motus eſſe inſtrumentum: ac facultatem mouentem per fibras tranſmitti; quæ denique in tendinem deſinentes ſuum munus exerceant. Nec illud etiam: neceſſe nimirum eſſe, exciſis fibris, nec amplius coaleſcentibus ipſam omnino actionem intercipi. Attamen nihil puto impoſſibile, fibras ipſas ſemel diſciſſas coaleſcere integre aliquando poſſe: atque ad naturalem ferè habitum redire. Nam etſi ſpermaticæ partes ſunt fibræ: ex neruis ſcilicet, & ligamentis deductæ: tenuiſſima illa tamen ſunt filamenta, ac ſanguine circumfuſa: vt apta abundè ſeſe ſuggerente materia, nihil prohibeat, poſſe ipſas iam diuiſas denuo conglutinari: nam & venas etiam, arteriaſq́; diſſectas, aliquando tamen agglutinatas vidit Galenus: f præſertim in pueris, ac mulieribus: *f 5. Meth. 7.* quamuis nerueæ illæ etiam ſint tunicæ, ac plurimum craſſæ, & fibris planè maiores: ac, quod magis admirabere, cauitatem habent. Adde his etiam, graues aliquos Medicos, ſæpe obſeruaſſe, muſculos, & neruos ipſos penitus diſſectos, fuiſſe tamen interdum agglutinatos: vt facilis iam propterea fibrarum agglutinatio: non tantum poſſibilis eſſe aliquando videri poſſit. Etenim Realdus g Columbus, anatomicus præſtantiſſimus, *g 8. De re anatom. c. 5.* dum de illa neruorum diſſectione ſermonem inſtituit, quæ & ſenſum, & motum tollit. Hæc inquit, noxa intelligitur illata neruo priuſquam muſculum adeat, qui in loco retrahi poſſit, contrahiq́;: quo facto, vniri, & coaleſcere nullo modo poteſt: Si enim nerui læſio contingat in ea parte, quæ iam muſculum ingreſſa eſt, vniri poteſt: neque ſenſus motuſq́; ammiſſio perſeuerabit: quemadmodum ego ſæpè numero expertus ſum in multis ægris, qui mihi in dies innumerabili multitudine curandi proponuntur: quod etiam Ludouico Philippino viro

Digitized by Google

docto, anatomes ſtudioſo lubens oſtendi. Sentit igitur vir clariſſimus, ſi nerui antequam ex ſe muſculos efforment, vulnerentur, coire quidam inuicem amplius non poſſe: cum verò in fibras iam diuiſos per carneam illam ſubſtantiam diſtribuuntur: nequaquam poſſe. Quamobrem fibras, & tendines ipſos reparari diſciſſos non negat. Sed hoc ipſum clarius adhuc alij peritiſſimi viri obſeruarunt, docueruntq;. Vidi ego, inquit Guido, *b* magni vir experimenti, atque audiui in multis neruos, & tendines inciſos eſſe: & eos ita reſtauratos, vt fuerit incredibile, illos fuiſſe inciſos. Theodorus *i* antiquiſſimus etiam Medicus, errant, inquit, qui dicunt, neruum conſolidari non poſſe. Et Lenfraneus *l* ita aſſerit, neruum aliquando conſolidari: vt motus qui ex eius disſectione ita erat periturus: eo deinde coeunte penitus repararetur: nam quamquam aliena quædam ſubſtantia in ſectionis intercapedine reponitur: haud tamen prohibetur, quin per eam ſpiritus permeet, atque illuceat facultas: nam eiuſdem ferè ſubſtantiæ eſt, atque ex proprio alimento ſecreta. Et quamquam carnoſæ tantum partes diſſectæ, eadem prorſus affuſa, ſecretaque ſubſtantia: quod per primam intentionem fieri dicunt, reparari videantur: ſeminariæ autem non eadem, ſed ſimili potius repoſita, quæ ſecunda nuncupatur intentio. Attamen fieri poteſt aliquando, vt tam valida particulæ fabricatrix facultas reperiatur, tantumq; ſuppetat ſeminalis materiæ, vt ab increſcente carne opus minimè impediatur: ac in neruo etiam verus coalitus, aut certè quam ſimillimus fiat. Satis igitur conſtat, non ſolum diſſectas muſculorum fibras: ſed ipſos etiam tendines, neruoſq; coaleſcere iterum poſſe: ac propriam illorum functionem, quam diſſectis illis perire erat neceſſe, tandem reſtitui: nam & Gentilis *m* grauiſſimus Medicus, mirabilia, vt ipſe narrat de neruis inciſis obſeruauit. Nec eſt, cur Hippocratem obijcias mihi, qui diſſectos neruos nec augeri, nec coaleſcere affirmauit: * nam ſi de eo coalitu loquentem illum intelligas, qui intercedente alia ſubſtantia fieri ſolet: cuiuſmodi duo ligna glutinio aliquo interpoſito vniri videmus: indignum hoc Hippocrate fuerit: nam vel duriſſima oſſa per vocatum callum concreſcunt. Si autem verum mihi partium coalitum proponas, qui nulla fit intercedente aliena ſubſtantia: ſed illis ipſis fuſis, ac concreſcentibus ſimul: quemadmodum cera

cerae,

b Tr. 1. doct. 1. cap. 4.
i Lib. 1. c. 16.
l In chirurg. cap. 4.
m In Attic. vbi de ſignis Paralyſis.
* *6. Aph. 19.*

ceræ, aut plumbum plumbo coaleſcit: ſæpè etiam in neruo falſum hoc etiam deprehenditur: nam, quoniam omnis huius coalitus ratio in duritie poſita eſt: non rarò certæ inueniri poſſunt naturæ, ætates, temperamenta, vt nerui verum illum coalitum non difficulter admittant: neque enim omnes particulæ ſolidæ æquè duræ ſunt: neque in omni natura, & ætate. Ergo magna tantum ex parte Hippocraticam ſententiam veram arbitror: uam quod nunquam aliter eueniat: res ipſa penitus reclamat. Fibrarum igitur coalitio difficilis, fateor, plerumque eſt, ac non rarò impoſſibilis: verum aliquando & poſſibilis, & facilis quoque, ſi allatæ rationes quidquam valent, mihi videtur. Sed hactenus de his partium offenſionibus, quæ ex vulnere muſculos, ac neruos diſſecante proueniunt: nam de cæteris alijs, quæ poſt vulnera etiam remanent: at non cæſis ruptiſuè fibris: ſed durata inibi inhærente fluxione: quæ ſcilicet prę dolore ad laborantem particulam fuerit concitata: aut proprijs etiam particulæ concretis excrementis, nihil hic narro: quòd ſcilicet non difficulter id malum emendari, ac corrigi licet, præſertim in iuuene, optimoq; temperamento. Sed iam hic præſentis enarrationis finis eſto.

Quæ externi corporis membra homini in vniuerſum magis ex vſu ſint. Cap. VI.

Scribendi occaſio.

DE præuidendis partium offenſionibus ſatis in ſuperiori capite dictum eſt. Nunc autem, quia illud etiam à nobis interdum perquirunt iudices, quam grauis nimirum ea ſit offenſio, quam ex vulnere futuram eſſe vtcunque prædiximus: & quam corpori illud officiat detrimentum: idcirco opportuna hoc in loco tractatio fuerit: quæ ſcilicet inter externas corporis particulas magis nobis ex vſu ſint. Et quamquam difficilè eſſe videtur inter tam multa hominum ſtudia, variaſq; profeſſiones inuenire ſatis poſſe, quæ nam corporis huiuſmodi inſtrumenta magis nobis ad exteriora vitæ munia exercenda ſint opportuna: nam his fortaſsè manus, alijs pedes, nonnullis oculi magis vſui

vſui pro varijs vitæ muneribus comprobantur. Ego tamen hæc ſcribens, non priuata cuiuſq; officia: non peculiares hominum ſortes intueor. Communiſſimos omnium vſus ante oculos mihi ſubieci: quocirca non quod huic, aut illi melius, deteriuſuè: ſed quod homini in ciuitate agenti vniuerſim magis deſeruiat, perquiro, atque eſſe communia quædam, quorum vſus æquè omnibus ipſa dictante natura ſit expetitus, nemo vnquam negabit.

Manuum functiones præſtare cæteris: & quomodo digitorum actiones inter ſe differant.

Manuum functiones, ſiquidem externas omnes contempleris particulas, homini omnium maximè neceſſarias eſſe mihi videntur. Nam Ariſtoteles [n] inſtrumentum ante inſtrumenta manum appellauit. Ac Galenus doctiſſimos illos de vſu partium libros à manuum functionibus eſt auſpicatus: quod ſcilicet inter corporis inſtrumenta principem illæ locum obtineant. Et reuera, vt quàm neceſſariæ mortalibus illæ ſint, paucis exponem. Homini, inquit Galenus, [o] manus dedit natura inſtrumentum ad omnes artes neceſſarium: nec minus paci, quam bello idoneum: nam cum cætera animalia innata ſibi quædam habeant propugnacula, atque arma, quibus plurimum poſſe videntur: vt cornua, dentes, vngulæ, & huiuſmodi multa: homini tantum pro omnibus ſimul armis manus datæ ſunt, quæ inſtar omnium ſibi eſſent futuræ: nam ope manuum ſibi arma omnia fabricauit, diuerſi illa quidem generis: vt non ſolum his, qui in terra ſunt animalibus: ſed his etiam, quæ in mari, & aere, dominaretur. In pace verò dum tranquillè agit homo, manibus leges ſcribit: aras, & ſimulacra dijs erigit: nauem, fiſtulam, ſcalpellum, & alia vniuerſa artium inſtrumēta aptè conſtituit. Tibiq; licet manuum beneficio etiam nunc colloqui tum Platone, cum Ariſtotele, cum Hippocrate, & alijs veteribus. Quocirca veriſſimè etiam ab eodem [p] dictum eſt: manum homini maximè proprium inſtrumentum exiſtere. Atque Ariſtoteles [q] adeò in earum laudationem proceſſit: vt ipſam animam, quæ diuina planè res eſt, manui, nulliq; præterea membro clariſſimè comparauit. Sed quàm excellens, quàm multiplex ad humana opera vis

[n] 4. De part. anim c. 10. et 3. de anima 38.

[o] 1. De vſu part. 2. &c.

[p] 17. De vſu part. cap. 1.

[q] 3. de anima tex. 38.

vis manibus tributa ſit: omnium luculentiſſimè, atq; elegantiſſimè Cicero r ad hunc modum explicauit. Quàm aptas, ait, quàm multarum artium miniſtras manus natura homini dedit? digitorum contractio facilis, faciliſq; porrectio propter molles commiſſuras, & artus: nullo in motu laborat: itaque ad pingendum, ad fingendum, ad ſculpendum, ad neruorum eliciendos ſonos, ac tibiarum apta manus eſt admotione digitorum. Atque hæc oblectationis: illa neceſſitatis: cultus dico agrorum, extructioneſq; tectorum, tegumenta corporum, vel texta, vel ſuta, omnemq; fabricam æris, & ferri. Ex quo intelligitur, adinuenta animo, percepta ſenſibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos conſecutos, vt tecti, vt veſtiti, vt ſalui eſſe poſſemus, vrbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Iam verò operibus hominum, id eſt manibus, cibi etiam varietas inuenitur, & copia: nam & agri multa ferunt manu quæſita, quæ vel ſtatim conſummantur, vel mandentur condita vetuſtati: & præterea veſcimur beſtijs, & terrenis, & aquatilibus, & volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu noſtro quadrupedum vectiones: quorum celeritas, atque vis nobis ipſis affert vim, & celeritatem: nos onera quibuſdam beſtijs, nos iuga imponimus: nos elephantorum acutiſſimis ſenſibus: nos ſagacitate canum ad vtilitatem noſtram abutimur: nos è terræ cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros neceſſariam: nos æris argenti, auri venas penitus abditas inuenimus, & ad vſum aptas, & ad ornatum decoras. Arborum autem confectione, omniq; materia, & culta, & ſylueſtri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibita, & ad mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt tectis ſepti frigora, caloreſq; pellamus. Magnos verò vſus affert ad nauigia facienda: quorum curſibus ſuppeditantur omnes vndiq; ad vitam copiæ: quaſq; res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus, maris, atque ventorum propter nauticarum rerum ſcientiam: plurimiſq; maritimis rebus fruimur, atque vtimur. Terrenorum item commodorum omnis eſt in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur: noſtri ſunt amnes, noſtri lacus: nos fruges ſerimus, nos arbores, nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus: nos flumina arcemus, dirigimus, auertimus: noſtris denique manibus in rerum

r 2. De natura deorum.

naturā quaſi alteram naturam efficere conantur. Præterea manuum officia tam multa ſunt, tam nobis neceſſaria: vt non ſolum apprehendendo: quam illarum propriam eſſe functionem ſcripſit Galenus: *f* ſed non rarò etiam aliarum partium vicem præſtando, vtiliſſimas omnium illas eſſe conſpicimus. Nonnullos ſcio, qui pedum fulcimento deſtituti, manibus tamen ita commodè vtebantur, vt & ſcalas, & equum aſcendere, per vrbem repere, ac multa talia perficere manuum munera non omnino incommodè valebant. Cœcos videas manuum dumtaxat exploratu multa cernentium officia ſæpiſſimè exercere: nam & nos etiam in tenebris, cum nullus eſt oculorum vſus, manibus tamen fidis, ac ſolis vtimur ductoribus. Quam commodè præterea linguæ partes exerceant manus, cuiuis in mutis hominibus intueri licet: vix enim quidpiam eſt, quod lingua ſermoneq; exprimi ſolet; quin varia manuum geſticulatione ſignificare abundè poſſint. Ac nihil vnquam animo meditamur, nihil cogitatione comprehendimus, quod ipſæ manus certis quibuſdam motionum indicijs, quaſi præcipuè animi miniſtræ non identidem imitentur, atq; exprimant. Veriſſimè etiam Quintilianus, *m* cum cæteræ, inquit, partes loquentem adiuuent: manus propè ipſæ loquuntur: ac in tanta per omnes gentes nationeſq; linguæ diuerſitates, communis omnium hominum ſermo videtur eſſe manus. Cùm igitur & proprijs functionibus exercendis, & cæteris quoque alijs tam plurimum præſtet manus: meritò etiam cunctis alijs in hoc genere præſtabunt. Et quamquam Ariſtoteles *t* cernendi vſum cæteris aliquando anteponit: ille tamen de rerum notionibus comparandis eo diſputat loci: aliter quidem dicturus, ſi de externis exercendis operibus, politicoq; viuendi genere dicere inſtituiſſet. Et reuera oculi (vt hoc vno diſcrimine manuum præſtantia amplius innoteſcat) iuuant quidem in agendo plurimum: at vix aliquid agunt ipſi. Sed manus omnia iuuant, omnia agunt, omnia perficiunt: nihilq; eſt, quod præſtare non poſſint: ſiuè adiutrices illas, ſiuè artifices velis. Iuris autem periti, quorum ſententijs hæc noſtra aptare ſemper volumus: ipſam manum non ſolum corporis membrum: ſed etiam per excellentiam quandam membrum appellant. Nam cum *u* ſtatuitur, vt membrum alicui ad ſupplicium amputetur: nec tamen apertius iudicis explicatur

f 12. *De vſu part.* 5.

m 11. *Inſtit. orat. cap.* 3.

t 1. *Metaph. cap.* 1.

u *Ang. de mal. ef. verſ. mem brū prædictū.*

catur ſententia, de manu omnino id eſſe intelligendum putant: vſqueadeò inter hominis partes illa excellit. Satis igitur demonſtratum puto, primam agendi neceſſitatem, dignitatemq; inter corporis partes, manibus eſſe tributam: vt iure etiam omnium grauiſſimum illud habendum ſit detrimentum, quod ab illarum offenſis accipere ſolemus: ac tum etiam maximè, cum ambarum vſu quiſpiam eſt deſtitutus. Sed cum hæc ita ſint conſtituta, ignorandum etiam non eſt, quoniam manus nuncupatione apud præcipuos authores *x* totum illud *x de inæqual. intemp. 2.* vſurpari ſolet, quod ab humero infrà cernitur; & cuius tres ſunt partes; brachium, cubitum, & ſumma manus: nos modò vltimam hanc particulam pro manu præſertim intelligimus: atque ante alia ipſos etiam digitos. Quocirca ſi ipſi tantum digiti reſecantur, nihilo tamen minus vniuerſam manum deſiderari affirmo: etenim præcipua manus actio, vt vere ſcripſit Galenus, *a* in digitis planè locata eſt. Sed horum etiam *a 3. De vſu part. 18.* ipſorum non exiguum diſcrimen eſt, atq; in agendo præſtantia, & cuius notitia in referendo plurimum iuuat. Ergo adducam huc Galeni locum: in quo abundè ſatis de hoc argumento diſſeruit. Magnus digitus, inquit *b* ille, quatuor reliquis ſi- *b 1. De vſu part. 22. 23.* mul oppoſitis vtilitatem æquiualentem præſtat: ideoq; pro manum vocatum fuiſſe arbitror: quia vnus hic pro tota manu eſſet. Aequè enim actiones manus ſibi ipſis perditam viderentur, ſiuè ipſi quatuor abſcindantur: ſiuè hic ſolus. Si verò & ipſa dimidia pars magni digiti ſi quoque corrumpatur modo, ipſa manus in actionibus incommoditatem, & turpitudinem habet, æqualem ſimili noxæ omnium aliorum digitorum. Reliquorum verò index, & medius, vt ordine ſunt poſt magnum ſecundi: ita vtilitate. Paruorum enim corporum omnium apprehenſio, & omnia propè artium opera, & ſi quid violentum agere oportet, his omnibus agere videntur. Ille verò qui medio ſuccedit, atque etiam paruus minorem quidem habent vtilitatem: ſed ea tamen manifeſto in his apparet, in quibus apprehenſibile circulo apprehendi oportet. Quamobrem cuius digiti maior cenſenda iactura ſit, hinc facilè conſtat, à pollice ſcilicet principio deducto: cuius cum potiſſima dignitas ſit, minor in reliquis conſpicitur; ordine ad minimum vſque progreſſo.

Oculorum, pedum, ac linguæ functiones, quo dignitatis loco conſtituantur: & quæ ratio ſit particularis læſionis: item quis læſionis modus magis homini incommodet.

OCulorum verò iacturam, ſi manus excipias, cæteris omnibus grauiorem puto. Nec eſt modo, cur oculorum excellentiam, ſummamq; dignitatem pluribus narrem: nam ſi miram partium conſtructionem, atq; artificium, ac naturam inſpicias: longè etiam manibus digniores oculi vbique videntur. Sed quia ciuilia negotia rerumq; opificia in præſentia contemplamur: quæ melius à manibus perfici demonſtratum eſt: ideò ſecundo dignitatis loco illos locauimus. Proximum eſt pedum functionis detrimentum: quos fulciendi, ſtabiliendique, ac firmandi corporis gratia factos eſſe prodidit Galenus: c ſed neſcio quid etiam aptitudinis ad apprehendendum præſeferre illi videntur. Nonnullis enim ita comparatos pedes, atque edoctos fuiſſe ſcio: vt in quibuſdam actionibus nihilo eſſe manibus inferiores diceres. Et reuera ſi tantum ſtabilimenti gratia efformati ſunt pedes: cur multifidi? cur articulis etiam diſtincti? Ergo veriſſimè dictum eſt à Galeno, d humanum pedem, quòad eius maximè fieri poteſt, manum fuiſſe imitatum. Quocirca cum apprehenſorium organum ſit manus: fuerit & pes ipſe aliquo modo huiuſmodi. Linguæ autem vium poſt hæc diſpono: nam ſine ſermone, ſi cætera integer homo ſit, haud ita incommodè illum in ciuitate acturum puto. Neque enim admodum difficilè fuerit, ſenſa animi noſtri, & ſcriptis, & notis alijs compluribus vtcunque prodere ſi lingua caremus. Sed hactenus de integra functionis deperditione dictum ſit: nec diſpar etiam ratio fuerit, ſi particulæ vſus non prorſus, ſed ex dimidio pereat: nam quemadmodum functio ambarum manuum nobilior multo eſt: quàm quæ vtriuſque eſt pedis: ita æquum etiam fuerit, vnius manus iacturam, deteriorem eſſe, quàm pedis vnius. Ac ſimiliter etiam de cæteris inſtrumentis ſtatuendum puto: quorum ſcilicet actio dimidia tantum ex parte ablata ſit. Quamquam eſt, cur aliquando paulò aliter referas: nam ſi cui oculi vnius actio depereat: minus hoc eſt detrimentum, quam ſi pes alter

c 3. De vſu part. 5. 6.

d 3. De vſu part. 5.

ter

ter ſua functione priuetur: nam ſi alter ſuperſtes ſit oculus; ferè integrè cernere poteſt homo; non ſic autem integrè incedet vnius tantum pedis fultus adminiculo. Ergo ſi pes alter abſciſſus ſit, maior corpori emerget iactura, quàm ſi alterius oculi actio depereat. Sed quoniam non ſemper integrè læſarum particularum actio aboletur: ſed interdum [e] imminuitur dumtaxat: ſæpè etiam alieno modo, peruerſeq; exercetur: notandum propterea omnium grauiſſimam illam offenſam eſſe, quæ actionem penitus ſuſtulit: vt cum ita crus ſit vulneratum, vt ambulare nullo modo poſſit: proximam verò eſſe, vbi actio ipſa deprauatè exercetur: atque aliter, quàm pro naturæ inſtituto ſolet: vt ſi crus ex vulnere ita afficiatur, vt ambulare quidem, at nonniſi diſtortè poſſit. Poſtremam verò actionis læſionem eſſe, cum ea tantum imminuitur: vt ſi recta quidem exerceatur ambulatio: ſed exiguo tamen robore, ac planè debilis. Secundam verò offenſam tertia grauiorem eſſe cenſuimus: nam & illa etiam imbecillam quodammodo reddit particulam: ac propterea quoque in agendo deformem. Atq; hæc de quarundam partium præſtantia: quantum ſcilicet medico relaturo conuenire videtur.

[e] De differ. ſympt. 3.

De mutilatione. *Cap. VII.*

Scribendi occaſio.

HAVD parua difficultas quibuſdam Medicis interdum offertur, ſi quando ad indices de mutilis eſt referendum: ſcio enim multos eſſe, qui cum ſcientiarum titulis ſi venditent, quid tamen ipſa ſit mutilatio planè ignorant: quamobrem quam multa inaniter effutiant, non eſt, quod pluribus dicam. Vtiliſſimum ergo eſſe arbitror, de hoc argumento paucis ex profeſſo agere: ac ſi qua obſcuritas hactenus literarũ ſtudioſis offuſa eſt, eam clariſſima doctrinorũ luce pro viribus depellere.

De mutilis varia authorum ſententia.

MVtilum, ſeu mutilatum, curtum, decurtatumuè, ac deſciſſum, vel etiam truncatum: ſiuè, vt apud Græcos colobon:

lobon: ſynonimæ ſunt voces, nam in eandem ſignificationem omnes conſentiunt. Res ipſa autem quæ ſit, haud ſatis apud
a 5. Metaph. cap. 27. omnes conſtat. Ariſtoteles a (vt iam à principe philoſopho exordiamur) cum multa de hac materia iam diſſeruerit; mutila, inquit, ſunt non cuiuſcumque particulæ priuatione: nam ſi carnem, aut ſplenem tollas, non propterea mutilus remanebit: ſed ſi extremitatem: atque hanc non omnem: ſed quæ tota ablata generationem non habet. Vt iam videas Ariſtotelem, mutili naturam in extremarum partium defectu con-
b De differ. morb. cap. 8. ſtituiſſe: ſiquidem reparari illæ denuo non poſſint. Galenus b verò, id eſſe mutilum ſcripſit, cui pars aliqua corporis eſt præciſa: aitq; mutilationes eſſe labiorum, aurium, narium, & quæcunque partes carnulentæ vel vi auulſæ, aut putrefactæ ex toto reſectæ ſunt. Mutilatam etiam vocat linguam, cui dimidia pars fuerit adempta: & mutilum vocauit omentum,
c 14. Meth. cap. 16. obſcenaſq; particulas. Idem c etiam, curta, inquit, quæ colobomata Græci vocant, ſunt, quæ in labijs, aut narium alis, aut aure deficiunt. Quamobrem ſi ſequi Galenum velis, mutilum dices, cuicunq; pars aliqua corporis diſſecta eſt: ſed præſertim tres illæ, quæ in facie eminent: nam & Cornelius Cel-
d Lib. 7. c. 9. ſus, d curta, inquit, ſunt in auribus, labijs, & naribus, ac ſi qua
e Colum. lib. 7. cap. 9. parua paria ſunt. Neque aliter video apud authores e Latinæ linguæ mutilum arietem, ac capras dici, quæ ſine cornibus ſunt. Nec in eleganter à quibuſdam dictum eſt: fœminam veluti mutilum marem à natura eſſe productam. Atque hæc ex varijs, ac præcipuis authoribus ſelegimus: in quibus tamen quia nihil adhuc certi ſtatui poteſt; quid de vera mutilatione ſentiendum ſit: ideò ita rem omnem ſtatuendum puto.

De triplici mutilationum differentia: ac de mancis: & quod non ipſa abſciſſa particula, ſed quæ remanet, mutila dicenda ſit.

Mihi igitur ſuper hoc multum, diuq; cogitanti, triplex omnino mutilatio eſſe videtur: quarum prima vera, & exquiſita, lucidioris doctrinæ cauſa nunc dicetur: ſecunda vera quidem: non tamen exquiſita: tertia verò impropria nuncupabitur. Vera autem, & exquiſita tribus his conditionibus donata eſt: nimirum, vt abſciſſa ſit extrema aliqua fa-

cici

ciei particula: vt deformitas inde reſultet: tertia denique, vt
actio abſciſſæ particulæ vtcunq; offendatpr: Huiuſmodi eſt,
ſi chartilaginea naſi pars reſecetur: item ſi labia, aut aures
quoque: quibus etiam ſuperiorem palpebram addit Conci-
liator. *f* In his enim, niſi exigua admodum fuerit ſubſtantiæ *f Diff. 37.*
iactura primi generis mutilatio iure verſatur; nam abſciſſum
eſt aliquid extremum: multa inducta eſt deformitas; quippe
in facie: & actionibus etiam nonnulla acceſſit læſio. Cur au-
tem hanc præſertim veram, & exquiſitam mutilationem nun-
cupauerim, facilis eſt reſponſio: nam cùm in mutilatione pul-
chritudo ante alia offendi debeat: vt optimè monſtrat Con-
ciliator, claraq; extant allata authorum loca: ſine dubio quæ
in facie accepta eſt; omnium potiſſima fuerit: quippe quæ
omnium pulcherrimam partem deturpauit. De hoc Galenus
in libro de morborum differentijs, & in methodo etiam lo-
cutus eſt: de hac Cornelius Celſus: itemq; Paulus *g* Aegineta. *g Lib. 6. ca. 1. 8.*
Et denique illud obſeruo, cum preſsè ſeuereq; authores de
mutilo loquuntur, in his dumtaxat particulis illud collocaſſe.
Verùm cum tria in iſta mutilatione requirantur: omnium ta-
men maximè neceſſaria eſt pulchritudinis læſio: quemadmo-
dum in ſecunda actionis offenſio. Si igitur auris pars aliqua,
aut naſi etiam cuſpis abſciſſa ſit: vt minima inde in olfacien-
dœ, audiendoq; noxa percepta ſit: quia tamen manifeſta re-
ſultat deformitas: exquiſita tamen, ac potiſſima fuerit muti-
latio. Cæterum vera non tamen exquiſita mutilatio illa eſt,
quæ non quidem in facie: ſed in extremis reliqui corporis par-
ticulis accepta eſt: nimirum in manibus, pedibus, lingua, ſcro-
to, pene, atq; etiam mammis. Dicitur autem non exquiſita,
quia certas illas faciei particulas: in quibus propter decus, ac
leporem exquiſita conſiſtit, minimè attingit: idq; habet po-
tius, vt aliquo pacto actiones offendat: penes quas aut grauis,
aut leuis iſta eſſe dicetur mutilatio. Tertia autem impropria,
ideò dicta eſt, quia nullam extremarum partium abſcidit: quę
quidem cõmuniſſima eſt ratio mutilationis veræ: tùm etiam
quia nullam affert deformitatem: imò aliquando nec actio-
nes offendit: ſed ſatis hoc habet, vt pars aliqua vtcunque ab-
ſciſſa ſit: quo modo Galenus *h* mutilum vocauit omentum. *h De differ. morb. 8.*
Quamobrem non poſſum interea celebres quoſdam medicos
non admirari: qui in mutilis officij tantum ceſſationem, pri-

uatio-

uationemq́ue, tametſi nulla deſit particula, requirunt: hoc enim quantum à philoſophorum, ac medicorum placitis diſſentiat: à quibus nimirum hoc iudicij genus petendum eſt, non obſcurè ex ijs, quæ modo retulimus, quiuis intelligat. Quòd ſi etiam Latinæ vocis ſignificationem, ac vim conſideres, idipſum nihilominus facilè comperies. Et Galenus *i* mutilatos, ac decurtatos pulſus illos vocauit, quibus de priore magnitudine aliquid deeſt. Ergo cùm hæc ita ſint: ſciendum eſt, non quamcunque ſubſtantiæ iacturam mutilum conſtituere: nam ſi quis à proximo ortu, aut ſine manu prodierit, aut aure, aut parte aliqua ſimiliter fuerit deſtitutus: non mutilum illum: ſed mancum propriè nuncupabo. Quòd ſi nulla pars deſit: inutile tamen ad actiones membrum reddatur: debile illud, aut imbecillum, infirmumuè planè dicam. Præterea mutilam particulam nuncupare ſolet Galenus, *l* (& hoc in eorum gratiam, qui accuratius de rebus iudicare, ac dicere ſtudent) non quæ iam eſt abſciſſa: ſed quæ iam ſupereſt imperfecta. Nemo, inquit, ambigit, quod eius, quæ ſupereſt partis, eſt ægritudo: non eius, quæ amplius non eſt. Ergo ſi linguæ dimidia pars abſcinditur, parti, quæ ſuperfuerit, ea mutilatio erit ægritudo: idem in obſcenis, in omento, atque omnibus particulis ita affectis eueniret. Atque his etiam partibus hoc pacto mutilatis, erit quidem aliqua magnitudinis diminutio: ipſum verò animal non adeò neceſſariò diminuetur, vt mutilum eſſe dicatur. Ex quibus hoc etiam colligo: quod ſi pars aliqua corporis deſciſſa ſit: nempe digitus, manum ipſam mutilam dici debere: non digitum: at ſi fiat, vt tota extrema manus ſit amputata: tunc in mutilati membri nuncupatione nullum eſſe locum: nam manus, quæ verè membrum eſt: quoniam deſideratur, mutila eſſe non poteſt: at ne brachium quidem: quippe cui nulla propria functio per ſe competat: ſed manuum tantùm functionibus vſui eſt. Ergo abſciſſa tantum eſſe manus dicetur: nequaquam mutila.

i 1. *Diff. pulſ.* 11.

l 1. *De morb. cauſ.* 8.

Quòd ſi aliter dici poſſe contendas, nihil repugno: nam de nomine tantùm diſceptatio eſt: & quæ exiguo impendio præteriri poteſt. Sed hæc pauca de mutilis.

De

De membri appellatione. Cap. VIII.

Scribendi occaſio: & de membri ſignificatione diuerſa Medicorum loca.

SAEPE etiam iudices de membri appellatione conſulere nos ſolent: ſiuè de mutilis: ſiuè de imbecillis, aut aliter læſis particulis agendem ſit. Proinde ne hoc in loco nos errare contingat: aut ea à nobis referantur, quæ Iuriſperiti minimè admittant; præſtat de hac re etiam ſeorſum agere. Porrò membrum, ſi medicos [a] conſulas, ſæpè pro quauis parte corporis nullo diſcrimine vſurpatur: nam & caro ipſa, neruuſq;, & vena cæteræq; partes, quas recepto nomine ſimilares appellamus, membri appellatione continentur. Verùm alienum fuerit, ſi iudex nos de membri nuncupatione percontatur: mutilum tunc, aut aliter læſum membrum fuiſſe reſpondere, cum fruſtum carnis abſciſſum, cæſumq; dumtaxat fuerit. Reuera enim Iureconſulti compoſitas tantum corporis partes intelligunt, quandocunq; de membris interrogant. In quare Ariſtotelem ſequi videntur: qui primo libro [b] de hiſtoria animalium, compoſitas partes: & quæ, cum ipſæ totius integritate deſcribantur, habent tamen intra ſe patres diuerſas, ac ſui generis opificia, membra vocat dumtaxat, vt caput, & pes, & manus. Galenus [c] verò hoc ipſum, quod Ariſtoteles membrum, particulam appellauit: nam quæcunque, inquit, corpora nec vndequaque circumſcriptionem habent propriam, nec vndequaque coniuncta ſunt alijs, hæc particulæ vocantur. At qui de his quoq; membris, ſiuè particulis, quas inſtrumenta propiore appellatione nuncupamus, non eadem vbiq; apud Medicos expoſita inuenies. Nam videas aliquando illam particulam inſtrumentum dici, [d] quæcunq; ex ſimularibus partibus quouis modo conſtituta eſt: atque hac ratione muſculum venam, item & digitum inſtrumenta appellauit Galenus. Præterea ea pars inſtrumentum ab eodem dicitur, quæ potiſſima eſt alicuius actionis cauſa. Sic primum viſionis inſtrumentum cryſtallinum humorem dixit Galenus. [e] Verùm de his inſtrumentis in membri appellatione nullam apud Iuriſ-

[a] 1. p. doc. 5. cap. 5.

[b] Cap. 1.

[c] 1. De vſu part. 1.

[d] De differ. morb. 5.

[e] 1. Meth. cap. 6.

Iuriſperitos rationem habitam eſſe video. Ergo, ne te pluribus morer, illam animalis particulam (de externis loquor) quantum ad præſens inſtitutum pertinet, inſtrumentum eſſe, ac verè membrum nunc puta, quæ perfectam edere actionem poſſit. Sic enim primo libro *f* methodi clariſſimè deſcripſit Galenus. Atque ità oculus propriè dicetur animalis inſtrumentum, quoniam viſionis actionem ſolus atq; integrè edit: ſic linga: quoniam loquelæ opifex eſt: item & crura, quoniam itionem efficiunt: & manus, quibus apprehendere proprium eſt munus.

f Cap. 6.

Quæ vera ſit membri ſignificatio exactius oſtenditur.

SEd vt membri natura exquiſitius, ac magis ad Iuriſconſultorum placita intelligatur: ſciendũ eſt, actionem, quam etiam operationem vocare ſolet Galenus, *g* nihil aliud eſſe, *h* niſi motum illum, quem exercet particula, dum in agendo verſatur, atque operi incumbit. Sic manus dum ad apprehendendum mouetur, ille motus actio eſt: finis *i* autem actionis, in quo iam manus motio quieſcit, vſus dicitur, atque vtilitas: quamobrem vſus finis eſt corporis actionum. Proinde quæcunque particula huiuſmodi eſt, vt perfectam hanc actionem per ſe, nec alterius gratia in animali edere poteſt: illa verè membrum nuncupabitur. Tales præcipuè ſunt, oculus, lingua, manus, pes. Sed hoc etiam diligenter aduertendum: multas eſſe particulas, quæ in actionibus edendis authores eſſe videntur: nihilo tamen minus membra non erunt: nam famulitium potius, atq; adiumentum vero inſtrumento ad præcipuas actiones præſtant. Multæ, inquit Galenus, *l* in actionibus obeundis partes requiruntur: nam aliæ magnæ dicuntur, vt manus, pedes, oculi, lingua: quæ totius animalis actionum gratia factæ ſunt: aliæ verò minores: quæ ſcilicet dictis nunc particulis deſeruiunt: nam cum oculus ipſe ſit organum præcipuum: quaſdam tamen habet partes, per quas videt: quaſdam ſine quibus videre non poteſt: alias gratia videndi melius: alias ob conſeruationem. Ergo iſtæ omnes particulæ, quæ præcipuo inſtrumento famulantur, vera inſtrumenta non ſunt: ſed inſtrumenti tantum partes. Atque hæc omnia ſi tecum diligenter verſes, non fuerit difficilè deprehendere, quæ

g 6. De decr. cap. 1.
h 17. De vſu part. 1.
i 11. De vſu part. 13.
l 1. De vſu part. 8.

pars in noſtro corpore verè inſtrumentum ſit, ac membrum propterea apud Iuriſconſultos dicendum: quæuè ab hoc numero remouenda. Nam cum veriſſimè dictum ſit à Galeno, linguam eſſe inſtrumentum, quoniam loquelæ opifex eſt: nunquam ille tamen aut labia, aut dentes inſtrumenta ſimiliter appellauit: iſtæ enim particulæ ad melius agendum linguæ deſeruiunt: nullum ipſæ per ſe integram actionem præſtantes. Nam labia, inquit Ariſtoteles, *m* ad dentium tutelam præcipuè ſunt fabricata: ac nonnihil etiam ad vſum ſermonis proficiunt. Dentes verò ventriculi coctioni præſertim conferunt, dum cibum comminuunt, ac molunt. Item cum crura itionem per ſe exerceant: verè inſtrumentum appellantur: pedes tamen, ac digiti, quia adiuuāt tantum actionem iſtam, particulæ cruribus famulantes fuerint. Sic etiam cum manus veriſſimum ſint apprehendendi inſtumentum: digiti partes dumtaxat eſſe cenſentur. Quamobrem abſciſſo digito, nullum ego membrum amputatum affirmabo: non enim aufertur inde manus functio: ſed tantum imminuitur: eadem etiam ratione nec aures, nec naſum membra nuncupauerim: non enim *n* aures ſunt inſtrumentum audiendi: ſed ille potius meatus finis, vbi neruo dilatato iungitur: nam cætera, quæ extra hunc in anfractus meatu ſunt, iuuant tantum audiendi inſtrumentum. Naſus præterea nec ipſe eſt olfactus inſtrumentum, nec adeò membrum: nam odoris ſenſus, vt ipſe etiam monſtrauit Galenus, *o* in anterioribus cerebri ventriculis cōtinetur. Etenim chartilaginea naſi pars, oſq; ipſum, aut etiam interior oris tunica, hoc tantum præſtant animali, vt melius odores percipiantur. Ergo ſi dentes, aut labia, aut aures, aut naſum reſcindas, nequaquam membrum abſtuliſſe te dicam: nam vt iſtæ deſint particulæ: nulla tamē propterea actione animal priuabitur. Mammæ autem mulierum, perſpicuum eſt, quod lactis perficiundi inſtrumentum ſunt: quocirca iure etiam membra appellabuntur: vt etiam & teſtes: qui non ſolum efficiendi ſeminis opifices *p* ſunt: ſed etiam propriæ cuiuſdam facultatis, quæ marem à fœmina diſtinguat, originem præſtant. Non ita autem penem inſtrumentum, ac membrum dicam: nam ſeminis eiaculatio, ac venerea erectio, primaria, atque abſoluta actio non eſt: ſed quæ tantum conceptioni famuletur. Quamquam ſi huius operis neceſſi-

m 2. *De part. anim.* 16.

n *De ſympt. cauſ.* 3.

o *de inſtrum. odorat.* 4.

p 1. *De ſem. cap.* 16.

ceſſitatem contemplemur: atque antiquam dicendi conſuetudinem, quæ abſolutè ſub membri appellatione hanc partem eſſe voluit, hactenus non aliene penem quoque inter membra locare poſſes.

Vtrum integrè quiſpiam à vulnere conualuerit. *Cap. VIIII.*

Scribendi occaſio.

EST & occaſio alia, in qua Medicorum ſententia frequenter exigitur: cum nimirum certiores fieri iudices volunt, num qui vulneratus iam fuerat, à vulnere conualuerit. Ad quæ quidem interrogata reſpondere, & ſi exigui artificij quibuſdam eſſe videtur: nec ob id etiam plurimum noſtra requiri diligentia. Eſt tamen aliquid, vt conſtabit, quod non quilibet ex medicorum vulgo norit: vt propterea operæpretium me facturum putem, ſi hoc quoque argumentum paucis de more abſoluem.

Duplicem ad iudices in hoc genere referendi rationem eſſe.

CVm à nobis iudices petunt: num ex vulnere conualuerit: duplex medico reſpondendi ratio proponitur: altera, ſi talis accepta propoſitio ſit: Vtrum ſcilicet optimè vulnus coaluerit: illiq; inducta ſit cicatrix. Altera verò, num tam integrè quiſpiam à vulnere degat, vt non ſolum ſolidatum illud ſit: ſed ne vlla quidem alia inde noxa ſuperſit: aut, ſi ſuperſit: perpetuanè illa ſit: ac ſemper permanſura: an talis potius, vt aliquando emendari poſſit, ac membrum ad naturalem habitum reuerti. Prima autem ratio vt facillima eſt, (quis enim neſciat, an ipſum vulnus ſanatum ſit, ac cute obtectum?) ita etiam ſuſpecta eſſe ſolet, ac fallaciam habet: nam etſi iudices de vulnere aliquãdo ruditer à nobis ſciſcitantur, ac petunt. Reuera tamẽ illorum mens eſt, vt de cæteris etiam læſionibus, quæ ſupereſſe ex vulnere conſueuerunt, mentio à Medicis fiat. Ergo ingenui artificis eſt, liberè omnia, ac ſine fuco proferre. nihil ſubdolè, nihil tectè loqui: nam vt nihil

tale

tale perquirant iudices: noſtra tamen fides, atque integritas poſcit, vt ſingula planè doceamus: quæ ſcilicet noſtra interſit referre.

Num læſio ex vulnere remanſura ſit, ac perpetuò duratura.

VTrum ſolidato vulnere integra ſanitas ſecutura ſit, his, qui in artis operibus diligenter verſantur, haud difficilè fuerit deprehendere: nam ſi nec viſcera vulnus attigerit: nec neruoſas omnino læſerit partes, aut nimiam hæmorrhagiam excitarit ferè ſemper à vulneribus benè ſperandum eſt. Quod ſi læſæ alicuius functionis ſuſpicio ſit, hoc vno propoſito vulneratæ partis exemplo, quod te facilè ad cætera deducat, ita iudicabis. Articulorum vulnera partium motiones, extenſionem ſcilicet, contractionemq́;, & cæteras alias vtplurimum impedire ſolent: tum quia tendines, ac capita muſculorum, neruiq́;, ac ligamenta reſcinduntur: tum quia magnæ etiam fluxiones concitantur: quæ talem duritiem contrahant, vt libero motui manifeſto impedimento ſit. Exanguis enim pars eſt articulus, ac frigida: in eaq; ab ipſa natura viſcoſus *q* quidam humor eſt circumfuſus: qui ex eius alimento remanens, promptiorem loci motionem facit: vt iam facilè ſit, confluentes illuc humores concreſcere, ac durari, vt ægrè deinde diſſolui poſſint. Cæterum ſi certum ſit, neruos, aut muſculos eſſe reſciſſos, vix vlla ſperanda eſt læſæ functionis reſtauratio. Hoc enim nos alio capite ex Galeni ſententia abundè demonſtrauimus. Quamquam ibi etiam oſtendimus, fieri plerumque, vt non ſolum muſculorum reſciſſæ fibræ ad habitum redeant naturalem: ſed ipſi etiam nerui: vt quæ functio planè eſſe peritura videatur, iam remanere integra poſſit. Si verò ex compacta tantum fluxione, contractaq; duritie motionem eſſe impeditam proſpexeris: ſolet particula, modo idoneis medicamentis des operam, ad naturalem ſtatum redire. Quocirca licebit tunc quidem, impeditam ſuo motu eſſe particulam profiteri: ſed quidquid id eſt noxæ, aliquo tantum tempore duraturum: diſcuſſis nimirum, diſſolutiſq; illis ſuccis, vnde durities effecta eſt: quos etiam non tantum mollientia medicamenta: ſed ſola ipſa interdum natura ſuperare aſ-

q 13. *De vſu part.* 8.

Aa 2 ſueuit:

ſueuit: in pueris præſertim, & qui bono, incu'patoq; habitu ſunt. Hæc ergo, quæ hactenus adduximus, ſi tecum ipſe diligenter verſab.s, haud difficulter de cæteris referes, quę in brachijs, manibus, cruribus, pedibuſque, ac cæteris articulis eueniunt nocumenta: ac de his denique omnibus, in quibus voluntarij motus noxa aliqua metuenda eſt. At verò ſi cerebro vulnerato referenda tibi ſententia eſt: ſiquidem ſenſus aliquis externus læſus eſſe videatur, (ſæpè enim cæci, ſurdique, nonnunquam & muti ab id genus vulneribus euadunt) aut ex principibus etiam functionibus quæpiam offendatur: cui etiam iniuriæ facilè obiecta memoria eſt: nam ex Plinio, r nihil æquè in homine fragile eſt: nec raro etiam ſtupor quidam mentis inde emergit: ſciendum eſt, hæc omnia mala perpetuò, atque ad mortem vſque eſſe duratura. Cerebrum enim tum quia princeps eſt inſtrumentum: tum quia exangue: ſiuè propria temperies, ſeu naturalis confirmatio ex vulnere offendatur, vix vllam ſanationem admittit. Cùm enim ipſum ſit animalis facultatis principium, atque origo: ægrè aliunde, niſi à ſeipſo ſuppetias expectat. Præterea nonnullos ſcio ita grauiter capite percuſſos fuiſſe: vt cum membranæ, ipſaque etiam cerebri ſubſtantia à vulnere, ipſoq; ambiente fuiſſet offenſa: ſuperſtites quidem euaſerunt: ſed ita tamen, vt poſteà leuibus etiam occaſionibus, ab externis iniurijs promptiſſimè offenderentur. Proinde ſi effracta caluaria, ac notabilis membranæ portio detecta, ac malè habita ſit: fieri vix poteſt, quin imbecillum, atque inualidum inde reddatur cerebrum: vt iam nec ſoliti labores, vitæq; munia exerceri commodè poſſint: cum ſcilicet intentio aliqua in agendo requiritur: aut ab aere nocumentum timeri poſſit: quale in plenilunijs, humidiſſimo nimirum cœlo, frequenter ab his perſentiri ſolet. Quapropter ſi vtcunque læſo cerebro, aut ſenſuum, aut principum functionum læſio aliqua ſequatur: reparari vix vnquam ſolet: ac plurimum hominem ad interitum vſque comitatur. De oculis verò vulneratis varias eſſe video medicorum ſententias. Putat Galenus, ſ cum aliquid aquoſi humoris foras effunditur, in ſummum cœcitatis diſcrimen hominem adduci: magna enim ex parte eos occœcari: qui in parte corneæ, quæ pupillæ prætenditur, vulnus acceperunt: ſi id introrſum deſcenderit. Contra verò multi t alij, qui notabilium rerum

r Lib. 7. c. 25.

ſ 1. De ſymp. cauſ. 2.

t Marc. Donat. lib. 5. c. 5.

rum hiſtorias collegerunt, non paucos obſeruauerunt; quos vulneratis oculis, humoreq; haud medio criter effuſo, integros tamen, & benè cernentes medica reddidit diligentia. Et Antonius *u* Beniuenius, non ſolùm puellæ cui perforata oculi tunica, plurimus inde fluxit humor, amiſſam viſionem reuocauit: ſed tanta, inquit, vis eſt tenellæ ætatis, vt hunc ipſum oculi humorem, quod ſæpè accidit, in integrum reficere poſſit. Atque ipſe etiam Galenus, *x* reſtauratam oculi valetudinem in puero ſe vidiſſe affirmat: qui ſtylo in pupillæ loco fuerat compunctus, vnde aquoſus humor effluxerat, ac pupilla minor reddita, & cornea rugoſior facta fuerat. Quod facit, vt veriſſimam eſſe putem Realdi *a* ſententiam, qui aqueum humorem inſtar excrementi eſſe affirmauit: ac bis ſe vidiſſe, totum prorſus effuſum in vulnere tamen ſpatio temporis renatum, ac viſionem reſtitutam fuiſſe. Ergo ſi quando huiuſmodi referendi occaſio ſeſe obtulerit: diligenter ætatem, ac temperamentum conſiderabis: ac ſi puerum, boniq; habitus oſtenderis, dices oculo percurato, aliquo temporis ſpatio viſum reparari poſſe: ſin verò difficilè hoc opus fore: aut etiam impoſſibile. Atque hæc, arbitror, ſuffectura ſunt medico, qui relicta vulnerum nocumenta, an ſint duratura, & quanto tempore ex arte eſt cogniturus.

u de mirabil. rerum cauſ. cap. 14.

x Vt ſuprà.

a Lib. 10. de re anatom. cap. 1.

Qua ratione tueri Medicum, aut culpare iuſtè liceat: ſiquidem erroris, aut criminis ſuſpitione in iudicium vocetur. Cap. X.

Scribendi occaſio.

NONNVLLI tam alieni ingenij ſunt peruerſiq; iudicij, qui ſi quando ægrotantium res, ac medicorum opera ex animi ſententia minimè cedat, culpam omnē in medicos referant: ipſoſq; propterea multis calumnijs exagitēt: audeantq; etiam in iudicium vocare: quaſi impertiendæ valetudinis debito continuò medici teneantur. Magna igitur, atque immerita illis medicis iniuria fit, quorum honeſtam, quamquam non ita fœlicem operam falſo alij incuſant, ac damnant: vt iuſtiſ-

iuſtiſſimo etiam digni ſint patrocinio, ſi quando huiuſmodi cauſa coram iudice agitatur. Contra autem ſæuiſſimè illos medicos plectendos puto, quorum tanta temeritas eſt, vt longè ab omni fide officioq; medicinam exercentes, nulla iuris, honeſtiq; reuerentia ſeruata, noxia quædam, atque exitioſa remedia impiè adhibent: quibus & necem languentibus, & grauiſſima damna moliuntur, ac parant. Nec impunè etiam dimittendos illos puto, qui ſine methodo, atq; artificio agentes, inconſultè medicinam faciunt: ac multa ægrotantibus detrimenta pariunt: vt ſatius fuerit, amotis illorum conſilijs, ſoli naturæ morborum expulſionem committere. Et licet Romæ aliquando cautum *a* fuerit, ne vnquam inuitus medicus in iudicium deduceretur: attamen recens tum erat depulſæ peſtis memoria: gratiq; numinis beneficium illis adhuc animo verſabatur. Reuera autem in republica optimè conſtituta, ſua quidem bonis ciuibus habenda eſt gratia: at crimina etiam punienda, vt iuſtitiæ æquilibrium vbique ſeruetur. Quapropter quoniam in his erroribus aduertendis aliorum medicorum ſententiæ adhiberi ſolent: quorum ſcilicet integra ſatis, ac ſpectata eſt authoritas, artiſq; præſtantia: ideò nonnulla in medium afferenda ſunt mihi, quæ ſibi ante oculos conſtituens medicus, rectè iudicare poſſit, iurenè, an iniuria medici arguantur: itemq; an dolus, an inſcitia culpāda ſit.

a L. medicos, C. de profeſſor.

De phyſicorum erroribus iudicandis.

VT igitur rem omnem prudenter decernas: ſiquidem clinici in iudicium vocentur, (ita medicos vocant, qui dieteticam, ac pharmaceuticam medicinam exercent) propoſita iam ægrotantis hiſtoria, quæ vel negligentiam, vel dolum in medico ſuſpectum reddit: primo tibi diligenter verſanda ſunt animo, quæ remedia vſurpata: & quæ poſtea mala ſubſecuta ſunt. Quæ omnia ſi ita inter ſe cohærcant, ac veluti quadam ordinis dependentia coniuncta ſint, vt ab intempeſtiuo illorum remediorum vſu obiecta mala prodire & poſſint, & ſoleant: hoc tanquam fundamento, ac totius diſquiſitionis ſumpto principio, iam ad cætera paratius te conferes. Sin verò aliena inter ſe ſint, nec vlla communione, ordineq; conſtituta, nihil diutius laborandum eſt tibi: nec fruſtra in his

con-

conferendum eſt tempus, quæ nullo pacto conſtare inter ſe poſſunt. Ergo, ſi quis ſoluente hauſto medicamento, paulò pòſt intereat: atque ideò necis reus medicus fiat: tu quidem, cui iudicium demandatur, id diligenter aduertes: nimiane ſubſecuta purgatio ſit, (hypercatharſim vocant) an exigua, aut planè nulla: ſic enim intempeſtiuè datum eſſe medicamentum videri poteſt. Quod ſi mediocris proceſſit euacuatio, ſuſpectum eſſe medicamentum interea non poteſt: quantum ſcilicet ad purgantium naturam ſpectat. Sed hæc quamquam vera ſunt: haud tamen ad rem ſatis: nam ſolet optimè aliquando præſcribi medicamentum, quod *b* tamen ſine fruſtetur ſuo: ac præſertim ſi medicus laborantis naturam minimè aliàs expertus ſit: ideóq; vel plus iuſto vacuabit: vel nullo pacto: vt igitur iure medicum damnes: aut nimis validum fuiſſe medicamentum in nimia purgatione neceſſe eſt: aut nimis imbecillum in nulla. Quamquam vltimus hic error non tàm cauſa, quàm occaſio mortis eſſe videtur: plus enim peccat, qui rem noxiam admouet: quàm qui eandem non remouet: fortaſsè enim natura per ſe morbum depellat, ſi obicem non inueniat. Quod ſi præter nimiam purgationem, moleſtiſſima aliqua ſuperuenerint ſymptomata, qualia venenatæ interdum potiones parere ſolent: eſt, cur de hoc etiam diligentius conſideres. Sed de venenorum notis iuſtam alibi tractationem fecimus. Cæterum ſi quiſpiam ſecta vena, paulò pòſt aut intereat, aut deterrimè inde ſeſe habuiſſe ſentiat: ita tu iudicabis: nam ſi in magna imbecillitate, quæ exolutis ſit viribus, multum ſanguinis tuo iuſſu detractum ſit: ac ſtatim homo deficiat: ſine dubio in te iſta referenda eſt culpa: ſiq; etiam in magna plenitudine nihil tamen eduxeris, cum nulla interea res obſtiterit: atque inde magna reſultet offenſio: nihilo etiam minus aut ignorantia, aut dolus medici eſt inculpandus. Eſt etiam, cur ex vſu quorundam aliorum remediorum eadem oriatur ſuſpicio: ſiquidem valida ea ſint, ac vim naturæ poſſent inferre: vt ſi acre aliquod ænema nimius ſequatur alui fluor, aut moleſta inteſtinorum excoriatio: ſi calidum quodpiam, ac validæ actionis aſſumptum, aut ſingultum, aut cardialgiam, aut ſimile quidpiam attulerit. Itèm ſi ſomnifero hauſto medicamento magnus ſtupor, ac ſomnus profundiſſimus, ac denique extinctio ſequatur: eſt, cur de medici

b 2. *Acut. com.* 11.

dici

dici ignorantia, aut crimine ſuſpiceris. Exhibent temerarij quidam aborſum facientia pharmaca: à quibus quidem nonnullas interijſſe ſatis ſcio. Ergo in his hauſtis medicamentis ſine dubio vniuerſa poſita eſt culpa: nam quæcunque fœtum verè corrumpunt, venenoſa planè ſunt omnia: quæ verò vtcunque depellunt, vehementia ſunt, ac periculi plena. Sed nota, quæ de his aliquando ſcripſit Hippocrates: [c] Quæ pharmacum, inquit, corruptorium biberat, accidit labor, vomitus bilioſorum, multorum, pallidorum, & porraceorum, cum bibiſſet: conuulſio tenebat: linguam mandebat, cum ad quartam veniret: & ipſa lingua erat nigra: oculorum autem alba rubra: inſomnis, quarta die mortua eſt ad noctem. Vide igitur qui fœtum in vtero enecare audent, quam grauiter peccent, quàm acriter puniendi ſint: nam & matri quoq; interim exitium parant. Tanti igitur refert, abortiua remedia prægnantibus exhibere, vt vel ſola interdum illorum iuuamenti expectatio, atque inde enata ſpes immaturi partus, ſatis ad abortum ſit: in ijs ſcilicet, quæ in animi paſſionibus facilè, valdeq; permouentur. Puellam noui, florenti ætate: quæ, cùm de fœtu ante tempus abijciendo medicum conſuleret: hic, vt impium illius inſtitutum falleret, pia ſimulatione promittit, ſe daturum quidem, quod ſuam expectationem abundè expleret: verùm antidotum ex ijs miſcuit, quæ fœtui robur, ac firmitudinem adijcerent. Puella tamen dum illo hauſto, iam tum pariendi deſiderio vehementer incenſa eſſet, ac certò ſibi, quod falſo promittebatur, euenturum ſperans, tota in hanc curam incumbens, non multò pòſt elapſum eſſe fœtum ſenſit: ac, non ſine medici ignominia abortiuit: pharmacò quantumlibet aduerſante: nam vehemens illa abortus concepta imago, & medicamenti vim vicit, & medici operam eluſit. Sed, vt iam ad affectuum, ac remediorum conuenientiam reuertar: ſi longè alia aduerteris eſſe ſymptomata, & quæ aſſumpta medicamenta producere non ſoleant: quamquam malè inde res ceſſerit: non tamen medico culpa eſt tribuenda: ſed potius errores alij incuſandi. Sic ſi ſumpto cordiali electario, aut ex ijs aliquo, quæ facultatem roborandi vim habent: alui tamen fluxus ſucceſſerit, aut hæmorrhoides ſuperuenerint: aut ſi acri immiſſo clyſteri, ſopor malè habeat: quoniam nullus inter hæc ordo, nulla eſt colligatio: ideò

[c] 5. Epidem. tex. 5.

aliundè quærenda eſt mali euentus cauſa. Medicus d quidam cùm puellæ ſæuis torminibus, morbiſq; pituitoſis laboranti, ænema ex his perſcripſiſſet, quæ cruda, craſſaq; excrementa incidere, ac flatus diſſoluere conſueuerunt: illaq; mox ab accepto ænemate apopletica interijſſet: conſultus Amatus nullam in medico, qui in iudicium erat vocatus, culpam agnouit. Nam & ſi fortaſsè eius remedij occaſione attenuata pituitæ copia promptius cerebrum petere, ac exitium afferre pôtuerit: attamen diuina potius, quàm medica coniectura eſſe hæc debuit. Quamquam etiam ſine ænemate fortaſſis grauis illa apoplexia tamtum erat puellam enecatura. Præterea ſi leuia tantùm adhibita ſint morborum auxilia: ſiuè quid ore aſſumatur, ſiuè extrinſecus admotum ſit: ſuccedatq; vel mors, vel grauè aliquod nocumentum, quod præter expectationem eſſe videatur: nulla eſſe debet tam multa in remedijs ſuſpicio. Talia enim vt parum iuuare, ſi rectè vſurpes: ita parum quoque nocere, ſi minus rectè ſolent. Neq; me latet, nonnullos præſcriptis vocatis fonticulis: aut ſimilibus etiam nonnullis remedijs, quæ nonniſi longo tempore proficere conſueuerunt: aut in deterius degeneraſſe, aut mortuos etiam fuiſſe. In qua quidem re ſiuè cita mors eueniat, ſiuè multo poſt tempore, nullus error medici reprehendi poteſt: nam hæc auxiliorum genera imbecillos fortaſsè reddere: mortem tamen nonniſi aliorum morborum interuentu afferre nequaquam poſſunt. Quamquam, fateor, ſi fonticulus extra requiſitam ſedem, vbi nerui, tendineſq;, aut vulnere, aut conuocata fluxione aliter offendi poſſent, meritò, qui locum aperuit reprehendi poſſe: ſiquidem aut inflammatio, aut conuulſio, aut ſimilia quædam ſymptomata inde excitentur. Cum igitur in leuibus his, ac lentis remedijs inſcitia aliqua in medico deprehendi poſſit: exitij tamen in cauſa illum fuiſſe nequaquam probare licet. De his autem erroribus, qui in cibis intempeſtiuè exhibendis committuntur, nihil dico: nam ea perſuaſa eſt hominum opinio, vt putent in acutis morbis vix aliquem ex nimio alimento, poſſe vlla ratione periclitari ægrotantes: ac potius ſi quando medicos vident parco victu ægros continentes, vltro ortantur, vt vberius alant, ac nutrimentis indulgeant. Quamquam damnoſiſſimum ſit in hoc parte delinquere: poteſtq; medicus ſiuè ignorantia, ſiuè dolo ductus intempeſtiuo cibi vſu mortem aliquando, aut grauiſſimum damnum apportare: & præſertim ſi

d *Amat. Luſit. cent. 2. curatione 20.*

copioſiore, quàm par ſit, cibo ægrum exoneret: quales ſunt, qui in acutiſſima febre, ac doloroſis affectionibus carnem, viniq́ue potum libenter nullo diſcrimine præſcribunt. Hunc ergo errorem ſi quando ad iudices referendum ſit, nihilo minorem exiſtimabo: quàm qui expurgante medicamento, aut quouis alio malè adminiſtrato remedio committitur.

Chirurgorum errores quomodo in iudicio examinandi.

FRequentius in chirurgos iſta cadit querela, atque ſuſpicio: quippe qui nec animum philoſophicis ſtudijs excultum habeant: nec artis peritia plurimum præſtent. Illi enim incidendo ſecando, vrendoq́ue: atque omnino manuum opera exercendo, ægrotantes non rarò in maxima adducunt diſcrimina. In hoc hominum genus inuehitur aliquando Galenus: *e* aitq; ſex centa errata euenire, dum chirurgi iſti oſſa excidentes, atque abſceſſus ſecantes, inſignes perſecant venas, aut magnas arterias diuidunt: aut profluuium ſanguinis excitant, quod ſupprimi nequeat. Et quidam etiam, ait, venam ferientes, arteriam diuiſerunt: ignari quibus artuum venis arteria aliqua ſubſtrata ſit. De horum igitur erratis ſi quando ad iudices dicendum eſt, ita planè iudicabis. Si chirurgus abſceſſum ſcalpello aperiat, aut plagam amplificet ad promptiorem medelam, ſiquidem affectus locus iuxta articulos ſit, aut vbi tendines, neruiq; exiſtant: atq; ex iſta inciſione notabilis aliqua functionis oblæſio ſequatur: iam medentis eſt culpa. Præterea ſi in iiſdem locis ſecto tumore, in quo collectum pus eſſe credebatur: nihil tale tamen exierit: ſed vehemens inde dolor, ac ſæua omnia ſubſequantur: hic etiam medicus erroris eſt arguendus. Hæc enim plurima eſſe debet chirurgi diligentia, vt neruoſas omnes partes, atque vbi vaſa ſunt, non omnino exigua declinet: ac nonniſi tutiſſimo in loco ſectiones paret. Quod ſi contingat, vt inciſio hæc in carnoſa planè, nulliq; periculo expoſita fiat particula: nihilo tamen minus infœliciter res cedat: nulla medentis arguitur culpa: ſed magna potius corporis cacochimia, aut ſumma partis imbecillitas, aut alia nonnulla cauſanda fuerint. Aduertendum etiam chirurgo eſt: ne inter agendum magnas diſſecet venas, arteriaſuè: tunc eam ſi excitata hæmorrhagia deficiat ægrotus: aut conuocato aneuriſmate, inſanabile malum contrahatur: nemini dubium

e 3. *Anatom. admin ſt.* 1.

dubium eſt, hoc omne medici errore eueniſſe. Memorat Amatus, *f* chirurgos quoſdam adoleſcētis abſceſſum ſub ala ſecuiſſe: ac pro pure, quod exiturum ſperabant, ſpirituoſum ſanguinem cum ſtrepitu proſiluiſſe: nec multo poſt ægrotum expiraſſe. In qua re nihil dubito turpiter illos erraſſe chirurgos: nam quamquam abſceſſum illum rarò euenire ſolitum eſſe ſcripſerit Amatus: mihi tamen haud temerè verum illud anearisma fuiſſe videtur: cuius veram ille imaginem illic expreſſit. Proinde eius rei ignoratio nullam excuſationem demereri vnquam debet. Non indiſſimile etiam ſcelus inciderunt egregij quidam manuales medici: qui botium extirpare, aut incidere varices temerè aliquando aggrediuntur. Sæpè enim aut repente ſub eorum manibus expiraſſe nonnullos vidi; aut certè non multò pòſt tempore. Notum his enim eſt, qui partium conſtitutionem, ac ſitum norunt, botio iugulares arterias frequenter ſubeſſe: ac inter varices arterias etiam aliquas, neque illas exiguas complicari: vt promptum ſit, his vulneratis ſubitum ſequi animalis interitum: corpore nimirum ſpiritibus exhauſto. Quidam etiam ocularius medicus cum aliquando ſuffuſionem deponere, me vidente, aggrederetur: acu immiſſa dum illam trudere enititur, corneam imprudens dilacerauit: vnde humor egreſſus turbauit oculum, atq; omnem videndi facultatem ademit: iure optimo culpandus, puniendusq;. Non ſic autem ſi effuſio illuc iterum fuiſſet reuerſa, vnde dimota fuerat: nam hoc ſæpè ſine artificis errore contingit: ſed dilacerare tunicam: ac certam cœcitatem pro dubia valetudine inducere, nunquam hoc ſine errore committitur. Nam qui veſicæ lapidem extrahunt, quoniam lubricum illud eſt opus: nulli culpæ ſubiectos illos putabo, ſi moriatur ægrotus: ſed nec vlli reuera ſalutem illi polliceri certam ſolent: verum id tantum præſtare, quod artificis eſſe arbitrantur. Sed iuuat huc etiam Galeni orationem afferre: qui de ſimilibus quibuſdam chirurgorum erroribus plura libro tertio *g* de anatomicis adminiſtrationibus memoriæ prodidit. Cognoſcere, inquit, ad amuſſim conuenit, cum aliorum muſculorum omnium, tum eorum præcipuè, qui functionē mentione dignam obeunt: vt ſiuè telum, ſiuè ſpicula auferre diſſectione; vel præciſione alicuius oporteat, ab inſignibus vaſis, nerueiſq; abſtineamus: ſiuè putrefactam quampiam particulam: vel os ſideratione confectum præcidamus: noui enim quempiam ex iis, qui ſegniter

f Cent. 6. cu ra. 82.

g Cap. 9.

manu curant, qui cum prius aliquando in exteriori brachij regione magnam partem muſculi præcidiſſent, non tam inſignem membro noxam attulerunt: poſtea temerè ſcalpello in eam partem internæ circumſcriptionis muſculi prioris iniecto, vbi tertius neruus ingreditur: ſtultam, vt Hippocrates ait, exercens facilitatem, orbiculari linea, velociq; ſectionem ducens: non modo tertium neruum præcidit: ſed etiam duos ei præpoſitos: ad hæc arteriam, venamq;: nam in eo loco hæc omnia habentur. Quamobrem ille ſubito propter ſanguinis profluuium turbatus hoc ſolum attendit: finibus vaſis, quæ amputata erant, circumdatis. Paulò pòſt æger neque manum tantillum mouere potuit, neque tangentes in multis membri partibus ſentire. Sic itaque medicus vna ſectione totum membrum reddidit inutile. Sed hic tamen cantè pronunties velim: neque quamcunque ex diſſectione noxam relictam ſtatim medico imputabis. Narrat enim

b Vt ſuprà. Galenus, [b] eximios quoſdam medicos accuſatos fuiſſe, tanquam neruum incidiſſent: quoniam poſt ſectionem acceptam, ægri ſtupidum affectum per manus longitudinem ſtatim ſenſerunt: tempore verò inſecuto affectus ille, his, quibus vena fuit inciſa, permanſit. Quapropter ego, inquit, accuſatoribus proprietatem ſtructuræ corporis nonnunquam talem fieri indicans, medi-

i 16. De vſu part. 2. cos ab infamia liberaui. Sunt [i] enim quædam neruorum radices per ſumma extantium, cutiq; cohærentium, & qui illi ſenſum præbent: quæ in certis itineribus, nec ſemper iiſdem producuntur: vt iuſtè illum excuſatum dixeris, qui ex his aliquem cum cute inciderit. Atque hæc Galenus. Sed illud quoque ignorandum non eſt: plerumque in vulneribus capitis percurandis chirurgorum incuriam reprehendi: ſiquidem rupti oſſis, effractiq; manifeſta ſeſe exhibuerint indicia: nec vllum tamen effuſi ſanguinis emiſſarium fecerint. Sed hoc tantum, vbi aſſignari in capite locus queat, qui aperiri debeat: nam ſi hic ipſe incertus ſit: ac longè fortaſsè ab ea ſede excitetur fiſſura, vbi percuſſio eſt: (quod euenisse aliquando obſeruatum fuit) aut ſi os integrum quidem maneat: intus tamen ex ictu vena aliqua in cerebri

l Lib. 8. c. 4. membrana rupta, aliquid ſanguinis, vt Celſus [l] obſeruauit, emittit: magna hæc fuerit chirurgi excuſatio, ſi non aperiat. Eadem etiam eſt ratio: ſi iaculi læſio per ſuturæ aſperitatem fortaſsè latuerit: in hunc enim errorem quoniam magnus aliquando inci-

m In hiſtoria Autonomi. dit Hippocrates: vt ipſe de ſe narrat quinto [m] epidemiorum libro:

bro: ideò ferendi etiam ſunt alij: ſi qui vnquam eadem culpa conuincentur. Aperuiſſe autem caluariam, cum nihil neceſſe ſit: quamquam damnandus eſt in hoc miniſterio chirurgus: rem tamen haud valdè periculoſam eſſe puto: nec æquè, ac ſi non aperiat, cum opus ſit; nam hoc ipſum ægrotum perdit omninò: Illud verò diutius tantum vulneris ſanationem proferre ſolet. Et Celſus, [n] non magno, inquit, negotio cutis ſaneſcit, etiam ſi fruſtà diſſecta ſit. Sæpè etiam articuli laxationes aut non reponunt, cum eſt neceſſe: aut malè reponunt chirurgi: itaq; poſt aliquod tempus in ſitu alieno firmata particula manca redditur: eiuſq; propria læditur functio: tunc autem arguitur manifeſtus chirurgi error: nam quamquam emollito fortaſsè eo, qui inductus eſt callo, poſſit aliquando ad ſuum locum articulus reuerti: hoc tamen & multo negotio fit, & perpetua etiam remanere particulæ imbecillitas ſolet: quod etiam in oſſium fracturis frequentius vſuuenit: contractoq; poro, difficulter deinde reparari naturalis queat figura. Nec tantum manu intempeſtiuè, ac temerè vtentes errare poſſunt chirurgi: ſed nonnulla adhibendo etiam medicamenta: ſi nimirum aut in valido, & præcipiti malo leuiſſimum aliquod, & contemnendum remedium admouerint: aut ſi in exiguo validiſſimum: vt enim in illo vis mali nullo aduerſante recrudeſcit: ideoque vincit naturam: ita & in hoc etiam violens remedium leuiſſimam ægritudinem exacerbat, augetq;. Sic ſi gangrænæ, aut ſi quod aliud malum præcipitem habet naturam, anodinum aliquid quiſpiam admouiſſe contentus ſit: ac contra benignum, ac paruum æreſypelas acri, ac potentiſſimo linimento perfuderit: nemo eſt, qui illius medici imperitiam, aut ſcelus ſuſpicari non debeat. Sed & indeligando etiam, ineptoq; faſcium vſu plerumq; peccant chirurgi: quàm aut grauiter, ſat fuerit Galenum [o] huc adduxiſſe, qui ex Mantiæ authoritate, quendam, ait, tam varijs vinculis cuiuſdam caput, & faciem deligaſſe, vt illi oculi prociderint? Et Paræus [p] in curandis vulneribus ſupercilij eueniſſe aliquando, ait, vt palpebræ conciderent, atque oculos obducerent: non tam vulneris culpa, quòd tranſuerſim inflictum fibras conciderat: quàm chirurgi: nempe diplomatum linteolorum oppoſitione neglecta: inepta autem adhibita faſcia.

[n] *Lib. 8. c. 4.*

[o] *Libro de faſcijs, in princ.*

[p] *Lib. 9. c. 23.*

De

De quibuſdam corporis locis, in quibus ferri adminiſtratio periculoſa eſt, chirurgi admonentur.

VT exactius chirurgorum opera, an ex arte peracta ſint, iudicari poſſint: lubet certas aliquas corporis particulas ante oculos ponere, in quibus multi, ac grauiſſimi errores committi ſolent: ſi quidem inciſio, apertio, vſtioq; in illis fiat. Sic enim qui relaturus eſt medicus nihil ignorabit, quod ad ferendam ſententiam pertinere valeat. Ergo, vt iam tandem incipiam, ſi quando in oculo ſcalpellum immittere, aut venam incidere opus eſt: longè à pupilla ſemper agendum moneo: nam ſi hanc ipſam aperias, ac corneam vulneres: manifeſtum imminet cœcitatis periculum: tutius ergo, qua parte membrana albicat, ſectionem adminiſtrabis: quæ etiam nouæ inſtar lunæ, & quæ à pupillæ circulo æquo interuallo diſtet, fieri debebit. Quod ſi fiat, vt venas, quæ in maiori ſunt angulo aperiri neceſſe ſit: diligenter prouidendum, ne altè ſcalpellum ad os ſubiectum adigatur: ita enim effectus, vt non rarò obſeruauimus, in lachrimalem fiſtulam degenerabit. Tempora etiam incidere: ac ſuperiori præſertim parte, plenum periculi eſt: ſubeſt enim muſculus temporalis: qui cerebro per multos neruos conſentit: ex cuius etiam læſione *q* conuulſio febris, ſopor, atque delirium facile excitantur. Quod ſi tamen ſecandi neceſſarias vrgeat, fibrarum rectitudo ſpectanda eſt: quæ à centro ad circumferentiam extenduntur. Colli autem ſectiones, niſi à perito chirurgo adminiſtrentur, magna incommoda identidem pariunt. Quidam, inquit Galenus, *r* dum è ceruice ſtrumas in profundo incumbentes excideret imprudens, ob ignorantiam ſimul recurrentes neruos diſtraxit, ac puerulum mutum reddidit. Sunt autem nerui recurrentes (ne ſitum ignores) ad latera aſperæ arteriæ, ſinguli vtrinq; poſiti: quo etiam in loco carotides arteriæ priores occurrunt: quas etiam ſi temerè incidas, in ſummum periculum hominem adduces, larga ſcilicet hæmorrhagia, & quam difficilè corrigas, excitata. Hæc igitur loca aut nunquam ſecabis, aut certè in ſuperficie tantum, longaq; ſectione. Per interna etiam (ita vocant os pectoris) nerui, ac vaſa decurrunt: ideoq; in vomicis, quæ illic coeunt, ad latera manus vertenda eſt. In extremis verò ilibus multi ſunt tendines, & multa coeunt vaſa: ex quo hac

q 11. *De vſu part.* 13.

r 1. *Loc. aff. cap.* 6.

hac parte manus ſedulo temperari debet. In genitalibus quoq; plurimæ coeunt arteriæ: hiantq; maioribus clauſulis: ergo ne hæmorrhagias commoueas, hic tibi abſtinendum à ſectione eſt: aut certè, ſi neceſſitas eſt, in longum ſecabis. Sub natibus etiam neruus eſt: qui ſi iuxta ſuppurationem præciditur, aut nudatus violatur frigore: ſubiectum crus ſtupidum relinquitur. Locus autem longam exigit ſectionem: nam tranſuerſa nimis ſuſpecta eſt. In articulis verò euitanda omnis inciſio eſt: vbi tamen neceſſario agendum, carnoſior pars ſemper eſt eligenda, ac longa ſectione vtendum. Præterea non vniuerſæ corporis particulæ eandem exigunt ſectionis formam: nam abſceſſus, qui poſt aures fiunt: item qui in tibia brachio, ac fœmore, & in imo ventre per longum extenſam ſectionem poſtulant. Contrà verò qui in dorſo, inguine, ac ſubaxillis, itemq; in latere, ac coſtis illam malunt, quæ magis in latum pateat. Et qui circa podicem, aut etiam in oculo exoriuntur, lunarem potius ſectionem exigunt. In cæteris verò particulis, ſemper ad muſculi longitudinem, qui ferè eandem cum membro figuram ſeruat, ſectio dirigenda eſt. Et quandocunq; nihil aliud obſtare animaduerteris, ſemper rugarum longitudo, ac lineæ in particula naturaliter inſculptæ imitandæ. In capite verò ſitum pilorum opportunius eſt ſequi: nam inciſio tranſuerſa quoniam capillorum tegumento nudatur, deformem reddit aſpectum. Sed de hoc ipſo argumento plura adhuc Raſis decimotertio *ſ* libro continentis: item Auicennas *t* libro quarto: atque Hollerius *u* ſecundo de materia chirurgica meminerunt.

ſ Cap. 4.
t Fen. 2. tract. 1. cap. 29.
u Cap. 1.

Phlebothomatorum errores qua ratione agnoſcendi.

SAepè etiam phlebothomatores in vena incidenda turpiter errare deprehenduntur. Si igitur pro vena arteriam ſecuerint, factoq; aneuriſmate æger periclitabitur, ferientis manifeſta eſt culpa. Teſtis eſt Galenus, *x* aliquos ab inciſa arteria interiori in cubito venæ ſubiecta interijſſe: nonnullos quidem protinus ob vinculum circumpoſitum, volentibus medicis ſiſtere ſanguinis eruptionem in gangrænam incidentes: alios poſtea in aneuriſmate manu curando defunctos. Notaq; *a* etiam illius medici hiſtoria eſt, qui pro vena arteriam in brachio ſublatam incidit: quem vnum, quotquot curauit Galenus, ſine aneuriſmate perſanaſſe

x De cur. rat. per ſang. miſ. cap. 23.
a 5. Meth. cap. 7.

ſanaſſe gloriatur. Si autem venam tundendo nihil exeat ſanguinis: ſed paulò pòſt ingens dolor inflammatio, ac cætera ſimilia conſequantur ſymptomata: ſiquidem eo loci aut neruus, aut tendo aliquis ſubſit: quemadmodum ſub vena axillari obſeruatur: quæ ſub ſe, vt ait Galenus, *b* & neruum, & inſignem habet arteriam: nullam afferet excuſationem vulnerarius, ſi malè habeat ægrotus: ſiquidem pupugiſſe iam neruum, atque inde mala omnia fuiſſe ſubſecuta credendum eſt. Sic chirurgum illum, qui Carolo *c* nono Galliarum regi venam ſecuit: ac pro vena neruum ferijt: quod ex ingenti dolore ſtatim percepto, deprehenſum fuit, nihil excuſare potuit, quin criminis reus fieret. Et quamquam ſuam cauſam agere quiſpiam ſic poſſet: vt nihil à ſe peccatum fuiſſe dicat: quodq; ſiniſtrè res ceſſerit, malignam fluxionem culpandam eſſe, quę illuc vitia omnia corporis detruſerit: infirmum hoc illi fuerit patrocinium. Neſcio enim quinam chirurgi iſti egregiè ſuo munere functos fuiſſe probare valeant: ſi adacto phlebothomo nihil exeat ſanguinis: aut in ſolens dolor percipiatur: nam ex ſuo ipſi inſtituto, vel ferire venam, vnde ſanguis prodeat tenentur: aut illo vulnere penitus abſtinere: nam ſi ſanguine non exeunte, vulnus tamen inflictum ſit: tunc nec venam attigiſſe, atque erraſſe propterea arguuntur. Illos verò ex crimine tantum remouerim: quibus plenum, ac carnoſum brachium, pedemuè, & in quo nulla ſeſe conſpicuam exhibuerit vena incidenda offertur: tunc enim ſi venam, quæ non appareat, non feriat: cum tamen ad id opus compellatur, multa eſt excuſatione dignus. At quid illi dices: qui cum anginoſo venam incederet, quæ ſub lingua eſt, vt ſanguinem illuc exprimeret, collum ſyndone obligauit: ac nouus carnifex ſtatim hominem iugulauit? Talionis hic equidem pœna plectendus eſſet: vt iuſto eius ſupplicio condiſcerent alij. Sed quoniam multos phlebothomatorum errores hactenus aduertimus: præſtiterit nunc, vt illorum inſcitiam miſerti lubrica aliqua corporis loca illis ante oculos proponamus, in quibus errare ſæpiſſimè ſolent: de qua re quoniam Oribaſium *d* ante alios diligenter locutum fuiſſe animaduerto, ſat fuerit, nunc eius orationem tantum afferre. In ſecandis, inquit, cubiti venis triplex error conſequi poteſt: vt in humerali nerueus muſculus incidatur: in interiore autem arteria venæ ſubiecta: in media neruus exiguus. Venam igitur humeralem ſecare omnibus modis ſine periculo licet: &

tamen

b 3. *Anatom. admin.* 5.

c *Paræus lib.* 9. *cap.* 38.

d 7. *Collect. cap.* 5. 6. 7.

tamen quibuſdam etiam ex huius ſectione muſculus ſub radio conſtitutus indoluit, atq; inflammatione correptus fuit: ſed his non vnico ictu diuiſa fuit vena: verùm cum primum fuiſſet aberratum, ſecundò, aut tertiò, aut quartò fuit percuſſa: vt iam ſæpè muſculi caput ictum fuerit. Præterea in valdè pinguibus tutè etiam hæc ſuperior inciditur: nam & muſculus humectus, qui ſupra eſt, plurimum à vaſe abductus eſt, ac nerui plurimum ab hac parte ſunt diſiuncti: quamobrem etiam ſi quiſpiam profundiſſimam ſectionem fecerit, ad eos non ſit peruenturus. Interior autem vena cautè admodum, & conſideratè ſecanda eſt: hoc enim in loco contingit, vt arteria pro vena ſecetur: tutius ergo inferior, vbi diſiuncta ab arteria eſt, ſcalpellum adigatur. Mediæ autem nullum ſubijcitur vas; ſed neruus eſt notabilis in medio flexu.

Obſtetrices quomodò in ſuo exercendo munere erraſſe deprehendi poſſint.

OBſtetrices verò quamquam agendo errare plurimum & poſſunt, & ſolent: taleſq; illarum errores ſunt, vt nihilo alijs inferiores eſſe videantur. Attamen quoniam occulta ferè ea ſunt, quæ illæ exercent miniſteria: longeq; ab hominum conſpectu ſemota: ideò non ita facilè, ac promptum eſt nobis, quid illæ peccent, deprehendere. Verum enim verò pauca interim proponam, in quibus non penitus latère nos illorum errata ſolent. Ergo dum fœtu in lucem edito, ſecundæ in vtero retinentur: partes ſunt ſedulæ obſtetricis, vmbilici vaſa, quæ ſecundis adnexa ſunt, non prius abrumpere, quàm illo onere vterus leuetur: aut certè ſi diutius immorandum ſit, fœmori alligare, donec illud opus exactum fuerit. Quod ſi fiat, vt intempeſtiuè vaſa illa præcidantur, aut intro relapſa omnem apprehenſionis ſpem adimant: ſiquidem his laboribus pariens ſuccumbat, magna ſine dubio obſtetricis eſt culpa. Nec minus etiam peccabit, ſi immaturè, ac violenter ſecundas extraxerit: plerumque enim etiam ipſum vterum, laxatis vndique vinculis, vna educi contingit. Meminiq; imperitam quandam obſtetricem, cum ita elapſum vterum ſecundarum inuolucrum temerè eſſe credidiſſet, extracto eò præſens exitium enixæ attuliſſe. Atque alia non minore digna ſupplicio, dum chorion ad vteri exitum protumens vnguibus lacerare ſtatuiſſet, pro eo os vteri, quod ſenſu præditum

eſt exquiſito, grauiter læſit: vnde pariens edito gemitu expirauit. Sed dum etiam membranam ipſam allantoidem dictam abrumpere, ac contentum aquoſum humorem extrahere tentant obſtetrices, turpiter errant aliquando: nimirum dum citius, quam neceſſe eſt, illud opus aggrediuntur: ſic enim fœtus in ipſo exitu ſiccos offendit locos, atque illo humore deſtitutos, qui facilem, & lubricum præbere tranſitum ſolet: vt difficiles inde partus, malaq; alia metuere debeamus. Sed ne hæc temerè dicta eſſe exiſtimes: lubet Galeni teſtimonium huc afferre, qui decimoquinto libro e de vſu partium ad hunc modum memoriæ mandauit. Humoris, inquit, qui eſt intra amiculum communis eſt vtilitas, quo tempore animal parit: fœtus enim facilius collo matricis elabitur, cum ipſe humore multo perfunditur: quod ei tunc accidit propterea, quod neceſſe eſt, tum membranas rumpi. Non modo enim humor iſte fœtibus lubricandis confert: ſed collum etiam matricum ad maximam dilatationem reddit facilem: à prædictis enim humoribus humectatum, mollius redditur, dilataturque facilius. Comprobant autem, quod dicimus non minimum ipſæ obſtetrices: cum enim repente, ac ſimul humor effluere occuparit: ipſæ naturam imitari coactæ, humores quoſdam habent, quibus collum matricum profundant; &c. Ergò aut ſponte abrumpi tunicam, quod ſæpè euenit, permittendum eſt: aut ſi ob duritiem illa integra conſiſtat, exiguum foramen ſummis dumtaxat vnguibus parandum: vt quantum lubricandis locis humoris ſatis ſit, egrediatur: aliter enim non ſine errore egiſſe obſtetricem dicam. Præterea verò in corrigendis quibuſdam capitis vitioſis figuris: cuiuſmodi ſunt, qui capite longiore, aut nimis vtrinq; compreſſo naſcuntur, ſedulam in obſtetrice diligentiam requiro. Dum enim recens editi ſunt pueri: tenellaq; ac pœnè cerea ſunt oſſa, facili negotio comprimendo naturalis induci poteſt figura: comprimendo, inquam: nam vltra hoc leue, ac rude manus miniſterium aſcendere illas nequaquam velim. Vbi igitur aliter execare, incidere perforare, aut aliud quidpiam huiuſmodi opus abſoluere neceſſe ſit: hoc alterius artificis eſſe nequaquam dubito.

e Cap. 5.

Animaduerſiones quædam medicis in referendo vtiliſſimæ.

HAec igitur cum veriſſima ſint: illud tamen maximè aduertendum eſt medico, qui ad iudicem de his rebus ſententiam

elam laturus eſt: nimirum tunc dumtaxat iure damnandum eſſe medicum: aut quemuis alium rei medicæ profeſſorem; cum manifeſta doli, aut incuriæ apparuerint argumenta: nam ſi ambigua res eſt: atque in vtramq; partem trahi ſine calumnia poteſt: fauorabilis ſemper habenda eſt medici cauſa, qui reus producitur: quod & grauiſſimi Iuriſconſulti *f* memoriæ prodiderunt: & ipſe Ariſtoteles *g* (vide quam vndique veritas pateat) cum iudicum ſententiæ pares aduerſarijs fiant, ſemper reum vincere affirmauit: ita enim à natura comparatum eſſe: vt nocentem potius liberare: quàm condemnare innocentem liceat. Ergo temerè Amatus *h* medicum quendam in iudicio damnat, qui in colico cruciatu infœlici ſucceſſu acetum propinauit: nam vt plerumq; illud noceat: eſt tamen aliquando, cur incidendo craſſitiem ſuccorum, poſſit opem illi præſertim ferre, qui diu, ac ſalubriter illi aſſueuerit. Præterea verò magna eſſe poteſt medici excuſatio, ſi æger non ſua tantum vnius opera: ſed aliorum etiam vſus periclitetur: niſi enim manifeſta ſui erroris indicia fuerint, haud iniuſtè in alios etiam culpa transferri poteſt; præſertim ſi vulgares aliqui, atque artis imperiti ad medelam adhibiti ſint. Iuſta etiam excuſatione ſeipſos tueri poſſunt medici: ſi, periculoſis quibuſdam remedijs ſuccumbentibus ægris, periculum ipſi præfati fuerint: ac quàm multum diſcriminis illud auxilium extiterit, cautè profeſſi ſint. Nam ſi tunc ipſemet ægrotus, domeſticiq; viri inſtanter lubricam illam exigant medelam; nulla in medicum iaci iuſta poteſt querela. Et Celſus,* ſi nullum, inquit, appareat aliud auxilium; periturus vſque ſit, qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adiutus: in hoc ſtatu boni medici eſt, quam multa ſpes ſine eo auxilio ſit: fateriq; quantus in hoc ipſo ſit metus: & tum demum ſi exigatur, illud adminiſtrandum: de quo dubitari in huiuſmodi re non oportet: ſatius eſt enim anceps auxilium experiri, quam nullum. Quamquam & hic etiam ſummam medici diligentiam requiro: ne quis putet in dubijs rebus omnia eſſe fortunæ committenda. Nam quod Celſus imbecillis viribus in aliqua plenitudine ſanguinem mittit: audax id quidem auxilium: ſed non planè eſt temerarium: ideſt cuius nulla ratio afferri poſſit, cur ita fiat. Sed de hoc referendi genere hæc ſatis.

f Textus in l. Herennius, & Caya, de euiction.
g 29. Probl. 13.
h Cent. 6. curat. 57.
** Lib. 2. c. 10.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE RELATIONIBVS MEDICORVM,

Liber Tertius.

De virginibus dignoſcendis. *Cap. I.*

Scribendi occaſio.

RARA quidem, ſed aliquando tamen proponitur quæſtio: num quæ virgines ſunt, aut defloratæ, certo deprehendi poſſint indicio. Nonnulli enim ſunt, qui cum intactas ſe duxiſſe coniuges crederent: in deuerginatas tamen incidiſſe, ſuſpicentur, ac grauiter ferant. Nec deſunt puellæ, quæ ſe à quibuſdam violenter fuiſſe compreſſas, ſpe fortaſſe coniugij, aut aliter dolo impulſæ profiteantur. Sed & ipſi etiam iudices hoc ſedulò aliquando perquirunt: ſi, ad quorundam crimina punienda nulli, niſi in ipſa virginum defloratione teſtes proponuntur. Quamobrem hac in re etſi obſtetricum diligentia de more conſulitur: ſolent tamen incertæ fallaceſq; eſſe fœminarum obſeruationes: vt grauiore opus ſit artifice, qui diligentius omnia perquirens, rem ipſam quòad licet, deprehendat. Vt igitur hoc quoque argumentum abſoluatur: primò vulgaria quædam experimenta in medium afferam: deinde certiora etiam nonnulla indicia, quæ plurimam habere in ſignificando efficaciam videantur: ac tandem quid reuera ſentiendum ſit, explicabo.

Vulgaria quædam virginitatis ſigna.

a Laert. in vita Democriti.

MEmoriæ proditum eſt, Democritum [a] illum philoſophum ſapientiſſimum, cum puellam Hippocratis comitem primo die virginem ſalutaſſet: poſtridie appellaſſe mulierem: nam puella nocte illa fuerat vitiata: vt credendum propterea ſit,

certam

Digitized by Google

certam quandam eſſe notionem, ac regulam; qua dignoſci poſſit virginitas. Aſſerunt aliqui ſi virginis collum filo circumdato commenſuretur: ſiquidem illa poſtea virum experiatur, latius collum reddi, & cui prior menſura nequaquam ſit ſatis. Aiunt etiam virginis papillam, atque eiuſdem corollam viuido colore ſemper vigere: in muliere verò, cui nimirum delibata virginitas fuit, in alienum verti colorem: & qui planè ad nigridius vergat; vocem etiam pleniorem reddere, ac ſolitam illius deponere claritatem illas teſtantur, quæ viro aliquando viſæ ſunt. In his etiam ſummum naſi apicem fieri latiorem, ac quaſi diuortio quodam diſtingui: cum tamen virgines nullum tale habeant inſigne. Plerique puluerem xyloaloes potandum præbent: ac ſi incorrupta eſt, mox aiunt, lotium excerni: quod etiam in rumicis ſuffimento obſeruant: nam inde ſi non palleſcat fœmina, aut nihil mingat, defiorata eſt. Purius etiam, ac tenuius virginis lotium eſſe affirmant: aliarum turbidius, & craſſius. Teſtis eſt Plinius b Gagatis ſuffitu virginitatem deprehendi. Hunc ipſum lapidem experimentatores quidam in puluerem redactum ex aqua, aut vino propinant: & ſi retineri tunc vrina non poteſt, defloratam eſſe puellam: ſin minus, planè virginem: eandemq; vim ineſſe electro, ſi ſimiliter detur. Atque hæc quorundam ſunt experimenta: quibus ſe virgines poſſe dignoſcere vulgo profitentur: quæ tamen quantum habeant momenti, mox oſtendam.

b Libro 36. cap. 19.

De ſanguinis in primo concubitu profuſione, ac de hymene dicta membrana.

VErùm vt grauiora quædam huc afferam teſtimonia, & quæ fidem poſſe facere videntur: Communis eſt, ac vulgatiſſima obſeruatio, vt ſi in venereo congreſſu puella ſanguinem fundat, virgo illa æſtimetur: ſin verò, antea fuiſſe compreſſam. Præterea illud multæ efficaciæ ſignum eſſe videtur, quod in hoc fœminarum ſtatu deprehendendo omnium eſſe putant efficaciſſimum. Nimirum panniculus quidam ad vuluæ latera intus adnatus: quem Hymenem, aut etiam interſeptum, aut clauſtrum virginale appellant. Eſt hæc carnea quædam membrana, ſi Veſalio credimus: quamquam Fallopius neruæam obſeruauit: quæ non ita procul à pudendi ingreſſu circumpoſita viam claudit: niſi quod exiguo quodam peruia foramine, nutrimula, vt aduertit

Veſa-

Veſalius: qua vix minimi digiti apex admitti poteſt, menſibus exitum præbet. Nonnulli ſunt, qui hanc non circumpoſitam, aut vndique pudendi internis lateribus adhæſam volunt: ſed in longum extenſam eſſe: ac mediam vacuitatem quaſi imperfecti ſemicirculi ſpatium relinquere. Alij [a] imam tantum vteri oſtij, qua anum ſpectat ſedem occupare affirmant: cum ſuperiori loco, ac ſi perforatum eſſet, pateat. Hanc igitur in virgine ſemper obſeruant integram eſſe: ideoq; penem, quantum in ſe eſt, ingreſſu prohiberi: in primo autem Veneris conflictu dilacerati illam, ac cruorem effundere: & propterea quandiu ſoſpes illa eſt, perpetuum incorruptæ ſignum eſſe videri: cum verò lacera, illius planè, quæ virum experta ſit. Atque hæc cum ſigna ſint omnia, quæ virgines arguere poſſe videntur: nunc diligenter perquirendum eſt, quatenus fides illis ſit adhibenda.

[a] Plater. de ſtruct. corpor. hum.

Oſtenditur, vulgaria illa ſigna in virginitate deprehendenda nihil momenti habere.

Mihi quidem, vt ingenuè fatear, nullum certæ virginitatis neceſſarium indicium eſſe videtur. Nam quod aiunt Democritum, puellam proxima nocte deuirginatam agnouiſſe, id quidem ſi verum eſt: nam cur etiam fictum eſſe non poſſit? dæmone aliquo admonente cognouit: etenim hoc etiam de illo ſcripſit Laertius: [c] nimirum Hippocrati lac afferenti dixiſſe illum, & primi partus lac eſſe, & nigræ etiam capellæ. Quamobrem aut falsò de Democrito multa ſibi perſuaſiſſe homines contenderim: aut ſi vera ſunt: nullam tamen naturalem habuiſſe cauſam. Nam & illum magorum poſt Pythagoram ſtudioſiſſimum fuiſſe, memorat Plinius. [d] Quod verò in deflorata collum aiunt excreſcere: id ego non corruptæ virginitatis: ſed puberis, adultæq; ætatis proprium puto: quo quidem tempore membra omnia manifeſto creſcunt incremento. Ideoq; videas nonnunquam virginibus, cum iam decimumquartum ætatis annum attigerint, craſſius collum fieri: quamuis nullum adhuc viri congreſſum paſſæ fuerint. Incipit enim corpus iuſtam eo tempore magnitudinem præſeferre: quam deinde tertio annorum ſeptennario perfectam eſt habiturum. Quod autem papillæ etiam liueſcant, ac maiores fieri incipiant: hoc quoque puberum ætatem comitatur: nam cùm hoc tempore ſanguis ad vterum demandetur:

[c] Vt ſuprà.

[d] Libro 24. cap. 17.

illinc

illinc facilè per communia vaſa regurgitat ad mammas: quæ ideò etiam in tumorem tunc creſcunt manifeſtum: ac papillæ menſtruo ſanguine oppletæ in alienum vertuntur colorem. Et ipſe quoque Ariſtoteles, *e* fœminis, inquit, per id tempus exurgunt vbera, quod frattare dicitur: & quæ menſtrua vocantur erumpunt. Ea igitur mihi ſententia eſt, puellas, quæ nondum ad pubertatem acceſſerunt, nunquam has vberum notas præſeferre, licet viro aliquando ſint vſæ: poſſeq; aliquas quamuis minimè vitiatas, illis eſſe inſignitas: ſiquidem menſtruorum fluxui aſſueuerint. Licebit etiam aliud ſimile virginitatis argumentum afferre: vocem ſcilicet grauiorem, & à priore puritate diuerſam. Sed & hoc ipſum adultæ ætatis nihilominus ſignum eſt: nam ferè omnes ſecundo annorum ſeptennarib, vt multa alia, ita vocem quoque ipſam in grauius mutant: cuius rei rationem, ne nimius ſim, apud Ariſtotelem leges vndecima *f* ſectione problematum. Huius etiam conditionis eſſe arbitror, ſi naſi acumen manifeſto aliquo ſignetur interſtitio: illa enim chartilaginea naſi pars cum molliſſima ſit in puerili ætate, ac quaſi carnea: ſequentibus annis ſicceſcere incipit: ac naturale illud diuortium, quod antea præ mollitie latuerat, manifeſtè oſtendere. Proinde ne hoc quidem vitiatam virginitatem: ſed ætatem adultam planè arguit: nam quod aiunt xyloaloen epotum, mictum virginibus prouocare: ac rumicis ſuffitum pallorem inducere: hoc fallaciſſimum ſignum eſt deprehenſum. De impuriore autem lotio ideò arbitror corruptæ virginitatis indicium duxiſse aliquos: quod in his ſcilicet ampliores eſse viæ vrinæ videantur: atque ideò veſicæ recrementa omnia liberius excerni: quæ deinde vrinæ admixta, reddant illàm turbidiorem. Verùm Veneris vſus non veſicæ meatum: ſed vteri collum amplificat. Quamquam illud etiam veriſſimè dictum eſt à Galeno, *g* puerorum craſſiorem vrinam eſse: malumq; in acutis præſagium eſse, ſi tennis ſit. Gagatis autem ſuffitum ſi quis vnquam expertus eſt, ſe nunc teſtem adhibeat: ego quidem vt multa alia, quæ Plinius ex aliorum fide reſcripſit: ita hoc etiam fallax puto: quod ſimiliter de electro, ac ſi quid aliud eſt, quod in hunc vſum adhiberi ſoleat, dictum eſse velim. Atque hæc vulgaria ſunt, incertæq; notæ argumenta præſtare tamen duo reliqua videntur, vt vitiatas puellas arguere poſſis: nimirum ſi coeundo nihil effundatur ſanguinis: aut ſi reſciſsum hymenem: ac penis ingreſsum nihil detinen-

e 7. De hiſtor. anim. 1.

f Probl. 34.

g 2. Prognoſt. com. 33.

nen-

Digitized by Google

nentem vir offenderit: de quibus ſingulis iam tandem diligen-tius perquirendum puto.

Reliquorum ſignorum examen: & quid de re ipſa ſentiendum ſit, tandem ſtatuitur.

EFfundi ſanguinem in primo illo congreſſu, ſæpiſſimè, nec nego, obſeruatum fuit. Hoc euenit, ex doctiſſimorum virorum ſententia: vt planius poſtea edocebo, dum rugoſæ illæ anguſtiæ, quę collum vteri in virgine conſtipant, ac coarctant, tunc vi quadam dilatantur, explicanturq;. In his enim cum multæ venulæ, arteriæq; ſint diſſeminatæ: nihil mirum diſruptas ſanguinem fundere. Hoc igitur indicium ſi vnquam oſtendatur, haćtenus ego incorruptæ virginitatis argumentum putabo: modo nec annoſa ſit ſponſa: nec vir nimis exiguo ſit pene: nam ſi fiat, vt hic minor aſſueta magnitudine ſit: fœmina verò amplis iam ductibus præ ætate, aut certa corporis ſtructura donata, vt facilem iam præbeat ingreſſum: nihil arbitror in coitu diſrumpi à viro poſſe: ac propterea ne ſanguinem quidem effundi, quamuis nullum antea experta illa ſit virum. At verò ſunt etiam ſalaces nonnullæ: quæ à prurienti libidine excitatæ, cum nulla viri facultas detur, ſeſe aut digito aut aliter atterendo petulanter perfricant; vt iam quidquid intus obicem facit, dilacerent, ac ſanguinem proliciant. Iſtæ ergo ſi quando viro congrediuntur, nihil emiſſuras eſſe cruoris puto; quamquam nunquam antea compreſſæ ſint. Nec tamē ſi tale quidpiam effundatur, virginem propterea puellam putabo: ſatis enim comperoum habeo, lotiones nonnullas parari, nec pulueres, quibus adeò adſtringatur muliebre pudendum: vt anguſtiſſimum iter etiam exiguo præbeat penu quod ſi validius vrgeas, nonnihil etiam ſanguinis elicias. Sunt item nonnullæ; quæ adſtricta iam per medicas lotiones uteri ceruice, in uuluam utriculos piſcium, aut felleas ueſiculas plenas ſanguine includunt: aut cruſtula etiam per affixam hirudinem inducta, quæ diſrupta cruorem emittat. Aliquæ etiam tithymalli lacte, aut alterius non abſimilis plantæ, panno lineo excepto, atque in ceruicis collum impoſito, internam illius ſuperficiem adeò in tumorem attollunt, ut non ſolum arctas Veneris uias amatoribus præbeant: ſed ſanguinem etiam educant. His artibus credulis tyrunculis imponunt, dum ſe uirgunculas tunc

primum

primum compreſſas fuiſſe affirmant. Ex his igitur ſatis conſtat, quatenus hoc indiciū vitiatas puellas arguere valeat. Et quamquam hoc in loco afferri ſolet Moyſis authoritas, quæ in cruenta ſponſæ veſte efficaciſſimum deflorationis indicium ſtatuere videtur: attamen quoniam in eâ myſterium ſubeſſe arbitror, cuius noſtra in præſentiarum nihil interſit, haudquaquam reſpondeo, medicis tantum, ac naturalibus obſeruationibus intentus. Tametſi etiam non diſſimilem noſtris temporibus apud nonnullas nationes inualuiſſe conſuetudinem ſcio: nam, vt certam nuptæ pudicitiæ notam parentes, ac domeſticæ mulieres oſtendant: ſi quando nullam ſanguinis effuſionem ſperant: recenti cruore, iugulato pullo columbino, linteolum maculant: atque ita virginem iam tum defloratam eſſe, cæteris perſuadent. Hymenem verò an ſemper virgines in pudendo habeant, non eadem eſt omnium opinio. Carpus, & nonnulli ex antiquis anatomicis, perpetuum hoc eſſe virginitatis inſigne meminerunt. Veſalius,[b] cui multa hac in re adhibetur fides, à tergo colli veſicæ inſertionis, paulouè inferius, carneam occurrere membranam aſſerit: quæ hymen, & eugion appellatur, virginibus peculiarem: atque hanc in Veneris congreſſu dilacerari, diſrumpiq; non leue, rarumq; commendandæ virginitatis indicium eſſe. Quo quidem in loco aliorum authoritatem, obſeruationeſq; ſecutus eſt: ideoq; nihil propria inſpectione confirmatū aſſeruit: nam alio in libro,* quem poſtea in lucem edidit: nunquam, ait, virginem ſectioni adhibueram, præter puellam vnam, quæ tabe conſumpta erat: in qua etſi hymenæum reperiſſem: nihil de ipſo affirmare auſus eram: cum bruta illo deſtitui cernerem: poſtea verò bis, aut iterum ſe hymenæum obſeruaſſe profeſſus eſt. Fallopius[i] magnæ etiam obſeruationis medicus, hoc idem in virginibus obſeruauit. Verùm alij ſunt, quorum non eſt minor authoritas, qui aut nunquam panniculum hunc virginalem agnouerunt: aut quidem rariſſimè. Nunquam hoc obſeruauit Ludouicus Vaſſæus:[l] nunquam Fernelius.[m] Valleſius[n] etiam quamquam huic rei indagandæ acriter incubuerit: memoriæ tamen prodidit nullam partem in vteri ceruice exiſtere, quæ virginitatis cuſtodia ſit. Realdus[o] Columbus, inſignis anatomicus, ſub nymphis, inquit, in nonnullis virginibus, non omnibus alia membrana cernitur, hymenem à veteribus appellata; quæ cùm adeſt, (rarò autem adeſt) obſtat

b Lib.7.c.15.

** De radice chinæ, poſt medium.*

i Inſtit. anatom.

l In tab. anatom.

m Lib.1.c.7.

n De ſacra philoſo. 5.

o Libro 11. cap.16.

Dd quo-

p Lib. 15. in medio. quominus penis in vterum immittatur: & alibi, *p* cum de his loqueretur, quæ rarò in anatome contingunt: licet, inquit, vulgus hominum, nullam putet eſſe virginem, quæ hymena non habeat: *q Lib.3.c.17.* ter dumtaxat illam inueni. Carolus *q* Stephanus, hymenem, inquit, potius piè credimus in virginibus inueniri: quam vt certum quid de ea aſſerre poſſimus. *r Libro 23. cap. 42.* Ambroſius *r* Paræus membranam, inquit, in ceruicis vteri orificio plerique non vulgares medici virginibus omnibus tamquam virginitatis clauſtrum in eſſe credunt: ſed illam ego cum in pleriſque vircunculis omnis ferè ætatis ſtudioſè exquirerem, non potui reperire: ſemel obſeruaui in virgine ſeptendecim annos nata, neruoſam, ac tenuiſſimam ſub nymphis, ac exiguo foramine peruiam. Sylulus, & Valuerdus ne verbum quidem de hac membrana fecerunt, magnoperè alioquin reprehendendi, ſi illam ab ſe aliquando inuentam, in tanta ſcriptorum controuerſia, ſilentio obducere voluiſſent. Vide igitur quamplurimum inter ſe diſſideant grauiſſimi iſti medicinæ ſcriptores: nam ſunt etiam qui ideò hymenem hunc negent, quoniam nullum eius naſcendi conſilium, atque inſtitutum naturæ conſpiciant: ac nullum illius eſſe in fœminis vſum. Etenim quod alij aſſerunt, ad virginitatis cuſtodiam tamquam clauſtrum illum eſſe interpoſitum: fœminam, aiunt, à natura eſſe procreatam, vt viro miſceretur, ac prolem ſuſciperet. Atque alienum eſſe, fabrefactum vterum à natura fuiſſe, vt conciperet: ac deinde obſtaculum ab eadem fuiſſe interpoſitum, quominus concipiat. Quocirca non ab re fortaſsè fuerit: membranulam hanc, ſi quando inuenitur: non ſemper naturalem eſſe corporis particulam: hoc eſt ex naturæ inſtituto ingenitam: ſed potius monſtroſam, atque in compoſitione morbum: & forſan illius *ſ Lib.4.c.72.* generis, quod Albucaſis *ſ* Alraticam: Auicennas *t* clauſuram: *t 21.3. Trac. 4. cap. 96.* Aetius, *u* ac Paulus *x* vterum non perforatū vocant. *u Lib.6. cap. 62.* Hanc enim celebres iſti medicinæ ſcriptores membranam eſſe aiunt, (lacertoſam aliquando aſſerit Auicennas) quæ in mulierum genitalibus, alias in imo, alias in alis, interdum in medio iter claudit: & quæ ſæpè quidem ingreſſum, egreſſumq; omnem prohibeat, interſepto vndique pudendo: interdum tamen exiguo peruia foramine, atque ita planè conſtituta, vt *a* indicis impulſu effringi *a Albuc. vt ſupra.* aliquando poſſit. Vide igitur, quàm penè nullo diſcrimine ab hymene vocato diſtincta hæc ſit membrana: vt poſſit haud in- *b De re anatom. lib. 15.* frequens error in iſta dignotione contingere. Nam & Realdus *b* Colum-

Columbus, dum de hymene quid obſeruaſſet explicaret: hæc, inquit, illa eſt eadem membrana, quæ ingreſſum penis, quamuis membroſi hominis prohibet: cuius etiam ſententiæ nonnullos ſuis temporibus fuiſſe memorat Oribaſius. *c* Et Paræus *d* membranam hanc rem eſſe præter naturam clariſſimè affirmauit. De qua etiam quoniam narrat Auicennas, *e* poſse aliquando per clauſuram hanc viri ſemen in vterum recipi, ac conceptionem fieri: non ita tamen egredi conceptum poſse: idcirco ne integro quidem hoc interſepto, cuiuſcunque naturæ ſit, licebit ſemper de virginitate certi aliquid ſtatuere. Proinde, vt demus aliquod ibi offendiculum inueniri: illud ego nec perpetuum eſse, & rem quandam præter naturam eſse poſse liberè affirmabo. Quamquam has ipſas anguſtias, ac viarum coarctationem plurima medicorum pars non in adnatum penniculum referunt: ſed in virginibus adeò vteri ceruicem anguſtum eſse, ac quibuſdam rugis coactum obſeruant: vt plerumque à virili membro, dum ſibi vi quadam viam parat, dilaceretur, ac ſanguinem fundat. Raſis *f* ad Almanſorem ſcriptum reliquit, vuluæ orificium in virgine conſtrictum eſse, & rugoſum: in his autem rugis ſubtiles venas contexi; quæ quando virgo corrumpitur, dilacerantur. Oribaſius *g* etiam, collum, inquit, cōcidit, anguſtiuſq; eſt in virginibus amiculis occultatum, coniunctis inter ſe per vaſa: quæ productiones à vulua capiunt: quæ quidem concubitu dolorem afferunt, apertis ipſis amiculis: rumpuntur enim, & ſanguis eò importatus de more excernitur. Auerroes *h* etiam, orificium, inquit, vuluæ eſt criſpum: & in criſpitudine illa oriuntur venæ minutæ, habentes pelliculam vnam contextam duabus texturis. Fernelius, *i* vteri, inquit, ceruicem medio vteri progreſsu plerique tradunt in virginibus exili membrana dirimi, venulis conſperſa: quæ primo concubitu profuſo ſanguine, diſrumpi ſolet. At potius, inquit, cenſeo ceruicis latera, nondum Veneris expertis dumtaxat, quaſi conglutinata conniuere, quæ primus concubitus magna ex parte diuellat. Paræus *l* qui ſanguis, inquit, primo concubitu effunditur, non ſemper eſt ab hac membrana rupta: ſed à venulis ruptis, & violatis, quæ ſecundum internam vteri ſuperficiem, in ceruicem eius deſcendentes, ipſis magis, quæ Venerem nondum expertis, quaſi conglutinatæ conniuent, implicantur, & attexuntur. Quamquam quæ maturæ viro ſunt, & plenis annis nubiles, nullum neq; dolorem,

c 24. Collect. cap. 32.
d Tract. de renüntiation. & lib. 23. c. 42.
e Vt ſupra.
f Tractatu 1. cap. 26.
g Collect. 24. cap. 31.
h 1. Collig. cap. vlt.
i Lib. 1. c. 7.
l Vt ſupra.

Digitized by Google

neque ſanguinis fluorem patiuntur: quod quidem diligenter aduertas velim: ſcio enim nonnullos eſſe, qui grandioris ætatis virgines plus ſanguinis mittere affirmant: illa ſcilicet particula maioribus vaſis donata. Valleſius *m* libro de ſacra philoſophia, cum nullum eſſe hymenem profeſſus eſſet: tantam inquit eſſe uteri anguſtiam in virginibus, & ſymphyſim, ſeu coaleſcentiam labiorum: ut ſine dilaceratione partium, quæ ſymphyſi coierant, admittere virile membrum non poſſint. Manifeſtæ igitur iſtæ ſunt authorum diſcrepantiæ: & quæ ſtudioſorum animos in utramque partem non mediocriter diſtrahant. Nec is ego ſum, qui quempiam ex ijs reprehendere audeam: mihi enim certum eſt, quidquid illi obſeruarunt, inſpexeruntq́; id etiam fideliter poſteris reliquiſſe. Quocirca nequaquam nego in quibuſdam reperiri illam poſſe. Attamen perpetuam in virginibus hanc eſſe membranam id falſum puto. Nam & ipſe Veſalius, qui ex altera parte omnium princeps iure conſiſtit: putat tamen ſine hymene, & eſſe virgines, & naſci etiam poſſe: obſtetricum ſcilicet, ac matronarum opera. Audiui, inquit, *n* interdum ab obſtetricibus, & matronis quibuſdam: nonnullis morem eſſe, ut pelliculam hanc, perinde ac fruſtra mulieribus datam, ita effringāt, ut Iudæi præputium reſecare adhuc ſolent. Non ſecus autem linguæ vinculum ſi fortè plus iuſto in anteriora pertingat, dilacerant obſtetrices: ideoq́; fit, ut puellæ abſque hymene naſcantur: ut Iudæi pueri interdum recutiti in lucem prodeunt. Vtq́; raras quaſdam capitis figuras nonnullis nationibus ueluti proprias iam eſſe factas non ambigimus: ſiquidem obſtetrices nihil à principio efforment, coaptentq́;. Ergo ſiuè hoc ipſum credas, quod meminit Veſalius: ſiuè aliter non eſſe perpetuum hymenem dicas, incertum, ac fallax ab hoc panniculo ſumitur uirginitatis indicium: nec præterea aliud eſſe ſigni genus uideo, cui magnoperè fidendum ſit. Quam etiam ſententiam tenuit Capiuaccius *o* Medicus celeberrimus: aitq́; deflorationem uel natura tegi, uel arte ita occultari poſſe: ut interdum etiam periti Medici, & obſtetrices fallantur. Idem etiam doctiſſimus Mercurialis *p* aſſeruit: qui de ea re aliquando conſultus: uſqueadeò, inquit, incerta uirginitatis indicia habentur: ut tum uir, tum fœmina uitiati uirgines apparere concubentibus, tum medicis, atque obſtetricibus poſſent: unde neque inferre licet puellam aliquam eſſe defloratam, quod uelamine careat: locoſq; latos ha-

beat:

m Cap. 25.

n Vt ſupra.

o Lib. 4. c. 11.

p 2. Tomo, conſ. 66.

Digitized by Google

beat: neque eſſe uirginem, quòd membrana illa integra in ipſa reperiatur. Idem quoq; poſt multa ſtatuit Augenius: *q* qui nullo certo ſigno affirmat, uirgines à mulieribus diſtingui poſſe. Ergo pertinacis erit ingenij, tot celeberrimis medicinæ authoribus aduerſari: atque obſtinatè contendere, perpetuam hanc eſſe cũctis uirginibus membranam: certumq; uirginitatis indicium inde ſumi licere.

q 2. Tomo epiſt. libro 1. epiſt. 1.

Qui coniuges ad prolem ſuſcipiendam apti eſſe iudicari debeant. Cap. II.

Scribendi occaſio.

Optatiſſimum cuicunque eſt, inquit Ariſtoteles, *r* ac maximè naturale, facere alterum, quale ipſum eſt: idcirco multi ſunt, quibus liberorum expectatio ducendæ uxoris ſola occaſio, atque impulſio eſt: quæ quidem ſi deſit: ſolutum potius, ac liberum eligant torum. At omnium maximè reges, *ſ* ac principes uiri: ipſæq; ciuitates in coniugijs hoc diligenter ſtudent: ut nimirum permaneat genus, ad quod, uel ciuitatis, uel regni dignitas pertinet: ſuſcepta ſcilicet eorum uirorum, aut mulierum prole: in quibus ſolis genus conſiſtit. Sic olim *t* cum Venetijs ex ſæuiſſima peſtilentia Illuſtris Iuſtinianorum familia tota fuiſſet abſumpta: uno tantum ſuperſtite. ſed qui tunc ſacris Eccleſiæ ordinibus eſſet initiatus: impetratum à ſummo Pontifice fuit: ut illi coniugij facultas eſſet: ne nobilis familiæ memoria aboleretur. Ergo cum tam multum eius familiæ perpetuandæ ſtudiũ fuiſſet: neceſſe etiam erat, ne minor cura fuiſſet adhibita, ut talis uxor propoſita eſſet, quæ uera fœcunditatis indicia, adhibito interim medicorum iudicio, præ ſe tuliſſet. Tanti enim momenti ſemper fuit gentis, ac familiæ propagatio: ut apud Hebræos *u* quemcunque licuerit fratris uxorem ducere: ſiquidem ille ſine liberis mortuus eſſet. Sunt etiam qui connubio antea coniuncti: poſtea, certis quibuſdam impedimentis diſſolui iure debeant: de quibus quidem noſtrum fuerit iudicare: an tantæ ſcilicet illa ſint efficaciæ, ut ſteriles inde coniuges facti ſint: ac propterea diuortium inter eos fieri conueniat. Ne igitur à quopiam illud interdum

r 1. Polit. 1. 2. de anima, tex. 34.
ſ 5. Aph. 19.
t Sabell. lib. 7. decade 1.
u Deuteron. cap. 25.

terdum rogemur, quod longo, ac multo negotio aliundè perquirere debeamus: paucis hoc in loco quodnam coniugium ad prolem ſuſcipiendam aptum, ineptumuè iudicetur, docebo. Et quamquam huius generis dignotio Platonis *x* temporibus ad obſtetrices, ac pronubas præſertim pertinebat: (erant enim tunc peritę admodum, nec bonarum diſciplinarum ignaræ) nunc tamen longè alia eſt temporum, ac fœminarum ratio: vixq; manuarias quaſdam operationes exercere illæ ſatis diligenter ſciunt. Ideò hoc negotium ad medicos iure nunc ſpectat.

x In Theateto.

Quæ virilium inſtrumentorum vitia ſterilem virum arguant.

VT à virilium inſtrumentorũ impedimentis initium capiam: quibuſcunque amputata virilia ſunt: aut teſtes execti: ſteriles omnium conſenſu eſſe perhibentur, (eunuchos hos vocat Paulus, *a* ſiuè ſolis teſtibus excisis, ſiuè etiam cum veretro: aut illis tantum contritis: qui etiam propterea Thlibæ nuncupantur) etenim qui ſine teſtibus eſt, quamquam Venerem vtcunque exercere valent, vt etiam qui illos habent attritos: attamen nec vllum procreant, nec emittunt ſemen: proprio ſcilicet, illius inſtrnmento deſtituti. In qua re magnum licet Ariſtotelem *b* demirari: qui nullum, aut exiguum planè teſtium vſum agnouit: dum illos teſtricum ponderibus aſſimiles facit. Sed huic etiam, cui teſtes execti ſunt, nõ abſimilem illum puto, qui *c* adeò exiguos à natura illos habebat, vt inſtar duorum cicerum eſſent, aut illum quoque, cui erant fab arum magnitudine, * tam enim fœcundo ſemini generando inepti illi ſunt, qui nullos, quàm qui adeò minimos habent teſtes, vt nullum officium præſtare poſſint. Quòd ſi alter tantum deficiat: defuerit quidem ad fœcunditatem aliquid (nam & qui altero oculo captus eſt, minus integrè cernit) verum quicunque ille eſt, generare nihilominus poteſt. Et reuera omnem ſanguinis vim, qui ad vtrumque teſtem deſcendere à toto corpore aſſueuerat, tunc ad alterum, quem vnum reliquum habet, deuenire, aut ſaltem maximam eius partem, veriſimile eſt. Tales fuiſſe Sillam, & Coctam accepimus: qui non ſolum virili ingenio: ſed fœcundi etiam fuiſſe perhibentur. * Sterilitatis etiam incommodo illi detinentur: qui duro, ac diuturno teſtium tumore detinentur: aut quibus valdè contuſi illi fuerunt. His enim non ſolum naturale earum

a Lib. 6. c. 63.
b 1. De gener. anim. 4.
c Hoſtien. tit. de frigid. & maleficiat.
** Schench. lib. 4. obſeru. 28.*
** Digeſt. de re militari.*

par-

partium temperamentum deſtruitur: ſed etiam maximè anguſta ex compreſſione illa vaſa redduntur: vt nec materia ſemini generando, nec ſpiritus ſatis commodus admitti poſſit. Si verò ipſe penis diſſectus ſit: infecundus etiam euadit homo: quoniam in vteri ſinum eiaculari ſemen non poteſt. Quamobrem admirabile illud ſemper exiſtimaui: ac ferè vltra hominum fidem, (vt hoc interim admoneam) quod memoriæ mandauit Auerroes: *d* quandam ſcilicet vicinam ſuam, dum ea eſſet in balneo, in quo paulò anteà ſemen intemperantes quidam homines proiecerant, illorum attracto ſemine concepiſſe. Nec minus etiam mirabile quod à quibuſdam *e* medicis proditum eſt: nimirum cùm duæ fœminæ ſeſe inuicem comprimerent: ex his, quæ vidua erat, ſemen ab alia, quæ viro erat coniuncta, ac proximè ab eo fuerat compreſſa, accepiſſe: atque ita prægnantem redditam. Vix enim arbitror, ſemen in his fœminis ad internam vteri cauitatem attrahi potuiſſe: quamquam ſcripſerit Ariſtoteles, *f* vterum etiam ſine Venerea delectatione concupitum ſemen extrinſecus accipere poſſe. Nam teſtis eſt Galenus, *g* ſemen ne aliquandiu quidem extra propria vaſa, ſi modo ſuas vires ſeruabit, morari poſſe: nam vel in ipſis maris partibus contineri, vel in ipſius fœminæ partibus ſitum eſſe illud neceſſe eſt. Cum *h* enim ſpirituoſum ſit ſemen, ac ſpumoſum, ſiquidem in alienum locum effuſum ſit: nec à proprio foueatur: expirat ex eo repente ſpiritus, vt ſola aquea humiditas relinquatur. A vidua autem attrahi ſemen illud potuiſſe mihi ipſe perſuadere non poſſum: nam vt cætera admittam, vix tamen arbitror, ſuas vires illud tunc ſatis retinere potuiſſe: etenim quoniam nuptæ vterus illud antea reſpuerat: ideò frigeſieri etiam oportebat, ac proprium teporem ammittere. Sed cùm ego ita ſentiam: nolim tamen grauium iſtorum virorum obſeruationes pertinaciter reijcere, atque impoſſibiles eſſe ſtatuere: cum ſciam in medicina *i* monſtra identidem euenire, vt in reliqua ſolent natura. Quocirca hac ratione non negarim quoque: ſi cui exiguum penis fruſtum remanſerit: poſſe hunc etiam fœcundum ſemen in vteri conceptacula eiaculari: ſiquidem apta promptaq; fuerit eius loci diſpoſitio: ac viri valdè appetens mulier. Ideoq; facilè ego crediderim, illum, * cui penis rigidus infra tres digitos erat; atq; alium, cui ex cancro inciſus erat breuiſſimus genuiſſe. Ille autem, qui membrum inſtar verrucæ habebat: *l* atque ita paruum,

d 2. Collig. 10.

e Luſit. cent. 7. cur. 18.

f 2. De gener. anim. 4.

g 7. Meth. cap. 6.

h 14. De vſu part. 10.

i 7. Collig. c. 31.

* Schench. lib. 4. obſeru. 12.

l Heſtienſ. vt ſupra.

vt

vt diſponi ad mingendum non poſſit, ſecludi debuit à coniugio. Paruum autem penem in præſentiarum appello, non exiguum quemcunque: ſed qui pro cunni capacitate minimus eſſe videtur: & qui nullo attritu, nullaq; voluptate afficere fœminam valeat. Sunt enim quibus vteri ceruix tam ampla eſt, (fœmineũ barathrum vocare ſolet Martialis) vt nullum ſui ſenſum exiguus penis afferre poſſit. At ſi virgo ducta ſit, & quæ fortaſsè genitali ingreſſu aut natura anguſto, aut certè minimè amplo donata ſit: nihil dubito niſi minimus omnino obueniat penis, prolem illam eſſe ſuſcepturam. Proinde Oribaſium *m* admirari contingit, qui priapi magnitudinem tantam eſſe, ait, oportere, ad ſemen ſcilicet in os vuluæ eiaculandum, quanta eſt cunni magnitudo Conſtat enim ex Galeno, * vterum, cum qualitatem ſeminis affectat, totum obuiam ſeſe offerre, atque accurrere ad cunnum: ſuoq; collo, ac gula tanquam manu vti, qua ſemen intro compellat. Ergo neceſſe non eſt, vt penis colli vteri longitudinem æquet: ſed tantum, ut quadantenus ſemen porrigat. Quocirca putat Fernelius: *n* cuius etiam authoritate, ſi lubet, Oribaſium ad meliorem ſenſum reduces, viri ſemen, ut & mulieris non in vteri ſinum emitti: quoniam eius os internum conniuere, occludiq; ſolet: ſed in ceruicis fundum ad os vteri: quò plerique ſeminis vaſa, & teſticulos deriuari prodiderunt. Verum penis breuitas non eo tempore iudicanda eſt: cum demiſſus ille iam pendet, ac laxus: ſed cum flatu diſtenditur, erigiturq;: plerumque enim exiguum membrum in ſatis notabilem magnitudinem attolli videas. Sed cum hæc de exigua menſura ſatis ſint: ſupereſt, vt de ea etiam quæ iuſto maior ſit, paucis loquamur. Putat Auicennas, *o* quibus longiſſimus eſt, ac maximus penis, liberos procreare non poſſe: nam longo illo ductu dum ſemen emittitur, frigeſieri contingit, atque ita fœcunditatem ammittere. Ego verò nihil abnego, mediocria omnia præſtare cæteris alijs: id tamen compertum habeo: nonnullos, qui longiſſimum membrum, atq; ultra communem menſuram gerebant, liberos tamen ſuſcepiſſe: etenim modo capax fœmina ſit, nihil ſeminis refrigerationem pertimeſco: nam per internos illos, ac naturales membri meatus non leui impetu emiſſum ſemen, nihil uideo, cur tam exiguo momento proprium teporem, uireſq; ſuas deponere poſſit. Eſt & aliud membri uitium, quod prolis ſuſcipiendæ ſpem adimit: cum illud ſcilicet aut nimis diſtortum eſt, (cuiuſ-

m 14. *Collect. cap.* 33.

* 1. *De ſem. cap.* 4.

n 7. *De hom. procreat.* 10.

o 3. *Tra.* 2. *c.* 44. *&* *Ariſtot.* 1. *de generat. anim.* 6.

Digitized by Google

(cuiuſmodi eſt, inquit Galenus; *p* cum id vinculum, quod ad finem virgæ eſt, adeò meatum contorquet, vt obliquus fiat, aliteruè in ſeſe concidat) aut in medio emiſſario ita aliquo pernium foramine eſt, vt detruſum ſemen, aut ſuo impetu retardetur, aut loco exeat alieno. Sunt etiam quibus glans ipſa alieno in loco eſt perforata: vt recto impetu in vterum eiaculari ſemen non poſſit: nimirum ſi paulò altiùs, aut humilius foramen pateat. Hæc igitur vitia ſiquidem emendari vlla ratione poterunt: extenſo eo ſcilicet, quod antea particulam contrahebat: aut oppleto non naturali foramine: ſic etiam hos viros ad coniugium admitto: aliter autem nequaquam: nam quod valdè detortum ſemper eſt, rectam ſeminis eiaculationem, eductionemque impedit; vt etiam lentè, & frigidè, & diminutè foras procedat. Atque hæc ferè ſunt virilium inſtrumentorum vitia, quæ liberis procreandis ſummoperè aduerſantur.

p 15. De vſu part. 3.

De frigidis, atque ignauis genitalibus

PRæterea à coniuge alieni ſunt, quibus ignaua ſunt genitalia: ſiuè hoc à natura, ſiue caſu aliquo experiantur. (eunuchos hos etiam, atque euiratos nuncupauit Hippocrates: *q* quamquam peculiari nomine ſpadones appellant) Hi enim pleruméq; non ſolum membri ineptitudinem habent: ſed ne fœcundum quidem ſemen generant; voco autem modo ignaua genitalia, ſiuè etiam vieta, ac flaccida, ea præſertim, quæ frigidam, ſiccamuè intemperiem ab ipſo ortu nacta ſunt: ideoq; anguſta etiam ſunt vaſa, quæ nec ſpiritū admittere, nec tumefieri ſatis queant. Talia etiam ſunt, quæ laxa nimis, ac mollia exiſtunt: carneaq; potius, quàm neruoſa: conſtat enim contentione aliqua præditum eſſe penem debere, ut conceptioni ſit aptus. Tam valdè enim ipſa contentio ſemini excernendo confert: vt *r* ſi quando obliquus ſit eius meatus, atque in ſe concidat, educi ſemen non poſſit: quippe quod in virgæ flexibus hæreat. Et reuera huiuſmodi contentio ſola eſſe mihi videtur, quæ ſemen in vterum depellat: non autem ſpiritus aut flatus: nam & in magnis epilepſijs, *r* vbi totum corpus conuellitur, ſola eius loci contentio abundè ad ſeminis excretionem exiſtit. Illos ergo, ſiquidem reparari malum non poſſit; omnino à coniugio arcebis. Ignaua etiam ſunt, quæ ex quapiam alia incidente morbifica cauſa tale

q De aere, loc. &c. cap. 11.

r 15. De vſu part. 10.

r 14. De vſu part. 10. & 6. de loc. aff. c. 6.

incommodum patiuntur; vt ſi quando eius loci paralyſis appre-henderit; aut ſi ex vulnere (hoc enim aliquando eſt obſeruatum, ſ) coeundi facultas ablata ſit. Multi etiam ſunt, qui maleficio aliquo detenti liberis dare operam non poſſunt. Qui quidem omnes, ſiquidem ad naturalem ſtatum reuerti poſſunt, eatenus ad coniugium quoque admittendi. Eſſe autem reſolutum penem, ac nihil aliud præterea vitij perpeſſum fuiſſe, ita facilè agnoſces: ſiquidem in frigidam aquam illum demergas, & minimè contrahatur; nam qui contrahitur, ac breuior, & minor fit, expeditos habent ſpirituum ductus: ideoque frigidæ occurſum refugiunt.

ſ Marcell. Don. libro 4. cap. 18.

Valdè obæſos, effœminatos, varicoſos, & lue gallica obſeſſos, magna ex parte infœcundos eſſe.

QVi etiam plus nimio obæſi ſunt, ac multa obruti pinguedine, inepti coniugio ſunt; tales enim vt exiguum ſanguinem in venis habent, ita & ſemen: quod ideò etiam infœcundum iudicari poteſt; quoniam frigidiſſimo illi ſunt temperamento, ac præ nimia aqualiculi mole, vt inquit Aetius, t ſemen ad vteri receſſus eiaculari non poſſunt: atque hoc, inquit ille, velut maximum negligendum non eſt: vt nec vir, nec mulier pinguem habitum acquirant: nam neq; pudenda inter ſe aptare poſſunt; & viri parum ſeminis emittunt: & mulieribus menſes pauci feruntur. Sed interim maximè illos à coniugio arcendos puto, qui à principio ætatis in hunc corporis deueniunt ſtatum: nam qui otioſè fortaſsè: atque optimis cibis diu nutriti, atque à Venere interea abſtinentes, plurimum pingueſcunt: ſiquidem ſalubris viuendi ratio adhibeatur: poſſent liberos, quod ſæpè vidimus, nec quidem incommodè procreare. Sed u hac in re illud diligenter aduerto: aliud eſſe obæſum corpus, ac pingue, aliud verò corpulentum, atq; carnoſum. Hoc enim opimi alimenti copiam ſignificat: eſtq; ideò ad naturæ functiones præſtantiſſimum; illud verò cum omnia habeat infœlicia: tum maximè Veneri exercendæ eſſe ineptum ſolet: nam & fœminis menſes, & viris ſemen iſ ſtatus & minuit, & labefactat. Sed fœminis tamen magis eſſe infeſtus conſueuit: nam quæ ita eſt conſtituta, nullum generare menſtruum excrementum poteſt, quod alendo fœtui ſatis ſit: vniuerſo iam ſanguine in adipem cõuerſo.

t Libro 16. cap. 26.

u 1. De temper. ult. & in eiuſdem. c. 4.

Vir autem imperfectum quidem aliqua ex parte, atque imminutum habet ſemen: ſed ægrius, ac tardius in eum degenerat ſtatum, vt nullum, aut infœcundum generet. In quo quidem genere extremum fuiſſe Nichomacum ferunt: qui cum præ nimia pinguedine loco dimoueri non poſſet: ab Aeſculapio perſanatum fuiſſe affirmauit Galenus. x Qui etiam effœminati ſunt, inquit Ariſtoteles, a ſteriles eſſe conſueuerunt: nam illis frigidum, ac exile ſemen eſſe: ideoq; gignendis liberis ineptum fatetur. Ebrioſorum etiam ſemen, eodem b authore, magna ex parte infœcundum eſt: nimirum quia conſiſtentia humidius eſt, quàm quod procreandi vim obtinere poſſit: aut certè quòd frigidius exiſtat. Compertum enim eſt, naturale illorum calidum, qui vino intemperanter vtuntur, minus vegetum fieri: ideoque ad frigidos morbos procreandos aptiſſimum. Illud etiam aliquando à me obſeruatum profiteri poſſum: eos nimirum, qui à morbo gallico malè habiti ſunt, aut ſteriles omnino eſſe, aut malè ſanos liberos procreare: habent enim ſemen vitiatum: quandoquidem hanc potiſſimum corporis humiditatem inficit gallicana lues. Proditum etiam memoriæ c eſt gignendi facultatem his tolli, qui à varicibus tenentur: quod tamen illi verius affirmabunt, qui rem hanc propria experientia compertam habent; obſeruatumq; eſt à peritiſſimis viris: * eos, qui fonticulos in brachijs diu apertos tenuerint, vt multum inde humoris emanarit: aut qui ceruicem traiecto ſetone foratam gerunt, magna ex parte ſteriles eſſe: ſed hactenus iam qui viri ad coniugium inepti ſint, ſatis dictum arbitror: nunc de mulieribus ſimiliter dicam.

x De differ. morb. cap. 9.
a 1. De gener. anim. 5.
b 3. Probl. 4.
c 4. sect. prob. 21.
* Vitonerc. 3. de affect. mulieb. 5.

Quæ vteri intemperies ſterilitatem pariant: ac de mulieribus valdè obæſis: & de his, quæ viragines ſunt.

FOeminæ infœcundæ eſſe deprehenduntur, aut immodica aliqua vteri intemperie, aut vitio inſtrumentorum, quæ conceptioni deſeruiunt. Quæ autem iſtæ ſint intemperies, & quà ratione conceptui incommodent, abundè explicauit Galenus quinto d aphoriſmorum libro: ideoq; eius tantum orationem, vberem illam quidem, & ſatis illuſtrem, huc adduxiſſe ſat fuerit. Vbi, inquit, immodica vteri frigiditas exuperat adeò, vt vterus ſpiſſior efficiatur: anguſta quidem ſummoperè in his ſunt ora vaſorum, quæ ad ipſum pertingunt: mulieres verò ſteriles red-

d Aphor. 62.

Digitized by Google

duntur: cum ſecundæ non poſſint vaſorum orificijs adnaſci. neque ſi hoc fiat aliquando, poſſit benè nutriri conceptus: vel enim nullo modo fient in hiſce mulieribus purgationes: vel omnino paucæ: & hæ ipſæ vitioſæ, ſolo tenuiore, atque aquoſiore ſanguine prolabente. Sed & hæc quoque ora facilè obſtruuntur: cum propter natiuam anguſtiam: tum quia magna ex parte hæ mulieres humorem agregant pituitoſum: nam & corpus totum vtplurimum eſt vteris ſimile. Contingit autem & maris ſemen in talibus vteris omnino refrigerari, niſi ſit natura calidiſſimum. Quæcunque etiam vteros nimis humidos habent, non concipiunt: extinguitur enim genitura, quemadmodum in terra paluſtri cerealia ſemina. Et quæcunque ſiccos, ſiuè adurentes vteros habent, propter defectum alimenti non concipiunt: nam in ſiccis vteris tale quidpiam accidit: quale vbi arenæ mandantur ſemina. Inhabentibus autem immodicam caliditatem tale contingit, quale, vbi valdè calidæ terræ ſemina committuntur. Atq; hactenus Galenus, qui tametſi verè omnia, ac luculenter dixerit: niſi tamen certis quibuſdam ſignis; qui vteri frigidi, qui calidi, ac cæteri alij, pernoueris, fruſtra rel qua perquires: de his igitur conſulendus eſt Galenus quinto libro *e* aphoriſmorum: dum corpus totum vtplurimum eſſe vtero ſimile affirmauit. Atque omnium maximè Auicennas: *f* qui calidum, inquit, vterum paucitas menſtruorum, & citrinus eorundē arguit color; hoc etiam oſtendit piloſus pecten: & quæcunque alia corporis arguunt caliditatem. Cum labore etiam menſes emanat, ardoremq; præſeferunt: nec tardè coeundo ſemen emittunt. Frigidum verò vterum ſignificat menſium interceptio, aut certè exigua illorum copia, color albus: item diuturna expurgatio; ac pilorum paucitas in pectine. His ignauior eſt Venus: ac ſegniter ſemen effundunt. Humidum vero, ac ſiccum vterum oſtendunt, illum quidem tenues, & multæ expurgatæ humiditates: hunc verò paucæ, & minimè effluentes. Menſes autem vt quem colorem exactè præſeferant, palam fiat, (nam hoc in vteri intemperie dignoſcenda multum facit) pannum, lineum Auicennas *g* noctu ſupponit: deinde exiccat in vmbra: qui poſtea ſi rubeus ſit, aut citrinus, calorem, ait, ſignificari: ſi niger, & albus, frigiditatem. Hippocrates *h* verò arenam tenuem, & ſiccam menſtruo ſanguine infundit; & ſi ſanguis in arena ſiccatus luteus fuerit, bilis dominatur: ſi verò mucus, pituita. Varius etiam ad Venerem impetus

e Aphor. 62.

f 2. 3. Tra. 1. cap. 4.

g Vt ſupra.

h Lib. de ſterilib.

petus variam quoque vteri temperaturam demonſtrant: nam ſi qua coeundo plurima afficitur voluptate, ac nimis interea concaleſcit,& prurit: nimius eius calor arguitur: ſi verò ignauè omnia & frigidè agit: planè frigus. Agnoſcit etiam immodicas vteri intemperies Galenus, [i] ac propterea etiam inde natas ſterilitates, in ſuffitu, qui per aromata fit: frigiditas enim ſpiſſitudinis ratione,non permittit vſque ad os, & nares ferri exhalationem: eodem modo ſiccitas: humiditas verò ſicuti extinguit genituram, ſic & aromatum qualitatem vincit,atq; corrumpit: & propterea non permittit ipſa ſeruantia ſuam naturam, ſynceram circa os, & nares ferri. Ad eundem etiam vſum Hippocrates [l] allij caput integrum,& deraſum ſupponit: item pulegium ſiccatum, & melle exceptum cum lana, aut arthemiſiam vino ſubactam,aut melanthium,aut,quod præſtantiſſimum parant aliqui, galbanum: hæc enim ſi ſubtus indita per os oleant,fœcunditatis eſt nota: Ariſtoteles* quoque mulierum,inquit, probatio ſuffitu fit: vt odores ſubeuntes vterum, efferantur ad locum ſpirandi,& afficiant halitum: atque etiam illitu, vt colores oculis impoſiti ſaliuam perficiant oris: nam niſi hæc fiant,meatus corporis,per quos excrementum decidit, confuſos, & occœcatos eſſe ſignificatur. Sedes enim oculorum maximè omnium locorum capitis ſeminalis eſt: quod patet,cum ſola ipſa per coitum Venereum manifeſtè immutetur. Ergo quæ ſint vteri intemperies, quæ conceptionem impediant,ſatis eſt explicatum: vt nec difficile etiam ſit deprehendere, an illorum vitio infœcunda ſit mulier futura Nam ſi non ita magnus ſit qualitatum exceſſus, conceptio fieri naturalis poteſt: præſertim ſi aptum ſemen inuenerit: ſi verò plurimum extra temperiem tranſiliat, timenda ſterilitas eſt, quodcunque eſſe ſemen velis. Atque iſtæ omnes vteri intemperies vix nō hiſtericos affectus, aut muliebre profluuium inducunt. Etenim longo vſu mihi compertum eſt, ſteriles omnes mulieres diuturnas aliquas vteri ægritudines, ac præſertim album menſium profluuium pati. Præterea quæ præter naturam mulier fuerit craſſefacta, in ventre non concipit, inquit Hippocrates: [m] nam omentum craſſum, ac multum incumbens os vterorum deprimit, & genituram non ſuſcipiunt. Quod autem Hippocrates præter naturam dixit:ſupra modum interpratatur Galenus: [n] tunc enim tantum internum os vteri anguſtari contingit. Verùm doctiſſimi quidā viri,fœminas,quæ à natura,

i 5. Aph. 52.

l De morbis muliebrib.

* 2. De gener. anim. 5.

m Lib. de ſterilibus.

n 5. Aph. 46.

hoc eſt à primo ortu obæſæ ſunt, nequaquam ſteriles eſſe, ſibi perſuaſerunt: ſed quæ tantum ex macilentis ſunt craſſefactæ: quas etiam volunt ab Hippocrate præter naturam craſſas dumtaxat fuiſſe vocatas. Sed iſti neſcio, an Hippocratis mentem ſint aſſecuti. Nam quæ nimis craſſæ ſunt, vtcunque in eum habitum inciderint, modo magna ſit obæſitas, atque, vt ait Galenus præter modum, has ſteriles eſſe obſeruamus: nam & quæ etiam à primo ortu plurimum craſſefactæ ſunt, nihil obſtat quominus præter naturam affectas eſſe dicas: imò & has ego magis alijs præter naturam agere conijcio: quoniam ſcilicet & frigidiore temperamento ſunt: & ideò aptiores quoque, vt in his magna pars ſanguinis in pinguedinem concreſcat. Illud etiam veriſſimè dicam: mulieres, quæ plurimum pingues ſunt, & quæ præſertim talem habitum à natura ſortitæ ſunt, ægrè illum ſtatum acquirere poſſe, vt tandem concipiant: nam & remedijs quibuſdam, quę illis prodeſſe videri poſſunt, non ſine periculo vtuntur.

o Tex. 41. Quod nobis haud obſcurè ſignificauit Hippocrates quinto *o* epidemiorum libro: dum mulierem, quæ ſana erat, & craſſa, & quæ catapotium concipiendi gratia ſumpſerat, in magnum vitæ diſcrimen incidiſſe memorauit. Quocirca quid de his iudices, facilè ab his colligas licet. Præter hæc autem ſcriptum reliquit

p 2. De gener. anim. 6. Ariſtoteles, *p* mulieres quæ viragines ſunt maximè ſteriles eſſe: quod his ſcilicet menſtruorum exigua ſuppetat copia. Atq; hac etiam ratione pleræq; aliæ, quibus quacunque ratione menſes defecerunt: aut quæ etiam rariſſimè expurgantur, quippe bis terue in ardo, ſterilium in numero habentur.

Quæ inſtrumentorum generationis vitia in fœminis conceptionem impediant.

SEd morboſa etiam conceptionis inſtrumenta ſæpè fœcunditati non mediocriter officiunt. Tales ſunt, quibus aliqua ex parte peruia natura non eſt, (atretas vocant, ac clauſas) aut ſi peruia quidem ſit: non ita tamen ſatis pateat, ut virile membrum admittant. Hæ enim hoc etiam nomine à coniugio arcendæ ſunt, non ſolum quòd difficilè concipiant: ſed etiam quod parere non poſſunt: ut plerumque ad ipſam vteri cæſionem deuenire neceſſe ſit. Sed hoc obſtaculum ſæpè à natura eſt: non rarò ab ulcere malè curato, ſuccreſcente nimirum carne, aut mea-

meatibus cicatrice coactis, contractiſque. Ergo diligens opera adhibenda eſt, ne ignores quod emendari malum valet: & quod incurabile eſt: ac tum demum ſententia ferenda eſt. Cæterum ſi magis, quàm conuenit, vteri hiarint, prægnans fœmina non fit, inquit Hippocrates: q non enim concipiunt uteri genitale ſemen. (*q Lib. de ſterilib.*) Hoc autem ad contactum clarum fiet, & menſes aceruatim prodeunt, & per paucos dies: fit autem & natura hæc affectio, & à morbis: & ſiquidem à natura fiat: incurabilis eſt; ſin minus non ſani prodeunt menſes: neq; ſic prægnans fit: non enim compingitur ſemen à ſanguine morboſo. Ineptæ etiam coniugio ſunt, quæ diuturno vteri ſcyrrho laborant: has enim omni concipiendi ſpe eiectas eſſe ipſe etiam Raſis libro nono r continentis abundè teſtatur. (*r Cap. 4.*) Sed & illas etiam improbaueris, quibus ſ vlcera in utero aborta fuerunt: ideoq; genituram ſuſcipere non poteſt. (*ſ Hip. lib. de ſteril.*)

Quæ viri, ac fœminæ proportio ad conceptionem requiratur. Et cur coniuges interdum iuniores, non rarò ſeniores magis generent: & quod aliqua fœcunditatis nota à parentibus deſumatur.

CVm hactenus ſingulorum coniugum vitia ab vtraque parte explicatimus: nunc certa vtriuſque proportio noſcenda eſt: quæ vt valdè ad conceptum facit: ita illi etiam diligenter aduertenda, qui ſterilitatis notas ex arte cognoſcere profitetur. Doctè enim Ariſtoteles, t multis, inquit, maribus, & fœminis euenit, vt coniuncti inter ſe nequeant generare: diſiuncti queant. (*t 4. De gener. anim. 2.*) Sed de hac re vberrimè diſſeruit Galenus quinto u aphoriſmorum libro: ideoque eius ſententiam huc afferam: immodicæ, inquit, temperaturæ ſterilitatis ſunt cauſæ: modicæ verò ſi ſint, & contrarijs coniungantur, tunc concipient mulieres: ſi verò ſimilibus, non concipient. (*u Aph. 62.*) Neque enim fieri poteſt, ut frigidius ſemen in utero frigidiore ſit fertile: quemadmodum nec ſiccius in ſicciore: quod etiam de duobus alijs ſentiendum eſt. Ergo indiget ſemen quidem frigidius utero tanto calidiore, quanto deficit ab optima temperatura. Verum quia ſeminis etiam natura in hoc ferendo iudicio perſpectam habeas neceſſe eſt: Ideò vt hoc etiam minimè ignoretur: ſemen calidius, inquit Galenus, x promptitudo ad Venerem, multaq; genitalium piloſi- (*x 1. Art. med. cap. 45.*)

loſitas arguit: contraria verò diſpoſitio, frigiditatem: humidius verò liquidius planè eſt, ac copioſius; ſiccum verò modicè craſſum, ac paucum. Et Ariſtoteles a fœcunditatem ſeminis in aqua experitur: quod enim tenue, ac frididum eſt, citò diffuſum per ſummâ innatat: quod fœcundum eſt in imum deſcendit. Atque hæc ex ipſa rei natura deducta ſunt ſterilitatis indicia: & quæ verum artificem deceant; nam quædam experimenta, quæ vulgo circumferuntur, in ſola obſeruatione poſita ſunt: nec cur ita ſint, vlla ratio afferri poteſt. Iuuabit tamen & hæc nouiſſe, ne quidquam ignoretur, quod ad hanc ſcientiam præſtare aliquid poſſit. Iubent igitur, ut uterq; coniux ad lactucæ, aut teneræ alicuius plantæ radices commingant: nam cuius urina reſiccantur radices, ad eum pertinere ſterilitas ſignificatur. Præterea ſeorſum in duobus vaſis fabas, grana aliquot tritici, atque hordei diſponunt: ibi mingere coniuges præcipiunt: & in cuius vaſe poſt ſeptem dies germinabunt ſemina, illum aiunt fœcundum eſſe. Cuius etiam urina malua areſcit: ille infœcundus eſſe deprehenditur: ac ſi ſuper furfures ſæpius mingatur: ille ſterilis cenſetur, cuius mictu citius vermes ibi naſcuntur. Sed hæc iam plus ſatis. Illud tamen ignorandum non eſt, ex his, quæ hactenus dicta ſunt, facilè comprehendi etiam poſſe. cur nimirum coniuges interdum in prima ætate fœcundi: poſteà verò ſteriles fiant, aut etiam contra. Nam ſi viro ſiccius æquo ſit ſemen: ſiccior ſimiliter mulieri uterus: ambo in primis ætatis annis facilè concipient: qui enim humor ætatis ratione in illis exuperat, ſeminis utriuſque ſiccitatem attemperat: ac liberis ſuſcipiendis illos reddit idoneos: cum verò ad perfectam ætatem uterque deuenerit, conſumpta nimirum humiditate illa, ſicca tum remanent omnia: ideoque etiam ad concipiendum inepta: atque eo etiam magis, quò propius ſeniorem ætatem attigerint. Contra verò quibus humidius eſt ſemen, ac humidior uterus, in prima ætate minus promptè concipiunt: magnus enim tunc eſt ad humiditatem exceſſus. Cum verò creſcente ætate: ideoque toto corpore ſicceſcente, uterus etiam, ac ſemen ſicciora redduntur, hoc tempore mediocritatem quandam acquirunt: ut nihil iam mirum ſit, concipere aliquando qui ſeniores ſunt, cum iuuenes ſteriles fuerint. Sed inter fœcunditatis indicia illud etiam libenter poſuerim: quod à parentibus, ac cætero genere deſumitur: maxima enim ex parte fœcundi hi eſſe ſolent, qui à fœcundis paren-

a 2. De gener. anim. 5.

Digitized by Google

patentibus, hoc eſt qui prolem numeroſam ſuſceperunt, exorti ſunt. Rarò enim generoſa ſemina degeneres proferunt fructus. Quemadmodum etiam infœcundi hi eſſe ſolent, quibus non diſſimiles fuerunt parentes; ferè enim ab his & totius corporis, & partium temperamentum, conſtitutionemq; accipere ſolemus.

De prima ætate ad conceptionem idonea.

ARiſtoteles *b* idoneam coniugum ætatem ſtatuit in puellis quidem circa decem & octo ætatis annos: in viris circa ſeptem & triginta. Verùm quia tunc philoſophus robur tantum, ac firmitudinem liberorum procurat: non autem quo primum tempore illorum fieri poſſit procreatio: ideò nihil ad noſtrum inſtitutum facit. Nam & illud etiam ab hoc loco alienum ſcripſit: ne ſcilicet poſt quinquageſimum annum liberis operam nauent viri: ultra enim hoc ſpatium imperfectos, & corpore, & mente liberos gigni. Ergo alia nobis ineunda eſt ætatis ratio. Compertum eſt ætatem pubertatis primùm coniuges fœcundos reddere: ſiquidem tunc *c* primum & viris ſemen prodire, & fœminis procedere menſes incipiunt: Incipit autem hæc ætas duodecimo, *d* vel decimotertio anno: aut tardius expleto decimo *e* quarto, Atque, ut ait Macrobius, *f* poſt annos bis ſeptem ipſa ætas neceſſitate pubeſcit. Quòd autem de pubertatis exordijs varias authorum ſententias inuenias: ideſt in cauſa: quod ætates *g* annorum numero ſemper circumſcribere minimè licet: ideoque ut certi aliquid profiteri poſſis, corporum temperamentis dignoſcendis operam naues oportet: nam qui calido temperamento donatus eſt, citius ad pubertatem accedit: atq; ideò is duodecimo etiam anno pubeſcere, & fœcundum ſemen emittere incipiet. Ac Diuus Hieronymus, *h* Salomonem decimo ætatis anno: Achaz verò vndecimo ſubducta temporis ratione filios procreaſſe memoriæ commendauit. Narratq; etiam teſte Domino: mulierculam, quæ infantem decem annorum enutriret, cum aliquando mero ſe nimium ingurgitaret, ac libidine accenderetur, illum ad coitum concitaſſe: ac tandem à paruulo grauidam factam peperiſſe: meminitq; obſeruationum author * multis hinc inde, ac grauibus collectis teſtimonijs, complures alios ætatis decem annorum filios genuiſſe: alios nouem: quendam etiam, cum ſeptimum annum ageret, patrem fuiſſe

b 7. Politic. cap. 16.

c 6. Epid. 4. 27.

d 3. Aph. 26.

e 6. ſan. tuen. cap. 2.

f 1. de ſomnio ſcip. c. ap. 5,

g 6. ſan. tuen. cap. 2.

h Epiſt. 63. ad Vitalem.

** Io. Schenck. 4. obſeruat. 125.*

vocatum: quæ res facit, vt nihil mirum eſſe videatur, ſi interdum perpetuus naturæ ordo minimè ſeruetur: & tametſi rariſſimi hi ſunt euentus; impoſſibile tamen non fuerit, aliquos eſſe aliquando, qui fœcundo ſemini generando, Veneriq; exercendæ, extra communem hominum naturam eſſe poſſint. Ergo fieri etiam poteſt, vt tam inepti, ac frigido temperamento aliqui exiſtant, vt ne exacto quidem decimoquarto anno gignendis liberis idonei habeantur. Communem igitur, ac maximè naturalem pubertatis terminum, quo viri ſemen emittere, ac coniugio idonei eſſe incipiunt, decimumquartum annum ſtatuendum puto: hoc enim tempore non ſolum pueritiæ ætas in adoleſcentiam mutatur: ac fœcundum ſemen emittitur: ſed plurimas etiam in homine mutationes fieri, teſtis eſt Hippocrates. *i* Præterea hunc eundem terminum in fœminis etiam eſſe, in quo & ipſæ puberes fiant, multi, ac grauiſſimi viri prodiderunt, vt teſtis eſt Ariſtoteles. *l* Præterea Paulus, *m* fœminis, inquit, vtplurimum decimoquarto fluere menſes incipiunt: paucis ante tertiumdecimum, aut duodecimum: pleriq; poſt decimumquartum. Et Aetius, *n* quantum, inquit, ad ætatem pertinet, infra decimumquartum annum, aut vltra quinquageſimum purgationes menſtruæ non fiunt. Verum enimuerò vniuerſa Iuriſperitorum ſchola biennio maturius fœminas, quàm viros adoleſcere ſtatuerunt: ideoq; etiam duodecim annorum illas nubiles eſſe admittunt. Atque à tutela cùm mares nonniſi quartodecimo anno expleto liberentur: fœminas duodecimo ab ea immunes eſſe voluerunt. Hoc ipſum propter votorum feſtinationem euenire ſcripſit Macrobius: *o* quam Iureconſulti doli capacitatem vocant, aut etiam id tempus cum malitia ſupplet ætatem. Quocirca de fœminarum pubertate longè aliter, ac medici ſentire Iuriſconſulti videntur. Ego autem putaui aliquando hos ipſos longè ſua falli opinione: nec pubertatis diuerſum eſſe in fœminis, atque in viris conſtitutum terminum. Verùm cum diligenter in hanc cogitationem incubuerim: ſententiam tandem mutaui. Sed quæ mei conſilij ratio fuerit, nunc explico. Scripſit Galenus, *p* velocius adoleſcere à partu fœminas, quàm mares: nam maior earum corporum eſt mollitudo: talia enim corpora, inquit ille, in tres diſtantias, longum ſcilicet, profundum, ac latum exporrecta facilè incrementum ſuſcipiunt. Præterea Hippocrates *q* omnium magiſter grauiſſimus, filiæ, inquit, cum à matre ſegregatæ fuerint, citius,

i Lib. de ſept partu.

l 1. De gener. anim. 10.

m.

n Libro 16. cap. 51.

o 1. De ſom. ſcip. 6.

p 6. Epid. 2. com. 45.

q De ſept. partu, in fine.

quam

quàm filij pubeſcunt, & ſapiunt, & ſeneſcunt, propter corporum imbecillitatem, ac victus rationem. Ariſtoteles quoque eandem ſententiam quarto r de generatione animalium maniſeſtè habuit: ait enim, fœminæ, vbi in lucem venerint, celerius, quàm mares perficiuntur: nam & pubes, & vigor, & ſenectus prius illis venit, quàm maribus: & hoc propter ſuam debilitatem: nam, vt in artis operibus, ſic in natura omnia minora citius ad finem deueniunt. Ex his igitur non ſolum maturius ad pubertatem peruenire fœminas: ſed cur etiam ita facto opus fuit, ſatis eſt explicatum. Fœmina enim quaſi præcox aliquis fructus, ſtatim ad maturitatem venit: ipſaq; illarum mens, ingeniumq; eadem celeritate ſapere incipit. Mas verò, ſ quoniam perfectius, ac prudentius eſt animal, diuturniore tempore opus habuit, vt ſuam integritatem aſſequatur: iure igitur tardius perficiuntur: cum tamē fœminæ & duodecimo anno puberes fiant, & tunc etiam non paucæ concipere deprehendantur. Verum, vt de maribus dixi: ita puellæ etiam nonnullæ iuſtum pubertatis terminum præueniſſe viſæ ſunt: nam memoriæ proditum eſt,* varijs in locis aliquas nono ætatis anno peperiſſe. Sed opportunè hoc in loco quæri poteſt; num concipere aliquando poſſit fœmina, cui nondum menſes apparuerunt. Quibus ego, multis quidem conſtat experimentis, puellas nonnullas, quæ nunquam menſtruas purgationes habuerunt, fœliciter tamen aliquando concepiſſe. At quia neceſſarium eſt naturæ axioma: vt conceptio fieri ſine menſtruo ſanguine, qui fœtui ſit alimento, nequaquam poſſit: ideo communis, ac veriſſima omnium opinio eſt, ſi qua vnquam ſine menſium profluuio concepit: eam quidem illo momento concepiſſe, cum primum is ſanguis erumperet: ideò autem extra apparere non potuiſſe: quia conceptio primum illum exitum præoccupauit. Fit etiam plerumque vt puellæ nondum ad vteri vaſa tam multum ſanguinis congregetur, vt foras ſatis queat exire: coeundo tamen & incaleſcat vterus, & illuc à toto corpore ſtatim euocetur ſanguis: vt propterea procedere conceptus poſſit. Sed mirum illud quidem eſſe videtur, quod interdum obſeruauimus: nonnullas nimirum eſſe mulieres, quæ nunquam menſtruas purgationes expertæ, ſæpè tamen conceperunt. Sed ad hoc ſatis abundeq; fecit Ariſtoteles: ſ fieri, inquit, poteſt, vt aliquæ etiam ſine menſium profluuio concipiant: videlicet, quibus tantum humoris colligitur, quantum

r *Cap. 6. et 7. de hiſt. anim. cap. 3.*

* *Schench. 4. lib. obſeruat. 125.*

ſ *7. De hiſtor. anim. cap. 2.*

his, quæ purgantur, reſtare ſolet: quamquam non tanta copia, vt etiam foras poſſit profluere: exiguum enim iſtæ ſanguinem generant: & qui fœtui tantum alendo ſatis ſit: atque hæ præſertim viragines ſunt, ac maſculo temperamento donatæ. Præter hæc verò ignorandum non eſt: fœminas, quæ molliores ſunt, ac naturali ſtructura laxiores, moltoq; abundant ſanguine, ac luſibus Venereis laſciuiæq; fuerunt aſſuetæ, omnium adhuc citiſſimè, & menſtruum ſanguinem excernere, & viro aptas eſſe. Quæ verò ex carnes ſunt, caſtè vixerunt, virorumq; commertio minimè vſæ ſunt: atque exiguas præſeferunt venas, tardè has ad eundem ſtatum peruenire. Ergo, vti vides, non vni tantum annorum numero animus eſt adhibendus: ſed potius cuiuſcunq; temperamentum, atque habitus corporis inſpectandus. Ipſum enim temperamentum, vt ætatum, ita etiam reliquorum naturæ operum perpetuus eſt opifex. Attamen hic admonendi coniuges ſunt: aut illi etiam, quibus illorum eſt cura: exiguam ſpem prolis generoſæ in illis poſitam eſſe, qui ante decimumquartum annum coniunguntur: aut enim ægrè concipient, aut debiles, atque imperfectos liberos edunt. Atque hoc etiam eſt, quod in magnis, atque illuſtribus familijs primogeniti imbecilli, aut fatui identidem naſcuntur: dum enim ſucceſſionis deſiderio immaturè copulantur: fit, vt aut ſemen viri nondum integram maturitatem perfectionemq; adeptum ſit: aut exiguum certè ſit vteri alimentum: vnde aliqua parte manci, imperfectiq; ſint partus neceſſe eſt. Quæ res quanti reipublicæ interſit, grauiſſi-
5. De repub. mè Plato, oſtendit: cum enim ex robuſtiſſimis oportere filios procreari ſanxiſſet: ideoque nuptui tradendam eſſe mulierem non ante vigeſimum annum: virum autem non ante trigeſimum vxorem ducturum. Præterea, cum neque illam poſt quinquageſimum liberis procreandis operam dare permiſerit: neque hunc poſt quinque & quinquageſimum. Verùm, inquit, ſi iunior iſtis, aut ſenior generationem in communi attigerit: profanum, & iniquum ſcelus hoc eſſe cenſebimus: quaſi fœtus is in ciuitate feratur, qui ſi latuerit, orietur non ſub ſacrificijs, & votis, quæ ſingulis in nuptijs peragent ſacerdotes, & ciuitas vniuerſa precantes, vt ex bonis meliores, & ex vtilibus vtiliores naſcantur: imò ſub tenebris ex acri quadam incontinentia. Hæc igitur Plato, vt mirari minimè debeamus, ſi noſtris temporibus languidi, flaccidiq; cum plures homines fiant: quippe qui ab immaturis

tetris principijs profecti ſunt. Nam & id ſæpè eſt obſeruatum, puellas iſtas poſt primum conceptum ſteriles in poſterum fieri, ac ſpem omnem prolis ammittere. Vteri enim infirma conſtitutio cum amplius & grauidationis, & partus laboribus plurimum offendatur, adeò diſſoluitur, deteriturq́;, vt iterum inſtaurari vix poſſit. Sed de ſenioribus nunc opportunè dicam.

Quis vltimus ſit annorum terminus ad concipiendum idoneus: & de occulto ſterilitatis principio.

FInis gignendi, inquit Ariſtoteles, *u* vtplurimum quidem viris eſt ſeptuageſimus annus: mulieribus autem quinquageſimus. Idemq; author *x* alibi memoriæ prodidit, plurimos mares ad ſexageſimum generare: hunc autem ſi exceſſerint, ad ſeptuageſimum vſq; procedere. Ac Plinius, *a* mulier, inquit, poſt quinquageſimum annum non gignit: maiorq; pars quadrageſimo profluuium genitale ſiſtit: nam viri aliquando etiam poſt octuageſimumſextum gignunt: licet vulgaris generatio ſit vſque ad ſeptuageſimumquintum. Auicennas *b* verò mulieribus, inquit, abſcinditur menſtruū poſt quadragintaocto annos: & aliquando durat vſque ad quinquaginta: non enim inuenta eſt mulier, quæ pepererit poſt quinquaginta annos. Et ſperma viri fœcundum eſt vſque ad ſeptuagintaocto annos: nonnunquam vſq; ad nonaginta. Hanc autem annorum varietatem corporis etiam temperamento, ſicuti de pubertate dictum eſt, metiri debemus: nam qui optimo, aut paulo humidiore temperamento ſunt, facilè eam ſiccitatem, quæ annorum ratione reſultat, ſalubriter ferunt: ideoq; etiam nonageſimo anno, aut vltra hunc fœcundum proferent ſemen. Contra verò ſi quis ſiccior, ac frigidior æquo ſit: is etiam ante ſexageſimum ſenio conficietur. Ergo non vbiq; anni: ſed ipſæ potius hominum naturæ inſpectandæ, vnde fœcunditas iudicanda ſit. Atq; hoc eſt, quod rari quidam ſucceſſus, incredibiles pleriſque, ac pro miraculo habentur: dum nimirum communia tantum naturæ opera ſibi ante oculos ponunt. Nam qui multiplicem rerum varietatem in natura admittit, ac confitetur, nihil tale putat impoſſibile. Ergo veriſſimum illud puto, quod memoriæ proditum *c* eſt: nonnullos ſuæ ætatis nonaginta annorum liberos ſuſcepiſſe: item aliquos cum iam centeſimum agerent. Scriptum etiam eſt, nonnullas fœminas,

u 7. *Politic. cap.* 10.

x 7. *De hiſtor. anim.* 6.

a *Lib.* 7. *c.* 14.

b 9. *De natura, lib. vlt.*

c *Marcel. De nat. lib.* 4. *cap.* 14.

nas, quæ longo iam interuallo quinquageſimum annum, aut etiam ſexageſimum prætergreſſæ ſunt, fœliciter concepiſſe. Agnoſcendus igitur eſt communis aliquis ætatum terminus: qui veluti regula ſit, ac norma totius iudicij. Attamen ſi aptam corporis diſpoſitionem, ac temperamentum inuenias: nihil etiam prohibet, quin maturiorem fœcunditatem ſtatuere poſſis. Atq; hæ ferè naturales ſunt cauſæ, vnde ſterilitatis indicia ducenda ſint. Quamquam Nicolus *d* Florentinus cœleſte etiam, & occultum principium veriſſimè illis adiungit. Ait enim corpora cœleſtia influere ſuper aliqua indiuidua, vt non ſint eorum ſemina generatiua: & quandoque ſuper aliquam regionem, & ciuitatem: vt experientia declarat de multis locis ſterilibus, aut parum generatiuis. Et ſimiliter experientia duclarat, quod influunt è contrario: & erit aliqua regio, vel ciuitas valdè generatiua. Quod monſtrari poteſt in multis ciuitatibus Alemaniæ, & Franciæ, & in ciuitate mea Florentiæ, & præcipuè Mediolani. Et Columella *e* quibuſdam, inquit, gentibus numeroſam progenerandi ſobolem dedit rerum natura, vt Agyptijs, & Aphris: quibus gemini partus familiares, ac pœnè ſolemnes ſunt. Veriſſimum ergo eſt, vim, ac virtutem cœlorum, vt pleraque alia, ita quoque fœcunditatis præſtantiam mira quadam ratione in terris producere.

d Tracta. 3. ſerm. 6. c. 2.

e Lib. 3. c. 8.

Vtrum marem generare per ſalubra medicinæ præcepta quempiam liceat.

HActenus qui fœcundi ſint coniuges, pro viribus expoſuimus: nunc illud etiam non aliene adijciam: an ſcilicet liceat ſalubribus medicinæ præceptis maſculam prolem ex voluntate aliquando procreare. Etenim eſt quidem naturale hominum deſiderium, liberos vtcunque habere: qui nos, ac noſtri nominis memoriam in futura etiam tempora propagare poſſint. At quoniam in maribus præſertim magis perennes ſumus: atque in his ferè ſtirpis, & familiæ ſucceſſio, tituliq; conſiſtunt: ideò omnium maximè mares ſuſcipere mortales exoptant. In qua re ipſam nihilominus imitamur naturam, quæ *f* marem ſemper primario efformat inſtituto: & niſi per errorem nunquam fœminam facit. Verùm hæc tractatio quamquam ad medicas relationes, quæ præſertim in curia verſari ſolent, parum facere videatur:

f 4. De gener. anim. 3.

deatur: attamen quia ad perfectam coniugum fœcunditatem nonnihil pertinet; ideò nec aliena ab inſtituto argumento fuerit, nec ſcitu iniucunda. Quod ſi faſtidio illa ſit: exiguo impenpio paruam hanc ſectiunculam præterire poteris. Vt igitur ad penſum. Non ignoro eſſe aliquos, qui maris generandi facultatem in ſola Dei prouidentia poſitum eſſe arbitrentur: ideoque fruſtrà in hoc medici diligentiam requiri: quorum illud vnicum munus eſt, vt vel morbos curent, vel valetudinem tueantur. Sed nihil hoc obſtat: nam tametſi vniuerſa naturæ opera Deum ipſum ſummum ſemper opificem agnoſcunt: attamen & ipſe etiam medicus, quantum humanis permiſſum eſt viribus, multa facit, quæ naturæ conuenientia ſint: quibus hoc ipſum etiam conſentit, vt mares generandi facultas medico auxilio aliquando comparetur: apto ſcilicet corporis adſcito temperamento: cuius quidem rei opificium ad ſalubres cauſas pertinere veriſſimè dices: quarum eſſe dumtaxat affirmauit Galenus, *g* naturales intemperantias corrigere. Ergo ſi quando de hac re enarrandum eſt tibi: nonnulla tecum conſtituas neceſſe eſt, quæ te in quæſitæ veritatis cognitionem deducant. Illud igitur ante alia conſtare debet; marem *b* eſſe omnino fœmina calidiorem nam & citius mas in vtero formatur, atque mouetur, & maiores habet venas, magiſq; conſpicuas: & nigrior eſt, & plus etiam hirſutus. Hocq; præteræa huius rei fidem facit, quod cum eadem numero, & in mare, & in fœmina membra genitalia in primo ortu ſint conſtituta: in mare tamen extra abdominis membranam poſita fuerunt, intus in fœminis: quoniam ſcilicet frigidior, atque imbecillior harum natura foras propellere non poteſt. Atque hoc etiam eſt, quòd viſæ *i* ſunt aliquando fœminæ, quæ in viros conuerſæ fuerint: cum tamen nuſquam memoriæ proditum ſit, viros in fœminas abijſſe. Hic enim naturæ eſt ordo, vt ex imperfecto ſemper perfectum fiat: non è conuerſo. Atque hac ratione facilius eſſe arbitror, eos coniuges, qui fœminas antea frequenter tulerunt, medica ope eò deducere, vt mares generent: quàm qui mares, vt fœminas: nam medicus, qui naturam vbique imitatur, perfectum ſimiliter ex imperfecto facere illius exemplo edocetur. Cum igitur manifeſtum ſit, naturam omnia caloris argumenta oſtendere in mare generando: non ita autem in fœmina: ideò ſi vnquam fiat, vt naturale corporis calidum medicinæ auxilijs intendi valeat: vnde ſcilicet cali-

g Art. medic. cap. 86.

b 2. De ſem. cap. 4. 5 & 6. Epid. 2. 44.

i Plin. lib. 7. cap. 4.

calidius, hoc eſt maſculum ſemen proueniat: mihi dubium non eſt, hactenus etiam mares interdum generare volentes poſſe. Atqui pluribus nos docuit Galenus, *l* quomodo per ſalubres medicinæ cauſas antiquum temperamentum mutare liceat. Quocirca iam hinc huius operis conſequendi ſpem aliquam concipere debemus. Cùm verò certum temperamentum ſolidis corporis partibus innatum ſit: neruis ſcilicet membranis, chartilaginibus, & fibris, quibus vniuerſum genus carnoſum intertextum eſt: hoc ego difficulter omnino: ac nonniſi longiſſimo tempore, multarumq; cauſarum concurſu e ſuo ſtatu deturbari poſſe arbitror. Quamobrem ſi ſolæ hæ partes attemperando ſemini vuiuerſum opificium conferunt: exigua profectò ſpes eſſet, poſſe vnquam ſemen in aliam naturam conuerti. At quia demonſtratum à Galeno *m* eſt, à ſanguine etiam ſemen fieri: atque Hippocrates *n* ab omni humido illud prouenire affirmat: videmuſq; eoſdem coniuges, eodem in ſolidis permanente temperamento, nunc mares, nunc viciſſim fœminas generare: ideò non prorſus in re propoſita deſperandum puto. Ergo locorum caliditas, calidæ alimenta, labores, ac cætera alia, quibus calefaciendi facultas eſt, ſiquidem crebro in corpus agant, primum ſpiritum, ac ſanguinem calefacient: mox etiam molles particulas: quòd ſi aſſiduus in his vſus contrahatur, longa conſuetudine etiam in ſolidis aliquando nouum acquiretur temperamentum. Sic, inquit Galenus, *o* particulis, quæ nutriuntur, neceſſe eſt fieri inter ſe ſecundum nutrientis ſanguinis idæam: non enim ſolum alteratur id, quod nutrit, ab eo, quod nutritur: ſed & ipſum aliquo modo exigua quadam alteratione alterat: quæ deinde exigua alteratio tractu temporis notabilis fit, ita, vt ad æqualem vim cum familiaritate naturali veniat ea, quæ ex diuturnis conſuetudinibus fit. Cùm igitur concurrentibus calefacientibus cauſis ſimile inductum temperamentũ fuerit: conſequens etiam eſt, vt ſemen eandem quoque temperaturam, ac ideò maribus gignendis conuenientem ſortiatur. Quamobrem non obſcurè hinc conſtat, medicorum conſilio fieri interdum poſſe, vt & nouum temperamentum corpori acquiratur: & qui fœminas frequenter alias tulerint, nunc mares producant. Sed hic admonere vos lubet, qui in artis operibus diligenter verſamini, in his tantum temperaturis ſpem aliquam permutationis promitti debere, qui non multum à mediocritate receſſerunt: in quibus

etiam

l Art. medic. cap. 89.

m 1. De ſem. cap.

n Lib. de genitura.

o De conſuet. cap. 2.

etiam ſponte ætatis progreſſu, nimio corporis humore ſicceſcente naturalis calor intendi ſolet. Quod ſi magnus ſit exceſſus: tunc externas omnes cauſas, ipſamq; etiam ætatis mutationem contemnit antiquum illud, ac firmatum corporis temperamentum. Præterea hoc etiam negligendum non eſt: imò pro maximo habendum: nimirum cum vtriſque coniugibus ſalubris opera danda ſit: omnium tamen maximè fœminis hac in re ſtudendum eſſe: nam tametſi virile ſemen magna ex parte & validius, & potentius ſit: eſt tamen & fœmineum fœcundum: ſed inſuper menſtruus ſanguis accedit, qui multis menſibus aſſidens, tanto inualeſcit, & ſuperat, inquit Galenus, *p* quanto in primo congreſſu à maris ſemine ſuperabatur. Et alibi *q* matrix, inquit, valentior eſt teſtibus ad fœtum ſibi aſſimilandum, vt quę diutius cum eo verſetur. Sed non eſt, cur dicas in primo ſtatim occurſu ſeminis, aut marem, aut fœminam generari: ac fruſtra deindè laborem impendi: eo quod quidquid ab illo tempore efficitur, vt calidior vterus euadat, poſſe hoc tantum proficere, vt qui à principio factus eſt fœtus, robuſtior fortaſsè: non autem maſculus fiat: nam Galenus *r* ſexus diſcrimina non equidem ſtatim: ſed poſt aliquod tempus in fœtu diſcerni, ac verè fieri his verbis docet. Omnia, inquit, genitalia membra eadem ſunt in maribus & in fœminis: in eo tantum differunt, quod his intus, illis foris ſunt collocata: etenim in animalis fœtificatione membra genitalia in vtriſque intra abdominis membranam deſcribuntur, ac quaſi delineantur: deinde foras emergunt: ſic enim in recens editis animalibus dentes intus in gingiuis adhuc latent: & oculi in pleriſq; adhuc clauſi, atque indiſtincti apparent. Ergo totum prius exteriorem circuitū, ceu ſeptum validum firmare ſolet natura: deinde quaſi per gradus quoſdam, cum parum à plantis recedit, tactum primò impertitur, poſteà guſtatū, atq; olfactum, ac tandem auditum, & viſum: poſtea verò vbi formę delineatio expreſſa intus fuerit, vniuerſi ſpiritus impetu vſa, foras membra formata protrudit: quod ſi hac extrema functione languerit, membra inchoata intus relinquit. Ergo vt talpę oculi intus concepti foras exprimi ab imbecilla natura non poſſunt: ita membra genitalia fœminis intus formata, ob imbecilliorem, & imperfectiorem illarum naturam in exteriorem partem emergere nequierunt. Sed quatenus mares ope medica procreare liceat: ac ſimul etiam de coniugum fœcunditate hæc ſatis.

p 2. *De ſem. cap.* 2.
q 4. *De vſu part.* 7.
r 2. *De ſem. cap.* 5.

Quæ parentum ægritudines in liberos transferri conſueuerunt. Cap. III.

Scribendi occaſio.

PROXIMAE tractationis argumentum illud etiam expoſcit, vt, an aliqua parentum vitia, ac morbos, quos eſſe inſigniores reputamus, in liberos transferri neceſſe ſit, hoc in loco explicemus: ſæpè enim viciatam, ac morboſam prolem hæreditario principio produci, multis euentibus eſt comprobatum. Quocirca mei muneris intereſſe nunc puto: ſi hoc quoque cæteris adnectem; ſæpè enim de hac re noſtra poſtulatur ſententia: cum nimirum rara aliqua, nec vulgaria connubia celebrantur, ac inſigne aliquod vitium in cõiugibus ſpectetur, quod deinde ne in liberos transfundatur, timendum ſit. Neq; enim in coniugijs, aut generis claritatem, aut diuitias tantum exoptauerim: ſed non minori illud etiam diligentia, vt integro corpore ſint: atque his præſertim inſtrumentis, quæ ad animum ſpectant. Indignumq; fuerit, agricolas, & frumenta, & vites ità ſeminare, ac conſerere: vt prius cuiuſmodi terræ ſua committant ſemina, multum diuque prouideant: poſt autem magnam curam adhibeant, ne multo vuido demerſa putreſcant, neuè ſqualloré exareſcant, aut frigore extinguantur. In homine verò ſeminando: vel dum vtero geritur nutriendo, nullam omnino adhiberi diligentiam. Ergo de his modo diſſeremus, quorum ſuſpectum coniugium eſt, ne ſimili labe liberos inficiant. Quamquam lectores admonitos velim, hoc de morbis hæreditarijs argumentum difficilè eſſe: nec ſatis ab authoribus explicatum: vt proptereà æqui, boniq; æſtiment: ſi quod modo communis vtilitatis gratia explicandum ſuſcipimus, eruditis auribus non vndequaque ſatis fecerit. Ergo vt illuſtria ſint omnia iaciam primo fundamenta aliqua, à quibus tractationis abſolutio petenda ſit: ſecundo loco, qui morbi transferri, & quomodo à parentibus ſoleant, edocebo: ac denique cur non perpetuò parentum vitia in liberos transmitti neceſſe ſit; ſed ex morboſis interdum integri prodeant.

ſ 11. De vſu part. 10.

Ponun-

Ponuntur principia quædam, à quibus propoſita quæſtionis determinatio deducitur.

SEmen, quod noſtri principium in vtero eſt: ac cuius temperamentum, naturamq; ante alia aſſumimus: pars eſt, inquit Ariſtoteles, t vtilis, atq; vltimi excrementi, ex quo vnumquodq; membrum gignitur. Ideſt, pars illa eſt ſanguinis, vt Auicennas u interpretatur, qui cum vltimam confectionem in venis adeptus ſit, ex illarum oſculis in particulas proximè conuertendus deſudat. Hunc teſtes naturali quadam facultate ad ſe trahunt, ſicut lien melancholicum ſuccum, & veſiculæ fellis flauam bilem. Vt conſtare etiam poſſit, nihil arduum eſſe intelligere, qua ratione à ſingulis corporis partibus ſemen decidatur: nam ſi das mihi, ſeminis naturam illam eſſe ſubſtantiam, quæ in extremis ſingularum partium venulis conſiſtit: quaſi illarum alimentum iamiam futura: nihil intereſt ex ipſis ne venulis, an ex particulis illud eſſe diuulſum dicere. Quamquam ipſe Galenus, x non quæ in venarum oſculis: ſed quæ per ſingulas corporis partes ad ſolidi generis nutritionem diſperſa ſubſtantia eſt, materiam ſeminalem eſſe, ac ipſum etiam ſemen probabilius dixerit. Ergo hæc eadem quoniam ſi pluſculum temporis ijs in locis permanſiſſet, iam aliquam particulæ formam accepiſſet: veriſimile eſt illam interea ab eius partis natura aliquo pacto alteratam fuiſſe: vt, ſi non vera forma: ac proportio illius aliqua inducatur. Ergo quæ pars ſeminis ab oculo, exempli cauſa deciſa eſt, quoniam proportionem quandam, at formæ veluti rudimentum ad oculum habet: negandum non eſt, dum ſimul cum alijs in teſtibus commiſcetur, aptiorem illam eſſe, vt in oculum potius, quàm in alias particulas conuertatur. Quòd ſi dicas, proportionem illam ſanguinis, quæ ab oculo deciſa ſeminis nomen poſtea propriè ſortita eſt, non habere proportionem, niſi ad ſimilares particulas, quas erat nutritura: vt propterea nulla illius eſſe debeat ad oculum proportio: quippe quæ pars eſt inſtrumentalis. Aio equidem, illi proportionem eſſe tantùm ad ſimilares particulas: at non ad quaſcunque: ſed quæ tantùm in oculo ſunt. Atq; ideò quæ pars ſeminis ab oculo elicitur, habet hoc quidem vt venas tantum, carnem, ac tunicas generet: ſed illas tamen magis, ex quibus propter certam temperiem conſtitutionemq; oculi po-

t 1. De gener. anim. 2.

u 20. 3. Tra. 1. cap. 3.

x 1. De ſem. cap. 13.

tius conformentur. Attamen cum hæc dico: non ea mihi ſententia eſt,vt putem ex certis ſeminis particulis, certa dumtaxat membra fieri oportere: nec alia præterea. Scio enim vniuerſum ſemen facultatem quandam in teſtibus adipiſci, vt ad totum *a* aptum ſit, atque in omnes particulas æquè conuerti poſſit. Sed cum hac tamen ſeruantur illæ adhuc ſingularum partium proportiones: quæ quidem,ſi nihil repugnet,promptius in has formas, quàm in illas ſemen agant. Sic ſanguis, à quo vniuerſum alitur corpus, quamquam omnibus nutriendis particulis vnus conueniat: habet ille tamen diuerſas partes, pro quarum varia temperie,hæc potius,quàm alia membra promptius nutrire valeat. Singula, quæ nutriuntur, inquit Galenus, *b* alia craſſiorem ſanguinem,alia tenuiorem,alia calidiorem,alia frigidiorem, aut alterius qualitatis deſiderant. Hinc igitur conſtat, hominem, cui, verbi gratia, diſciſſa ſit manus, ſemen quoque producere minus integrum: & in quo partes illæ deſiderentur,quæ manum referant: quodq; aptum planè ſit, quantum in ſe eſt, vt ſimiles liberi procreentur. Et quamquam in libro de genitura *c* ſcriptum inueniamus, mutilatum habere numero omnia, quæ ſanum; is quidem author (negant enim nonnulli Hippocratem eſſe) mutilum intellexit: non cui pars aliqua deſit,(quæ vera eſt mutili ſignificatio) ſed cui debilis illa eſt; atque ad agendum inepta: dixit enim paulò pòſt, genituram à parte mutilata debiliorem prouenire. Sed ignorandum etiam non eſt, me ſub ſeminis nomine fœmineum ſemen nihilominus comprehendere: in qua ſignificatione vel ipſe Ariſtoteles ſemen vocauit primo *d* de generatione animalium, quod ſcilicet ex ambobus coeuntibus originem trahit. Quamquam hoc diſcrimen interſit: quod ille nullum opificium materno tribuat. Ego autem,qui Hippocraticam, hoc eſt meliorem ſententiam ſequor, æquè cum virili ſemine agentis rationem habere illud puto:quod ipſum & vberrimè monſtratum eſt à Galeno: *e* & ipſe etiam Ariſtoteles, quaſi ab ipſa veritate conuictus, aliquando confeſſus eſt, decimo *f* nimirum libro, ac tertio *g* de hiſtoria animalium: in quo loco, ait fœminam appellari, quæ ſemen prolificum in ſeipſam mittit: morem, quæ in alterum. Præterea verò illud etiam in Galenica doctrina daturos vos eſſe mihi confido: nimirum ſanguinem *h* menſtruum, alterum eſſe noſtræ generationis principium: atque eſſe materiam quandam, vnde fœtus in vtero alimentum capiat.

a Ariſt. 1. de generat. animal. 18.
b 1. De ſem. cap. 11.
c In fine.
d Cap. 18.
e 2. De ſem. cap. 4.
f Cap. 18.
g Cap. 2.
h 1. De ſanit. tuen. 2.

capiat. At non ita tantum materiam, vt nihil prætereà efficiat. Duo enim hæc principia, inquit Galenus, * non æquas inter ſe habent vires: nam in ſemine validiſſimum principium effectiuum eſt: materiale pauciſſimum: in ſanguine contra, quod ad materiam ſpectat, plurimum: quod ad vim, & facultatem, imbecilliſſimum. Ergo opificem vim aliquam habet ſanguis menſtruus: ſed omnium maxime vt alimentum afficit, atque immutat: etenim quemadmodum nos in lucem exortos variè alimenta afficiunt: *i* vt etiam in diuerſa trahere temperamenta, ac ſalubres, & morboſos reddere non rarò poſſint. Sic & menſtruus ſanguis, qui ſimiliter fœtum alit in vtero, tantæ eſt efficaciæ, vt plurimam partem, & ad temperamentum, & ad valetudinem præſtet, non tantum verſanti in vtero animali: ſed deinceps in reliquo etiam vitæ curriculo. Ex quibus omnibus, quæ vera, ac firma principia habent, illud tandem conſtituo: multa vitia, quæ ex improba ſolidarum partium conſtitutione, aut eorundem intemperie ortum habent: multa etiam, quæ menſtruus ſanguis labe aliqua inquinatus inuexerit, poſſe, ac ſolere à parentibus in liberos transfundi. Nam ſi noſtri corporis conſtitutio, atq; temperamentum tum à ſemine eſt, quod non mediocriter à ſolidis partibus affectum, ac aliqua ex parte alteratum fuiſſe demonſtrauimus: tum à ſanguine menſtruo: à quo velut ab vnico alimento, plurimum quoque in vtero afficimur: mirandum non fuerit, ſi illorum principiorum vitioſas conſtructiones, qualitateſq; promptè referre valeamus. Verùm hæc vitia, quæ ſint, & quomodo in liberos præſertim transferri ſoleant, opportunè nunc dicam.

* *2. De ſem. cap. 2.*

i Lib. de conſuet. cap. 2.

Qui morbi ſint hæreditarij: & qua etiam ratione in liberos transferantur.

HIppocrates libro de morbo ſacro, ex pituitoſo, inquit, pituitoſus: ex bilioſo bilioſus gignitur: ex tabido tabidus: ex lienoſo lienoſus: & cuius parentes ſacro morbo correpti ſunt, etiam aliquem ex poſteris, ac nepotibus ſimilem gignũt. Idem *l* etiam ex caluis, inquit, calui: ex cæſijs cæſij: & vtplurimum diſtortus diſtortum generat: & eadem ratio eſt circa reliquas formas. Ariſtoteles quoque primo *m* de generatione animalium, ex mancis, inquit, manca procreantur: & cum parentes cicatrices habue-

l De aere, etc. poſt med.

m Cap. 17.

habuerunt, filij quidam parte eadem ſimiles erant: & Chalcedone cùm pater brachio eſſet compunctо, filius idem retulit. Et alibi, *n* gignuntur, inquit, læſi ex læſis: verbi gratia, claudi ex claudis: & cœci ex cœcis: denique ſimiles ſæpenumero in re, quæ præter naturam comitetur: & ſigna habentes ſibi cognata, hæreditaria: vt verrucas, & næuos, & cicatrices, aut quid aliud generis eiuſdem. Auicennas *o* verò, ſperma, inquit, habentis membra debilia, raró generat ſanum. Atque idem *p* hæreditariam ægritudinem eſſe, ait, albam vitiliginem, tineam, ſiuè caluitiem naturalem, podagram, phthiſim, & lepram. Plutarchus *q* quoque aquam inter cutem, regium morbum melancholiam, manifeſtè ad hoc genus reduxit: quamobrem iubet, vt filijs, qui nondum ægrotant: ſed illos futuræ ægritudinis timor habet, exercitium, dietam, & pharmaca adhibeamus. Paræus, *r* ſæpè, inquit, hæreditario vitio, vt claudi, & gibbi, ſic & luſci euadunt pueri: vidimuſq; qui naturali capitis iectigatione continuò mouerentur, filium ſimiliter affectum progenuiſſe. Stolidi etiam, ac dementes parentes vix aliquando ingenioſos generant: quod vitium etſi animi eſt: attamen certam cerebri conſtitutionem ſequitur. Valleſius *ſ* hæreditarios etiam morbos agnoſcit fluxiones multas, quæ multarum ægritudinum ſoboles ſunt: ſæpè etiam & gallicam luem: adeoq; perſuaſum eſt multis, gallicanos parentes, eiuſdem vitij contagione ſemper liberos inquinare, vt quidem non incelebris medicus multis diſſeruerit, impoſſibile eſſe, à parentibus gallico morbo infectis, filios ſine labe naſci. Huiuſmodi etiam, inquit eſſe Galenus, *t* in quibus pars aliqua aut ſupereſt, aut deeſt, aut formam alienam habet. Atque hi morbi ex ſemine præſertim ortum ducunt. Maternus autem ſanguis ſua etiam vitia: ſed leuius, vt benè aduertit Fernelius, *u* quàm ſemen, in corpus inſerit. Etenim ſi grauidam medio geſtationis tempore quartana febris adoritur: partus editur, qui diu poſtea quartana febre conflictabitur. atque ſi nono ea menſe pleurithide prematur: proles gignitur in pleurithidem quoque procliuis: quemadmodum & eius, cui abſceſſus ex aure octauo menſe proruperat, filius in omnem ætatem habuit purulentas aures. Vnde intelligi poteſt, non modo prima conformatione ex ſemine: verumetiam toto geſtationis tempore ex materno ſanguine morborum procliuitates in fœtum contrahi. Aduerto igitur, non tam graues affectus ex ſanguine

n 7. De hiſtor. anim. 6.

o 2c. 3. Trac 1. cap. 13.

p 2. 1. Doc. 2. cap. 8.

q De ſera num. vindict.

r Libro 23. cap. 22.

ſ In lib. Hippocr. de alimento.

t An animal ſit, quod in vtero, &c.

u Lib. 7. c. 11.

Digitized by Google

guine menſtruo proficiſci: ſed aliquas potius intemperies,ac naturæ propenſiones: nam & hoc etiam idem author obſeruauit: vt cui cibo prægnans mater plurimum aſſueuerit, eum futurum eſſe fœtum iucundum: & vinoſam vinoſum: & quæ medicamentis crebro vtitur, fœtum proferre in medicamenta propenſum. Atq; hæc pro exemplo adducta ſint mihi: nam non his tantum anguſtis morborum finibus hæreditariorum genus continetur. Quandoquidem quocunque ferè morbo, pater, cum generat, detinetur: eum ſemine transferre poteſt in prolem. Cæterum nonnullorum opinio eſt, illos morbos, qui in partium conformatione conſiſtunt, tunc tantum à parentibus in prolem transferri, cùm naturalem originem habuerunt: nam ſi poſtea caſu aliquo exorti ſint, nequaquam eiuſmodi eſſe. Et Argenterius, x illi, inquit, qui non à natura: ſed caſu aliquo particula ſunt mutilati, aut ſimili aliquo vitio detinentur, non ſolere eos morbos in filios refundere: nam, inquit, teſtes facti ſunt in prima conformatione cum integris alijs omnibus partibus: quarum vitia, & formam integram illi referunt: nec eam ammittere poſſunt ob mutilationem membrorum. Ego verò etſi non negarim naturale vitium promptius in filios ammitti, quàm quoduis aliud: nihil tamen obſtat, id quoque, quod poſtea acquiſitum fuit, ſimiliter poſſe communicari. Non enim teſtes ſunt, qui huiuſmodi defectum in ſemine afficiunt: ſed carentia certæ particulæ, quæ quandocunque eſt, ſemper aliqua ex parte imminutum ſemen producitur. Dictumq; eſt ab Ariſtotele & cicatrices, & brachij compunctionem filios retuliſſe: ideo quàm verè ille hoc dixerit, iudicent alij. Ex his igitur, quæ hactenus ſunt conſtituta, promptum eſſe arbitror colligere, qua ratione hæreditarij morbi in filios transferantur. Sat enim conſtat, ſolidas corporis partes, quæ ſolæ rectè partes à Galeno a ſunt nuncupatæ, ab ipſo ſemine in vtero generari, ac deinceps nutriri. Et quoniam à nobis etiam monſtratum eſt, parentes quibuſdam particulis imminutos, imperfectoſq;, ſemen ſimiliter imperfectum, atq; earundem partium facultate imminutum progignere: nemo ambiget, ex hoc ipſo ſemine fœtum aut diminutum, aut malè compoſitum, aut prauè temperatum fieri. Præterea cùm duo ſint morborum genera: à quibus animal in vtero affici contingit: alterum in intemperie, in conformatione alterum: profectò qui ad intemperiem referuntur, ſæpius, ac promptius transferri ſolent,

x *In 2. art. med. vbi de temper. teſt.*

a *De ſalub. dieta, cap. 7.*

lent,

lent, quam qui ad conformationem ſpectant. Euentus ſatis compertus eſt: nam qui intemperato ſunt capite, oculis hepate, renibus, ac toto etiam corpore plures nouimus, qui aſſimiles filios progenuerint. Qui verò ſine oculo, ſine manu, ac pede ſunt: aut eaſdem particulas diſtortas habent, ac malè compoſitas, non ita multos licet adnumerare, qui ſimiliter affectos liberos ſuſcepe-rint. Nec difficilis erit ratio: nam ſi quidpiam virili ſemini defuerit: illud ſatis valet muliebre ſua mole reponere, atq; ſupplere: non ita autem intemperiem, ſiquidem validius ſit, tam facilè emendare poteſt. Sed hic doctiſſimi cuiuſdam viri *b* ſententiam lubet examinare: qui mala omnia hæreditaria ex naturali quadam intemperie, ac totius corporis, aut partis imbecillitate fieri affirmat. Etenim cum homines, inquit, naturam, & temperiem ab his accipiant, à quibus geniti ſunt: profectò cum natura ſimili, ſimilem debilitatem deferri: ac cum debilitate ſimili ſimiles morbos eſt conſequens. Mihi verò obſcurum eſt, quid ille per debilitatem intelligat: nam, ſi intemperiem, obſcurius adhuc fuerit, quid per naturam velit. Præterea ita omnia diſponit, vt morbos ab imbecillitate: imbecillitatem à natura fieri ſtatuat. Galenus *c* etiam, cum medici quidam exiguos ventriculi à naturali temperamento receſſus, imbecillitates nuncuparent: nihil, inquit, dicunt præter id, quod eſt euidentiſſimum: malam ſcilicet ciborum concoctionem eſſe ventriculi in ſuo opere perficiendo debilitatem. Sed hoc, inquit, non eſt, quod quæritur: ſed potius, quæ cauſa ſit eiuſdem imbecillitatis. Ergo mea ſententia, imbecillitas, quæ hæreditariorum morborum altera, ac potiſſima eſt cauſa, mala quædam eſt à natura partium conſtitutio; quæ vel magnitudine, vel numero, vel formatione, vel quadam inter ſe ordinatione aliquid peccet. Nec verum eſt, intemperiem debilitatis, quæ nihil eſt aliud, quam mala corporis conſtitutio, cauſam eſſe: cum potius contraria aſſertio verior eſſe reputetur: nam fieri poteſt, inquit Galenus, *d* vt corpus aliquod ex plurimis benè temperatis particulis benè ſit conſtitutum: ipſarum tamen vel magnitudine, vel numero, vel formatione, vel quadam inter ſe ordinatione læſum deprehendatur. Puto igitur has duas eſſe morborum hæreditariorum veriſſimas cauſas, intemperiem ſcilicet, ac malam conſtitutionem. Sed hæc ipſa partium conſtitutio, vt ægrè transfertur in liberos: ita ſemel translata firmior eſt, nulloq; tempore corrigi valet: Quid? & alteram

b Valleſ. in libro de alim.

c De differen. morb. 6.

d De opt. corpor. conſtit. in principio.

teram etiam cauſam, intemperiem ſcilicet facilè ad ſe trahet. Quocirca hi morbi, qui in naturali conſtitutione conſiſtunt, ad mortem vſque hominem comitantur: nam cæteri etſi difficilem curam ſuſcipiunt, curantur tamen aliquando: aut ſaltem non mediocriter miteſcunt. Sed ignorandum etiam non eſt, euenire interdum, vt qui à parentibus malè affectis exorti, eandem partium ſtructuram, diſpoſitionemq; ſortiuntur: quamquam nihil dum ægrotent: attamen quantum in ſe eſt, morboſam generent prolem: nam vitioſa corporis conſtitutio, quæ poſteris ſemine traditur, tametſi nulla adhuc aucta cacochimia, citatiſq; fluxionibus, morbos excitare non potuit: quia tamen innata ea fuit, ſemper futuri mali ſuſpitionem, ac metum affert. Ideoq; nati interdum auorum ægritudines patiuntur, quas nunquam parentes pertulerunt: nam tametſi parentes ipſi ex vitiato ſemine fuerint cõſtituti, ac tale etiam in liberis procreandis emittant: nõ id tamen ſatis eſt vt ægrotet poſteritas: ſed præterea neceſſe eſt, vt vitij humorum in corpore aggregentur, ex vitæ nimirum intemperantia, ex temporum iniurijs, ac ſimilibus de cauſis, quæ ſi non adſint, nunquam ægrotare hominem dicam, concretum licet ex ſemine vitiato. Adde etiam, quod matris ſemen, ac ſanguis menſtruus, poſſunt, ſi qua eſt labes in viri ſemine retardare, aut etiam opprimere: quæ deinde exerat ſeſe, atque antiquam naturam præſeferat, ſi in gignendis poſteris mater affuerit, quæ illi vitio conſentiat, aut non repugnet.

Cur à vitiatis parentibus non ſemper vitiatos filios generari neceſſe eſt.

NOn ignoro aliquos eſſe, qui hanc noſtram, de hæreditarijs morbis, aſſertionem incertam omnino, falſamq; eſſe hoc argumento exiſtimant: quoniam ſæpiſſimè à vitiatis parentibus integri, atque inculpati liberi prodeant. Quos ego, quia temerè hoc dicere animaduerto: lubet illorum errorem pauliſper redarguere: ac rationem interea proponere, cur ex vitiatis parentibus bene conſtituti liberi non rarò oriantur. Porrò morboſæ huius hæreditatis duplicem antea originem eſſe ſtatuimus: ſemen ipſum, quod ex paterno, maternoq; conflatum eſt, ac menſtruum ſanguinem. Horum autem non idem ſemper eſt temperamentum, non eadem diſpoſitio: ſic enim ſemper ſimillimi filij,

atque eiuſdem eſſent naturæ: ſed plerumque diuerſa inter ſe ſunt, ac diſſimilia. Proinde nihil mirum ſi ex his etiam diuerſi effectus conſequantur: nam quem paternum ſemen exempli cauſa ex ſua natura præſtare effectum poteſt: eundem maternum retardare, ac deſtruere ſolet: in quo certamine is omnino potior effectus reſultabit: qui à maiore efficacia, ac viribus robuſtioribus eſt inductus. Ergo demus quempiam eſſe diſtortum, aut claudum: idq; etiam ſi lubet à natiuitate: afferam equidem, hunc diſtortos etiam filios ſua natura eſſe generaturum: verum ſi fiat, vt illi talis vxor contingat, cuius robuſtius ſit ſemen, atque efficacius: mihi dubium non eſt, integros liberos ex eo coniugio prodituros. Quam meam ſententiam illud etiam non mediocriter probat, quod cum filij integri vitiato patre naſcuntur: matri potius ſimiles eſſe deprehenduntur: quippe cuius ſemen vt alterius vitium corrigere potis eſt: ita propriam in cæteris multis qualitatem inducere. Quod ſi fiat, vt imbecillius ſit ſemen fœmineum: aut certè equis viribus concurrat, promptum erit, vt filij paterna vitia vbique referant. Si igitur huius rei ſuſpitio fuerit aliquando: iuuabit matrem & in ipſo conceptionis momento, & toto etiam geſtationis tempore, perfectam formam integri alicuius hominis intueri, ac valida cogitatione comprehendere. Tantæ e enim eſt efficaciæ ſimilitudinum in mente, reputatio hauſtæque imagines ſub ipſo conceptu, vt vtriuſlibet animum ſubito tranſuolantes, effingere ſimilitudinem, aut miſcere exiſtimentur. Scio enim honeſtam matronam cum ſæpè claudicantem mendicum intueretur, atque eius imago concipienti occurreret, claudum deinde filium peperiſſe. Narratumq; eſt à Galeno, f deformem quendam hominem hac ratione pulchrum filium ſuſcepiſſe, dum pulchram pueri imaginem vxori congrediens intuendam attenteq; conſiderandam poneret. Quod autem de morboſa partium conſtitutione: idem de intemperie intelligas velim: Nam patris ſemen intemperatum filios etiam ſimiliter affectos procreat: niſi tamen maternum obſtiterit, aut menſtruus etiam ſanguis: qui in corrigenda ſeminis intemperie plurimum poteſt: licet vitioſam conſtitutionem emendare non ita. Atque hoc eſt, quod morbi, qui à ſola patris intemperie in filios transferuntur, non ita difficilè ſi diligens cura adhibeatur, ac matris natura conſentiat, corrigi poterunt. Dum mater ſcilicet, quoad vtero gerit, in contrariam vi-

e *Plin. lib. 7. cap. 12.*

f *De therica, ad Piſon. 11.*

ctus

ctus rationem incumbat: ac ſi etiam poſtea tales nutrices adhibeantur, quæ contrario temperamento donatæ ſint. Cuius rei cauſa iubet etiam Plutarchus, *g* vt filijs laborantium regio morbo, melancholia, ac podagra, ſiquidem nondum ſint infirmi: ſed ne aliquando pari ægritudine corripiantur, exercitium, dietam, & pharmaca adhibeamus. His igitur prodeſſe aliquid poſſe ſalubria medicinæ regimina nequaquam dubito: quamquam vt hoc ipſum conſequaris, diu, ac plurimum laborandum eſt. Quælibet in animali pars, inquit Galenus, *h* morbida magis, atq; imbecillior in omnē ætatem redditur, ſi quod vitium, vel exiguum in prima conformatione ei obtigerit: cuius vitij culpa tum in primum maris cum fœmina coitum intempeſtiuum, tum in grauidæ victus rationem ſequentem eſt conferenda. At quoniam quæ hactenus dicta ſunt, difficilè aliquis comprehendat: niſi etiam, quod ſemen robuſtum ſit, quodvè imbecillum explicemus: de quo ſcilicet ſæpè antea facta eſt mentio. Lubet ex Galeno, *i* atque Auicenna *l* nonnulla indicia huc afferre, vnde id facilè innoteſcat. Robuſtum ergo ſemen tum virile, tum muliebre ita cognoſces, ſiquidem fœcundi hominis ſit, quiq; celeriter ab initio ad coitum fuerit concitatus: item ſi genitales partes citiſſimè hiſpidæ factæ ſint, lateq; pili naſcantur: ac præterea ſi nimis ſalaces fuerint. Imbecillum verò ſemen eſt, quod contrarias omnino habet conditiones. Sanguinis autem menſtrui, atque vteri temperamentum totius corporis temperamento ſimillimum eſſe ſolet. Atque huius robuſtam vim eſſe, & quòd contrariam ſeminis naturam vincere interdum poſſit hinc deprehendes: ſiquidem calida, & ſicca totius corporis temperatura ſit: ſi pauca ſit menſtrua expurgatio, eaq; rubra, aut flaua: ſi hiſpida muliebria ſint: ac denique ſi cætera conſpiciantur, quæ in robuſto, ac valido ſemine ſunt explicata. Sed præterea validiores etiam in hoc genere reputãtur ætate florentes, quam ſenes: ac qui ſalubri ſunt habitu, quàm qui morboſo. Atque ex his quantum in medica diligentia poſitum eſt, facilè deprehendes, maſnè an fœmina in certa fœtus formatione maioribus viribus concurrat: ac propterea quæ parentum vitia liberi etiam ſint habituri.

g De ſera num. vindicta.

h 14. De vſu part. 7.

i 2. Art. med. cap.

l 2. 3 Tract. 1. cap. 4.

De dignoſcendis fœminis, quæ vtero gerunt. Cap. IIII.

Scribendi occaſio, rei difficultas, & ordo tractationis.

FOEMINAS vteri geſtationem diſſimulare: ac deinde alieno ſuppoſito infante partum mentiri, aliquando compertum eſt: ſiuè ad hoc ſpe futuræ ſucceſſionis, ſiuè alio ducantur conſilio. Nec minus etiam conſtat, nonnullas vt tormenta, aut commeritas alias pœnas ſubterfugerent, falsò eundem ſtatum ſimulaſſe. Quamquam multę etiam ſunt, quæ cum vtero gerant: id tamen, vt impudicitiæ notam euitent, omnino deteſtantur. In his autem cauſis quoniam ſæpè nos iudices conſultum veniunt: vt quę reuera vtero gerunt ab his, quæ eo pondere ſolutæ ſunt dignoſci valeant: opportunè ideò hoc in loco prægnationis ſigna tradere aggredior: quantum nimirum medica diligentia aſſequi nos licet. Neque enim ignoro, quam difficilè ſit hunc ipſum fœminarum ſtatum certò dignoſcere: ac præſertim ſi ab inuitis extorquere veritatem oporteat. Nam quæ huius rei propria reputantur indicia: plerumque etiam alias corporis diſpoſitiones ſequuntur. Etenim & ipſa menſtruæ purgationis interceptio: ventris tumor: turgidæ mammillæ, ac lacte nonnunquam refertæ: motus in vtero, ac ſimilia quædam, non rarò in fœminis conſpiciuntur, tametſi vtero non gerunt. Quocirca de his omnibus nobis ita loquar, vt vix per ſe aliquid neceſſarij ſim traditurus: ſed quædam tantum probabilia, & quæ rem ipſam vtplurimum aſſequantur. Quod ſi in quadam congerie intelligas: tum quidem rarò fallere conſueuerunt. Etenim ſi medicas omnes actiones intuearis, nullas quoque non probabili notione à nobis apprehendi animaduertes: vt in his etiam artificioſa coniectura planè pro exacta ſcientia eſſe debeat. Vt igitur de his clarè, ac diſtinctè agam: tria nunc mihi conſtituo, vnde ceu ex quibuſdam fontibus, videor vim omnem ſignorum deducere haud difficulter poſſe. Primum autem hoc eſt. Vterum *m* nimirum, ſi conceptura eſt mulier, maximo duci virilis ſeminis deſiderio, innatamq́; habere facultatem, vt illo multa cum voluptate fruatur. Hinc enim fit, vt illud non ſolum auidè recipiat: ſed arctè etiam retineat, foueatque, & aptum ſuggerat nutrimentum.

m 1. De ſem. cap. 2.

Secun-

Secundum verò; nutriri [n] fœtum menſtruo ſanguine: atque illo quidem totius corporis optimo, maximeq; ſyncero. Tertium hoc ipſum: vaſa [o] ſcilicet vteri, quæ ſanguinem alendo fœtui deſtinatum continent, communia illi eſſe cum mammis: ideoque vtriuſq; partis affectiones inuicem etiam non rarò participari. Hæc igitur cum ita reuera ſint: ac Galenicam; hoc eſt veriſſimam præſeferant doctrinam: ita tandem ex his ſingula deduco.

n De atrabil. cap. 8. & 5. aph. 37.
o 5. Aph. 37.

Explicantur ſingula ſigna, quæ ex tribus poſitis principÿs deducuntur.

EX primo quaſi fundamento, effatoque, hoc ante alia prægnationis indicium ſumo: vt ſcilicet virile ſemen in vtero retineatur: nec foras prodeat: nam & hoc ipſum ſi diligenter aduertant fœminæ, infallibilis fuerit nota conceptionis. Et vt impoſſibile eſt, concipere mulierem, ſi foras excidat ſemen: ſic neceſſum quoque conceptum fieri, ſi intus retineatur. De hac autem re ita abundè diſſeruit Hippocrates. [p] Poſtquam, inquit, coiuit mulier, ſiquidem conceptura non eſt, foras procedet genitura: ſi verò conceptura eſt: non prodit foras: ſed manet in vtero. Quamobrem ſi fœmina partus perita ſit; ac cognouerit, quando genitura non exciderit, ſciet, qua die concepit. Item Galenus primo libro [q] de ſemine, nullum, inquit, animal ex his, quæ ſemen excernunt, concipere deprehendi: & omnia, quæ continent, vidi etiam grauida fieri. De hoc ipſo copioſè etiam diſſeruit Ariſtoteles: [r] indicium, inquit, mulierem iam concepiſſe, cum ſtatim à coitu locus ſicceſcit: aliter enim labitur, & defluit ſemen: quod quidem ſi in ſeptimum diem intus permaneat, conceptum iam eſſe certum eſt: nam quæ effluxiones vocantur, infra tot numero dies fieri ſolent. Quare neceſſaria hæc fuerit prægnantium affectio, quamuis non ita ab omnibus deprehenſa: ergo haſtenus etiam incertum hoc ſignum fuerit: eoque magis, quod Hippocrates libro [ſ] de ſterilibus morboſas aliquas vteri conſtitutiones meminit: in quibus & contineri genituram, & nullam tamen prægnationem reſultare ait; ſtomacho ſcilicet vteri præter naturam hiante: vnde & plures menſes, quàm conuenit, & humidiores prodire affirmat: quapropter & id, quod à fœmina prodit ſemen, ad fœtificationem non concipitur: & vteri genitura inſuper accedens corrumpitur. Secundum

p Libro de genitura.
q Cap. ...
r 7. De hiſtor. anim. 3.
ſ Propè finē.

dum indicium eſt, indidem ſumptum, ſi internum vteri os arctiſſimè claudatur: nimirum ne quid ſeminis inde excidat. Ita enim illud prægnationis tempore conniuet, vt ne ſtyli quidem mucronem recipiat: nam & Galenus libro tertio *r* de naturalibus facultatibus, retentricis, inquit, virtutis opus eſt, prægnantium vteros vndique contrahere: vt non immerito contrectantibus obſtetricibus os eorum conniuere videatur. Iam verò prægnantes ipſæ primis diebus: potiſſimumq; eo momento, quo ſemen eſt conceptum, moueri, ac in ſeipſum concurrere vterum ſentiunt. Quòd ſi ambo hæc incidant: vt & os vteri citra phlegmonem, aliumuè affectum conniueat: & ſentiatur deinde ſuccedere vteri in ſeipſum motus, iam ſemen à mare cœpiſſe, ſe mulieres exiſtimant, & retinere cenſent. Atqui hoc ego ſignum, vt verum ita obſeruatu difficilè eſſe arbitror: non enim ſemper promptum eſt, vt obſtetrix immiſſo digito, interni oris diſpoſitionem explorare ſatis poſſit. Et quamquam ſcio medicos omnes inexplorāda grauidatione rem omnem obſtetricibus committere ſolere: quæ nimirum digiti teſtimonio de re ipſa certiores fiant. Attamen nequaquam id mihi ſemper eſt ſatis: etenim pudendi muliebris longitudo, longè cuiuſuis digiti longitudinem excedit: quare difficulter ad internum vteri os peruenire illum vnquam crediderim. Aduertit hoc etiam Galenus quinto *u* aphoriſmorum libro: aitq; maximum quidem eſſe, mulieris, quæ concepit, indicium, ſi obſtetrix potuerit, immiſſo digito os vteri tangere. Ergo quia difficultatem agnouit, prudenter adiecit, ſi obſtetrix potuerit. Cæterùm fateor tamen, ſi fœmina dum ſupina iacet, coxas ſurſum eleuet, cruribus interim demiſſis; aut ſi etiam ceruice, manibuſq; terræ innixis, clunes ſuſtollat: hoc ſitu ad exteriora vterum plurimum conuerti: ac exploranti fieri promptiorem: vt hac ratione non inutile obſtetricis tangendi ſtudium eſſe putem. Atque hoc etiam eſt, quod Lucretius *x* talem fœminæ poſitionem ad faciliorem ſeminis in vterum ingreſſum commendat.

r Cap. 3.

u Aphor. 51.

x Lib. 4. in fi.

Nam more ferarum,
Quadrupedumq; magis ritu plerumq; putantur
Concipere vxores; quoniam loca ſumere poſſunt
Pectoribus poſitis ſublatis ſemina lumbis.

Sed

Sed alia iam adeunda ſunt ſigna, quæ nihilo his minus certa eſſe ſolent. Tertium igitur hoc ſit: quod dum grauida fit mulier, quidam horror per corpus, ſeſe vtero contrahente manifeſtè ſentitur: ac præſertim circa ipſius vteri regiones: nam Galenus primo, a libro de ſemine, dixerunt, inquit, mihi mulieres, vbi ſemen conceperint, quandam ſe in vulua motionem ſentire, quæ quaſi conuellat, ac paulatim in ſeipſum contrahat. Atque ipſe etiam Hippocrates, b mulier, inquit, cum in ventre concipit, ſtatim horret, & dentium ſtridor conſequitur, & conuulſio occupat articulos: & totum corpus, & vterum ſegnities, ac torpor: & quæ puræ ſunt hoc perpetiuntur: quæ vero craſſæ, & mucoſæ, pleræq; ex his non percipiunt. Neque mirum eſt ſi contracto vtero: neque ex naturæ inſtituto ſeſe dimouente, totum etiam conſentiat corpus: nam vterus per neruos, quibus multis refertus eſt, & cerebro, & toti corpori manifeſtè conſociatur. Hic autem rigoris ſenſus vix primum conceptionis diem excedit: diutius tamen durat exiguus quidam dolor circa vmbilicum, atque hypogaſtrium; quem illæ præſertim experiuntur, quæ tunc primum prægnantes ſunt; quod ſi manum prementem ægrè ferat mulier, ac dolor ob id ingraueſcat, hoc inter præcipia erit indicia, ſi quando exploranda ea eſt grauidatio, quam fœminæ mentiuntur. Quartum verò ab eodem fonte deductum ſignum hoc eſt: nam, vt ait Galenus, c ipſi viri euidenter plerumque ſuum membrum intro ab illis trahi, medicæ cucurbitulæ inſtar ſentiunt; ita enim virilis ſeminis auidus eſt, ac famelicus vterus: vt non tantum eiectum in ſe recipit: ſed ſugit etiam trahitq;. Atque Auicennas, d attrahi tunc virgæ caput teſtatur, quaſi ſuctum, & exiccatum.

Ex ſecundo autẽ fonte hæc præterea indicia deſumo: nimirũ vt menſtruæ purgationes prorſus retineãtur: nam inde nutriẽdus eſt fœtus. Atq; hoc indicium etſi incertum plerumque eſt: ſi tamen illis, e quæ legitimè ante purgari ſolebant, repente, ac ſine alia cauſa ſupprimantur purgationes, magnum hoc fuerit prægnationis indicium: præſertim ſi cibi faſtidium, nauſeæ, ac ſimilia quædam acceſſerint. Quod ſi aliquando grauidis ab vtero exeat ſanguis: ille quidem exiguus planè eſt, ac prorſus ex his venis f diſtillans, quæ in collo ſunt: nam ab interioribus, quæ in cauitate vteri ſunt conſtitutæ, nihil poteſt eo tempore excerni. Ideoq; de hac purgatione intelligens Ariſtoteles, g optimè obſeruat,

a Cap. 2.

b Lib. de ſe- nib. in vlt.

c 1. De ſem. cap. 2.

d 21. 3. Tra. 1. cap. 2.

e 5. Aph. 61.

f 5. Aph. 60.

g 7. De hiſtor. anim. 3.

ſeruat, purgationes plurimis accedere cùm conceperint, ad tempus quoddam: ſcilicet triginta dierum, ſi fœmina ſit: aut quadraginta ſi mas: nam poſtea in vbera tranſitur, & lac efficitur: cuius nota inter initia exigua, & araneæ propemodum ſpecie apparet in mammis. Quoniam verò puriorem ad ſe ſanguinem trahit fœtus: hinc multa etiam indicia depromas licet: nam, vt

f 1. De morb. mulieb.

ait Hippocrates, *f* prægnans tota fit cum virore pallida, puriore ſanguine quotidie in fœtus alimentum deſtillante: & cum paucus in corpore ſanguis ſuperſit, qui nimirum bonæ conditionis ſit: ideò palleſcit fœmina, ac debilis redditur: hinc etiam ſaliua plenæ ſunt: ventriculo ſcilicet naturali calore aliqua ex parte deſtituto: item oris ventris morſus: cibiq; faſtidium apprehendit. Et quia vitioſi ſucci etiam in habitum corporis, ac cutaneas regiones ſeſe diffundunt: ideò maculam quandam ſolarem in

g Lib. de ſterilibus.

facie habere prægnantes obſeruauit Hippocrates: *g* nunc autem varos enaſci ſæpè videmus: itemq; citrinas, aut liuidas maculas, vel lentigines quoque. Præterea diſtrahuntur etiam oculi, & cauiores fiunt: atque eorum candidum in liuidius vergit, atque albedinis naturam non habent. Nec mirum eſt, affecto vtero conſentire oculos: nam & in Venerea delectatione, manifeſtè

h 2. Generat. anim. cap. 5. & 4. probl. 2.
i Cap. 4.

illi immutantur, *h* atque langueſcunt. Legimus quoq; ſeptimo *i* de hiſtoria animalium, ipſo conceptu totum corpus grauari: & denique non obſcura cacochimiæ ſigna deprehendes: quæ quidem alijs maturius, alijs decimo etiam menſe contingunt. Et

l Vt ſupra.

Auicennas, *l* mali, inquit, appetitus commouentur poſt menſem, aut duos menſes. Reuera autem incommoda omnia, quæ grauidis ventriculi ratione contingunt, ſecundo menſe præcipuè incipiunt: cum ſcilicet menſtrua iam ſuppreſſa actiones lædere poſſunt: ac ferè vſq; ad quartum durant: ipſo ſcilicet fœtu multum alimenti attrahente: perſeuerant tamen diutius aliquando, cum multa ſubeſt humorum cacochimia.

Ex tertio autem hoc primum deduco: nimirum ſi prægnans futura ſit mulier: neceſſe eſſe turgidas illi mammas excreſcere: atque illo præſertim tempore, cum menſtruæ purgationis inſtat momentum: ac præterea venas etiam, quæ circa mammas ſunt, pleniores videri: ſanguis enim ex toto corpore ad vterum confluens, regurgitat ad mammas. Sed quamquam magis iſtæ conſpicuæ ſint: attamen vniuerſi etiam corporis venas pleniores eſſe obſeruamus, ſi quà vnquam concepit: & præſertim, quæ in

infe-

inferioribus ſunt partibus. Atque hinc veriſſimè aduertit Auicennas, m in principio prægnationis mollificari mamillas, confluente nimirum ſanguine: quod tamen euaneſcit indicium, ſi fœtus fit maior. In vniuerſum autem ſolideſcunt mammæ, extuberant, dolent. Papillarum color in rubeum vergit: & ſi quid edunt, & bibunt, plerumque calorem, aut frigus rectà mammas petere perſentiunt, debiliorem ſcilicet particulam, atq; inſueto ſanguinis acceſſu laborantem. Sed hoc quamquam in omnibus fieri poſſe non negem: maxima tamen ex parte in illis animaduertes, quæ primam grauidationem experiuntur. *m Vt ſupra.*

Quatenus prædictis ſignis fidendum ſit: & quæ ſint potiora.

Atque hæc artificioſa mihi videntur indicia, quæ grauidationem oſtendere conſueuerunt. Quæ quidem ſi per ſe ſeorſum ſumas: nihil eſt, cur illis multam adhibeas fidem. Si omnia, aut plurimam partem in vnum componas: ſæpè rem aſſequi contingit. Quamquam ſi fiat, vt eas interroges fœminas, quæ ſæpè alias vtero geſſerunt, facilius adhuc fuerit, ex ſolitis quibuſdam ſignis, quibus illæ antea aſſueuerint, earum ſtatum deprehendere. Ipſæmet ſi quid certi habent, facilè enarrabunt. Verum ex his omnibus, quæ multa huc attulimus: aliqua præcipua tecum habeas velim: quibus ante alia fidendum ſit. Tradunt doctiſſimi quidam viri, multiſq; experimentis compertum eſt: duo eſſe præcipua, ex quibus fœminas vtero gerere planè dignoſcas. Primum, vt obſeruetur, ne foras effluat genitura: ſecundum ſi internè os vteri clauſum eſſe deprehendatur. Poſtea verò duo etiam alia non leuem prægnationis fidem faciunt: nimirum ſi poſt coitum modicus ille ſentiatur horroris ſenſus: qualem etiam poſt mictum interdum perſentimus: ſiq; aduentante menſtruæ purgationis tempore, aut doleant, aut intumeſcant mammæ. Verùm ſi cum his res agitur, quæ nihil ſponte confiteri volunt: negantq; omnia, quæ proponuntur: tunc reliquum eſt, vt ſola per digitum exploratio, aut ſub vmbilico compreſſio fidem aliquam facere poſſit: abſentibus tamen affectibus præter naturam, quæ & locum occludere, & dolorem præferre ſolent: additis interim faciei maſculis, ac quadam coloris defœdatione.

Digitized by Google

Quomodo vera grauidatio à mola diſtinguatur.

QVoniam ſæpè molæ in vtero conceptio etiam præſtantes fallit medicos, legitimam grauidationem illam exiſtere arbitrantes: ideò vt hoc etiam internoſcas: conſulendus Hippocrates n eſt: qui mola, inquit, ſi ſit, nihil in vtero moueri affirmat: cum tamen in vera prægnatione mas trimeſtris, fœmina quadrimeſtris moueatur. Atque id præterea, quod lac in mammis non generatur. Et Aetius, o mola, inquit, cui nomen eſt à motus difficultate, ac grauitate, primum ſanè conceptus ſuſpitionem de ſe præbet: nam & menſes ſupprimuntur, & mãmæ intumeſcunt, & ſtomachus ſubuertitur, & lumbi grauantur, venterq; attollitur. Verum temporis progreſſu diſcernitur: molam enim dolor pulſationis ſenſum referens ſubſequitur: nec in ea motus vllus, velut in vteri conceptu percipitur: quin & poſtea toto corpore imminuto, ac ventre ampliato, hydropis imaginem præ ſe fert: diſcernitur tamen ab illo per tumoris duritiam: & quod tumor his ad digitorum oppreſſionem, & pulſationem non cedit: neq; tympani ſonum velut in hydrope edit: & quod ad manus contactum nulla fluctuatio percipitur. Præterea cum multa ſint alia, quæ molæ cum vera prægnatione communia ſint. Illi tamen in omnibus certa quædam, ac peculiaris conditio eſt: nam quod in mola eſt cibi faſtidium, non quale in prægnante eſt: ſed cum quadam animi deiectione ſeſe exhibet: immodicus etiam appetitus non quieſcit oblata re concupita: vomitus ſunt peſſimæ conditionis: dolores grauiores acutioreſq;: animi deliquia: & denique omnia molæ ſymptomata morboſam quandam præſeferunt naturam: ac non obſcurè ab ea differentem, quam pati prægnantes ſolent.

n Lib. de ſterilibus.

o Tetr. 4. lib. 4. cap. 80.

De prægnantium vrinis: & quatenus quædam alia exploranda grauidationis experimenta fidem faciunt.

DVo adhuc ſuperſunt ſignorum genera, quæ ab antiquiſſimis naturæ obſeruatoribus afferuntur: alia nimirum, quæ ab vrina: alia, quæ à quibuſdam experimentis deducuntur. Ergo ne nihil ſit, quod in hoc loco poſſis deſiderare, hæc quoque in examen deduco. In principio prægnationis, inquit Auicen-

nae, p vrina apparet citrina: ſed quæ ad ſubalbedinem declinet: *p Vt ſup. 2.*
& eſt quaſi coctum in eius medio ſparſum: item eſt puræ ſubſtantiæ: & pendet nubecula: ſæpe etiam inſunt veluti grana aſcendentia, & deſcendentia: nec illa agitata conturbatur. In fine autem prægnationis quandoque apparet rubedo loco ſubalbedinis, quæ apparuerat in principio: item commota matula perturbabitur vrina. Atque hæc Auicennas. Alij verò hæc inſuper addiderunt: vt nimirum vrinam reddant prægnantes citreo colore craſſam, ac turbidam: & quæ leuiter concuſſa bullas, & granula è ſumma corona demittit: quod ſubſidet craſſum eſt, ac malè cohæret, carptæq; lanæ haud abſimile: & ſi vrina vino albo permiſceatur, fit ſimilis iuſculo elixarum fabarum. Verum huiuſmodi vrinarum indicia nec Hippocrates, nec Galenus vnquam meminerunt: ideoq; communis eſt multorum Doctorum ſententia, fallaciſſima planè eſſe: taleſq; à prægnante vrinas reddi arbitrantur; quales à cæteris etiam, quæ crudis abundant ſuccis: ac ventriculo ſunt nimia cruditate referto. Ego verò & ſi non auſim certiſſimam notam in prægnantium vrinis ſtatuere: attamen non tam facilè Auicennæ, aliorumq; grauium virorum teſtimonia, obſeruationeſq; reijcere poſſum. Nemo eſt, qui neſciat, quam diligenter, quam ſtudiosè illi rerum naturas indagarint: quam multum medicam artem ſua auxerint diligentia: vt indignum ſit, hęc illorum experimenta, quia Hippocrati, Galenoq; ignota fuerunt, nolle ad noſtrum vſum admittere. Et quamquam hæc ex vrina deducta indicia, dicant eſſe prægnantibus cum multis alijs communia: aſſero id quidem: ſed & menſtruæ purgationis retentio, mammarum tumor, cæteraq; alia, à quibus vniuerſa medicorum ſchola prægnantium ſtatum agnoſcit, multæ etiam, quamuis non grauidæ ſortiuntur. Quod ſi præterea hoc adijciant: vrinam oſtendere tantum, quæ in venoſo genere continentur: ne id quidem nego: ſed hoc ab his peto: cur nimirum grauiditatio immutare etiam venarum naturam non poſſit? conuocato, ſelectoq; ad vterum ferè optimo totius corporis ſanguine: cæteris venis illo deſtitutis: ac propterea ſanguinem minus benè conficere valentibus? Ergo ea mihi ſententia eſt, (dicant alij quidquid velint) & cætera ſigna ad grauidationis notitiam adhibenda eſſe: nec ea præterea contemnenda, quæ ab vrinis ſumuntur. Quarum quidem inſpectiones, vt incertas, ac fallaces conceſſerim: quia tamen perſuaſa eſt apud

Digitized by Google

vulgum opinio, certiſſimam inde prægnationis notam haberi: ideò in occulta grauidatione deprehendenda hactenus hæc perquiſitio iuuabit: vt, quæ fœminæ eius rei cauſa vrinam oſtendere coguntur, ſemper multas cunctationes, moraſq; interponere videas: quo vno indicio non obſcura prægnationis ſuſpicio, & quæ ad cætera viam præbeat, haberi poteſt. Varia autem experimenta, quæ prægnantes arguere ſolent, hæc ferè ſunt. Si

q 5. Aph. 41. velis, inquit Hippocrates, *q* noſcere, an conceperit mulier: cum dormitura eſt, ei aquam mulſam potandam dato: & ſi alui tormina patietur, concepit: ſin minus non concepit. Tormina autem addit Galenus, ex flatuoſo tunc ſpiritu fieri propter vteri anguſtationem exitum non habente. Hoc indicium teſtatur Aui-

r Vt ſupra. cennas *r* certiſſimum eſſe, atque experientia confirmatum: niſi tamen in his, quæ mulſam potare conſueuerunt. Iubet etiam Auicennas, vt fœmina ieiunans in die laboret: ſerò autem pannis inuoluatur, & ſuffumigetur infernè: quod ſi is fumus egrediatur ex ore, & naſo, nõ eſt prægnans. Verùm hoc ipſum etiam

ſ 5. Aph. 59. Hippocrates *ſ* commendauit, non vt grauidas: ſed vt fœcundas dignoſceret. Allium etiam ſubdere ſolet Auicennas: idq; ieiuno ventriculo: cuius deinde ſi ſopor, odorq; percipiatur, vteri pondere ſoluta eſt mulier. Verùm hæc ſigna eò quod ab illuſtribus medicinæ authoribus allata ſunt, haudquaquam damno: magna enim illorum authoritas eſt. Attamen ſi quando ego de grauidis mulieribus periculum facturus ſim, nunquam id genus tentarim experimenta: nam plena periculi ſunt: poſſuntq; & fœminas, & fœtum lædere. Quis enim neſcit, ſi tormina grauidis mulieribus excitentur: ſi aromatum ſuffimentum fiat: aut allium ſupponatur: poſſe hæc & menſes, & abortum excitare? Ergo dignoſcenda hæc quidem: ſed dignoſcenda tantum: nam ad vſum adhibuiſſe non admodum totum puto. Atque hæc prægnantium indicia ſunto: quibus quatenus fidendum ſit, ſatis hactenus expoſui. Quamquam illud etiam addiderim: ſecurius eſſe medicorum iudicium, ſi abſentibus his ſignis abeſſe prægnationem: quam ſi præſentibus adeſſe pronuntient: nam fit aliquando, vt cum enarratis ſignis nequaquam conceperit fœmina: ſine illis autem concepiſſe nullo modo poteſt.

Quibus

Quibus indicijs deprehendi poſsit, maſnè, an fœmina in vtero geratur.

DE ſignis vniuerſæ prægnationis ſatis pro viribus diſſeruimus: nunc illud etiam reſtat, vt dignoſcas maſnè, an fœmina in vtero geratur: nam quamquam rarò de hac re in publicis cauſis agere ſolemus: pulcherrimum tamen fuerit, ac planè artificioſum: non ſolum prægnantem eſſe fœminam: ſed quali etiam conceptu profiteri. Ergo dum in hanc cognitionem incumbis, illud ſemper ante oculos habeas neceſſe eſt: marem ſcilicet eſſe fœmina calidiorem, agilioremq́; ac minus excrementis redundantem. Quapropter quæcunque prægnantis notæ inſolidam quandam corporis caliditatem arguunt: eædem artificioſa ſequela maſculum intus conceptum eſſe ſignificant: quæ verò frigiditatem, fœminam: nam vt calidior conceptus tanquam efficiens cauſa prægnantis calorem & auget, & vigorat; ita frigidior eundem imminuit, ac reddit languidiorem. Sed ſigna hæc aut in prægnante intuemur, aut ipſe de ſe fœtus præbet: de quibus ita ſeorſum agendum eſt. Mulier grauida ſi marem conceperit, inquit Hippocrates, *t* benè colorata eſt: ſi verò fœminam malè colorata: etenim nunquam fœmina eſſet concepta, niſi viri ſemen, vel vterus mulieris frigidior illo tempore fuiſſet, in quo conceperit. Aſſimile autem vtero totius corporis temperamentum in prægnatione comparari magna ex parte conſueuit. Sed hoc ipſum ſignum firmius adhuc aliqui agnoſcunt: ſiquidem dextra gena coloratior appareat ſiniſtra. Ex ſpecie etiam doloris, qui prægnantem de more comitantur, præſtantem coniecturam duces: nam ſi leniores hi ſunt, ſed tamen longiores: quales frigiditas præſertim parit, fœminam geſtari ſcripſit Ariſtoteles: *u* ſi verò acres, ac moleſti, planè marem. Quamquam in vniuerſum maſculum conceptum facilius, quam fœmineum ferri, ab eodem *x* ſcriptum legimus. Atq; ob id Auicennas, *a* ſi mas, inquit, geratur, agilior, ac leuior eſt prægnans, atque omnia illius accidentia mitia apparent. Illudq; etiam ab Aetio * proditum eſt: in maſculo conceptu pulſum dextræ manus validiorem, velociorem, durioremq́; ac maiorem planè ſentiri: contra in fœmineo: quod vnum certiſſimum, ac minimè fallax indicij genus exiſtimauit. Mammæ etiam in conceptione

t 5. *Aph.* 42.
u 7. *De hiſtor. anim.* 3.
x *Vt ſuprà.*
a 3. 1. *Tract.* 1. *cap.* 13.
* *Tetr.* 4. *lib.* 4. *cap.* 9.

diuer-

diuersè ſe habent: nam ſi mas ſubſit, dextra amplior apparet; & magis adhuc papilla: quæ & ſolidior redditur, & ſurſum magis vergit: ſi verò fœmina, huiuſmodi eſt ſiniſtra: ac papilla magis deorſum nutat. Lac verò ſiquidem aquæ inſtillatum in ſuperficie conſiſtat: marem intus geri inditio eſt; ſi verò diſpergatur, fœminam. Sed à venis etiam extimi corporis nonnullam coniecturam facimus: nam in maſculo conceptu venæ omnes in dextro corpore magis conſpicuæ ſunt, ac tument: ſed quæ præſertim ſub linguæ ſunt: in fœmineo verò, quæ in ſiniſtro. Quòd ſi fiat, vt pedes, & tibiæ magis tumeſcant, atque exulcerentur, fœminam geri ſcripſit Ariſtoteles. b Quod verò proditum ſit à nonnullis in maſculo conceptu dextram pedem ſemper in ambulando præponi, quod ter Raſis veriſſimum ſe expertum fuiſſe affirmauit: tum etiam inter ſurgendum ſuper dextram manum prægnantem inniti: nihil obſeruationes contemno. Sed Medico, qui artifex eſt, alia ſciendi ratio proponi debet. Cæterum quæ ab ipſo fœtu exhibentur ſigna ita tandem expono. Fœtus mares quidem in dextris, inquit Hippocrates, c fœminæ verò in ſiniſtris magis. Aequum enim eſt, calidiorem conceptum in calidiori etiam vteri loco generari: atque ibi ſeſe commouendo prodere: talis eſt dexter: qui & propter hepatis vicinitatem, & quoniam dexter teſticulus ſemine abundat calidiori, ac minus ſeroſo, non immerito calidiorem etiam temperaturam præ ſe fert. Et quamquam videatur nonnullis, inquit Galenus d in ſiniſtra parte cor locatum eſſe: reuera tamen in medio eſt pectore: percipitur autem pulſus magis in hac parte: quoniam ſiniſter cordis ventriculus ibi ſeſe mouet. Ex his igitur colligitur, mares cum in dextris loculis potiſſimum generentur: ibi etiam moueri, agitariq; : ac proptèrea quibuſcunque hac in parte motus præſertim percipitur, marem intus eſſe ſignificari. Hoc ſignum ab Hippocrate prius obſeruatum, cætera deinde medicorum ſchola, diſcrepante nemine admiſit: ac præſertim Galenus: qui & ſexto e epidemiorum libro, & quinto f aphoriſmorum, & decimoquarto g de vſu partium, atque alibi ſæpè de eo pluribus diſſeruit. Ego verò non equidem audeo magnorum virorum placita aliqua ex parte conuellere. At quia hoc ſigni genus ab ipſa rei natura deductum eſt: non autem ab hominum pendet voluntate: intuenti mihi quę in corpore ipſo geruntur, hoc Hippocraticum placitum perſuaderi nunquam valuit; ac propterea

b 7. De hiſtor. animal. 4. & Auic. vt ſup.

c 5. Aph. 48.

d 6. Epidem. 2. 44.

e Vt ſupra.

f Aphor. 48.

g Cap. 7.

non

non poſſum id, quod ſentio non libere profiteri. Galenus primo libro *b* de ſemine ſemen, ait, in toto vtero concipitur, atque vndique ac amplectitur: nec magis vnam partem, quam aliam: ac cum multa animantia prægnantia diſſecuiſſet: ſemper tamen vuluæ fœtibus prorſus cohærentis cernebantur: ſiuè maiores, ſiuè minores, ſiuè penitus parui extitiſſent. Ex his vides nullum ſitus diſcrimen fœtibus in vtero eſſe: alioquin fuiſſet neceſſe, vterum diuerſa parte ab ea, vbi infans mouetur, vacuum eſſe, ac ſecundarum vinculis ſolutum. Et quamquam dixeris perpetuum hoc non eſſe ſigni genus: ſed magna tantum ex parte: dum *i* ſcilicet ſiniſtra pars à vi coloris, qui ſemini ineſt, ſubacta maſculum pro fœmina fieri permittat: neſcio tamen qui poſſit fœtus aliquando magis in vna parte vteri, quàm in alia conſiſtere: nec quomodo ad dextram magis, aut ad ſiniſtram vergere: totum enim vteri ſpatium ipſo æquè complectitur. Proinde quantum huic ſigno tribuendum ſit, his, qui rebus ipſis magis, quàm ſcriptorum authoritate ducuntur, conſiderandum relinquo. Illud fateor magis probabile, ac naturæ conſentaneum eſſe, quod ab ipſo etiam Hippocrate *l* recenſetur: vt in maſculo conceptu citius motus percipiatur: tardius in fœmineo: cùm enim poſitum ſit marem eſſe calidiorem: idcirco neceſſe etiam eſt, illum ad motum promptiorem eſſe. Spatium verò, quò primum moueri fœtus ſolet, varium planè eſt: nam Hippocrates, *m* maſculus, inquit, poſt tres menſes mouetur: fœmina poſt quatuor. Et Ariſtoteles *n* mares, inquit, fœtus magna ex parte circa quadrageſimum diem dextro potias latere mouetur: fœminæ ſiniſtro circiter nonageſimum. Ergo cum incerta hæc ſint temporum ſpatia: illud etiam ab eodem authore veriſſimè proditum eſt: neque in hoc ipſo, neque in alijs aliquid certi ſtatui poſſe: hæc enim, inquit, & reliqua huiuſmodi ſic accipimus, vt magna ex parte accidant: ac magis, minuſuè. Quin etiam illud aliquando euenire accipimus, *o* vt mulieres melius habeant, cum vterum gerunt. Ergo horum ſignorum ea vis eſt, vt ſingula per ſe huic cognitioni vix aliquid præſtent: plura autem ſimul ſumpta, non prorſus incerta ſint. Sed de grauidarum notis hæc ſatis.

b Cap. 2.

i 14. De vſu part. 7.

l De nat. pueri, & 1. de morbis mulierib.

m Lib. de natura pueri.

n 7. De hiſt. anim. 3.

o Ariſtot. vbi ſupra.

Vtrum ad molæ conceptum virile ſemen neceſſariò requiratur. Cap. V.

Scribendi occaſio.

MVLTI ex illuſtribus Medicis, atque Philoſophis, qui in perſcrutandis rerum cauſis diligenter verſati ſunt: molæ conceptum, niſi virili ſemine admixto, nequaquam fieri poſſe, meminerunt: vt propterea malè de his fœminis ſentiendum eſſe videatur, quæ cùm iam coniunctæ viro non ſint: molam tamen in vtero ferant. Scioq; non ignobilem virum: nec huiuſmodi ſpeculationis ignarum, cum diu domo abfuiſſet, atque in reditu vxorem mola laborantem inueniſſet, de adulterio ſuſpicatum fuiſſe. Quocirca ſi vnquam hæc cauſa à Medico dicenda eſt: ne incertis, ac dubijs itineribus diu erret: operæpretium fiere duxi, vt quid reuerà ſentiendum ſit hoc in loco explicem. Quod quidem ne ſine ordine proponatur: iubet prius diuerſas authorum ſententias in medium afferre: poſtea verò poſitis quibuſdam principijs, vnde elicienda ſit veritas, propoſitæ quæſtionis concluſio ſtatuetur.

De molæ cauſis varia authorum ſententia.

p Cap. 7. GAlenus libro de vſu partium decimoquarto, p dum maris, ac fœminæ procreationis principia contemplaretur: ac fœmineo ſemini ad hoc nullum ineſſe motus principium aduerſus Ariſtotelem affirmaret: videret tamen, volucres oua, quæ imperfectos quidam conceptus ſunt, ac molæ proportione reſpondent, ſine maribus gignere. At, inquit, non ita aliquis mulierem vidit aliquãdo ſine viro, vel molam, vel huiuſmodi quidpiam concepiſſe. Ariſtoteles q quoque, quoniam molam, ait,

q 4. De gener. animal. grauidis tantum mulieribus, & quæ concubuerunt, euenire obſeruat: ob id ſine virili ſemine contingere illam non poſſe clariſſimè ſignificauit. Atque Auerroes r molæ cauſam hinc eſſe ar-

r In prædicto com. Ariſt. bitratur, quia natura non concordat inter duo ſemina in qualitate, & quantitate: tum etiam quia ſemen maris eſt malæ complexionis. Hos autem multi deinde, ac præſtantes doctrina viri

ſecuti

ſecuti ſunt duces. Adeoq; putant ad molæ conceptum virili ſemine opus eſſe, vt nullo modo à ſententia remoueri poſſint. Ex alio autem latere Auicennas decimo libro de natura animalium, molam generari, ait, cum mulier coitum ſomniat, & clauditur os matricis. Ac Plinius ſ ex communi ſententia molas gigni putat, vbi mulier non ex mare: verum ex ſemetipſa tantum conceperit: ideò nec animari, quia non ſit ex duobus: altricemq; habere per ſe vitam illam, quæ ſatis arboribuſq; contingat. Fernelius t etiam, recentiorum medicorum doctiſſimus, fieri, inquit, non poteſt, vt vel mas per ſe, vel ſola fœmina ex ſeipſa animal perfectè generet: quamquam plerumque rudem quandam, & inchoatam molem producit: quod de mola, & ſubuentaneis ouis compertum habemus. Quapropter mulieres molas proprij dumtaxat ſeminis vi, nullo viri concubitu concipiunt: quæ propterea quædam tantum eſt procreationis obumbratio, & nodis materiæ concretio: quam maris ſemen ſi ſuis extructum viribus acceſſiſſet, numeris omnibus abſoluiſſet. Hoc idem etiam Gordonius * magni vir experimenti memoriæ reliquit: dum molam, ait, concipi, cum multitudo ſeminis calidi currit ad matricem, cum carentia ſeminis virilis. Leuinus u Lemnius, etiam in virginibus molam concipi affirmauit: quod præterea eruditiſſimus Scaliger x pluribus oſtendit, authore Afranio: qui molucrum, ideſt molam virginum eſſe vitium memoriæ prodit. In hac autem controuerſia quoniam Hippocratem quiſque ſuum eſſe vellet: putant aliqui cum Galeno, atque Ariſtotele de molæ conceptu ſentire: mihi autem cum attentè illius verba expenderem, nihil certi de ha re attuliſſe videtur: nam ſecundo libro de morbis muliebribus, ſi mola, inquit, innaſcitur à craſſa genitura, thymbram præbeto, &c. Et libro a de ſterilibus, molæ, inquit, conceptus cauſa eſt, cum multi menſes modicum, & morboſum ſemen conceperint: neq; fœtus rectus ſit, &c. Neſcias igitur ſi genituræ, ac ſeminis appellatione, fœmineum, an maſculum, an vtriuſq; potius intelligat: commune enim nomen eſt. Quapropter in hac controuerſia nemini fauet Hippocrates: ac ſpectator tantum ſedet. Ergo ex his, quos proximè attuli, ac multis etiam alijs illuſtribus medicis, quos nunc nihil attinet recenſere, ſatis conſtare arbitror, ad molæ conceptionem nequaquam virili ſemine opus eſſe. Sed in hac contentione ſiquidem authorum dignitas ſpectetur, priorem

ſ Libro 10. cap. 64.

t 7. de homin. procreat. cap. 1. & 6.

* Par. 7. c. 18.

u 4. de occult. nat. mirac. cap. 19.

x In Ariſtot. 10. de hiſtor. anim.

a Poſt med.

ſententiam cæteris omnibus potiorem ſemper ducam: quam ſcilicet Galenus, atque Ariſtoteles tulerunt. At quia non quid illi ſentiant: ſed quid naturæ, ac rebus ipſis conueniens ſit, hoc in libro perquirimus: ideò cum diu multumq; ſuper his cogitaſſem; alij longè melius ſentire mihi videntur. Sed ne temerè hoc dixiſſe videar: ita mei conſilij rationem breuiter abſoluo.

Ponuntur principia quædam; & quæſtionis determinatio.

SEmen à fœmina emitti, & quidem fœcundum pleniſſimè demonſtratum eſt à Galeno: *b* nam illa & teſtes habet: quique ſemine pleni interdum ſint, & vaſa item ſpermatica, vt ex diſſectionum euidentijs perſpectum eſt. Hoc ipſum etiam non obſcurè ſignificauit Hippocrates libro *c* de genitura, dum ait in muliere, & in viro tum maſculam, tum fœmineam eſſe genituram. Præterea verò illud à Galeno *d* didicimus, menſtruum ſanguinem quamquam magna ex parte materiam præbeat, habere tamen aliquod effectiuum principium. Quapropter credendum eſt, fœminæ vim aliquam, & facultatem ineſſe: nec ſolam fœtui materiam ſubminiſtrare. Hoc tantum intereſt, quod imperfectum eſt ſemen fœmineum, atque frigidius, ideoque etiam viribus inferius. Quamobrem ſi fœminam ponas, quæ calidiori temperamento ſit: & valdè calidum ſemen, ac ſiccum generet: hanc affirmat Galenus, *e* etiam ſine viro, quantum in ſe eſt, concipere poſſe. Sed quia, inquit, quæ huiuſmodi eſt, excrementis, quæ ad ſeminis alitionem ſufficiant, minimè abundat: ob id integrum fœtum concipere non poteſt. Sic volucres quoniam ſicciorem à natura habent temperaturam, ſine maris concubitu oua generant, quæ veluti fœtus ſunt imperfecti, ac maſculi caloris vigore egentes. Ergo quoniam ſatis conſtare arbitror, fœminam vim etiam aliquam habere effectricem: nihil video, cur in vtero, & ſi non integrum fœtum, ac cunctis numeris abſolutum: at ſaltem rude aliquid, atque imperfectum concipere non poſſit: effuſo ſcilicet proprio ipſius ſemine, ac eum ſanguinem nacto, à quo in corpus aliquod ſimul concreſcat. Quid? quod in alijs etiam corporis particulis, non in vtero tantum ſimile aliquid generari frequenter ſolet: in quo ſcilicet formatrix vis ſeminis ſuam actionem exerceat. Nemo eſt, qui atheromata, ſteatomata, & reliquos alios tumores, qui ex ſucco pituitoſo enati, in tenui qua-

b 2. De ſem. cap. 1.

c Ante finem.

d 2. de ſem. 2.

e 2. de ſem. 4.

quadam membrana continentur, aliquando non viderit: ac quemadmodum in ſuperficie multæ venulæ diſpergantur. De his ſcio anxiè perquiſiſſe aliquos, quanam ratione in tumore præter naturam genito, membrana, ac venæ adgenerentur. Ego autem ita quidem ſentio. Facultas corporis, quæ nutrimentum aſſimilat, quam etiam nonnulli doctiſſimi viri *f* generantem, ac formatricem eſſe veriſſimè crediderunt, dum pituitoſam materiam, quæ in ſubcutanea ſpatia decubuit, in aliti ſubſtantiam conuertere non poteſt: eandem nititur, quaſi in ſuo opere luxurians: vt in monſtris nonnullis contingit, aliquâ ratione efformare: ac ſiquidem liceat, membris diſtinguere: at quia inepta materia eſt, ineptus locus: ideô membranam tantum, ac venas: quibus velut munimentis in concipiendis fœtibus ante alia vti ſolet natura, in illis adgeneratas cernimus. Hoc autem in pituitoſis his tumoribus præſertim fieri obſeruamus: nam quæ illis ſubiecta materia eſt, nec mordax eſt, nec putris: ſed ſolo lentore, ac craſſitie inutilis: ideoq; non admodum à naturali conditione aliena: namq *g* & pituita aliquando pro ſanguine abuti ſolet natura. Nec mirum etiam videatur, ſi facultatem generatricem, quæ in ſemine tantum reſidet: in alijs etiam, ac remotiſſimis partibus ineſſe dixerim: nam *h* præterquam quod ſeminalis materia, quæ velut imperfectum eſt ſemen, per ſingulas partes, velut ros quidam, diſperſa eſt: illud etiam valdè probabile eſſe arbitror, ab aſſimilatrice, aut nutriente facultate nihil hanc differre, quæ informat, ac generat. Si igitur membrana, ac venæ per habitum corporis vltra naturæ inſtitutum gigni poſſunt: cur non in vtero mola? quæ informis eſt caro, atque otioſa: & cui efformandæ non materia ſeminalis: ſed ipſummet ſemen, ſuam perfectionem in teſtibus aſſecutum, præſto eſt. Hæc igitur mihi nullis difficultatibus perplexa eſſe videntur: nam quod putant aliqui, ex corrupto viri ſemine molam progigni: hoc ipſum molæ durities, quæ vix ferro tranſigi poſſit, nequaquam admittit: didicimus enim ex Ariſtotele, *i* quæ corrupta ſunt, ac putrefacta, ſtatim etiam humeſcere: illo calore diſſoluto, vnde particulæ continebantur. Quamobrem veriſſimè ab eodem *l* ſcriptum legimus, molam non à putredine: ſed propter caloris debilitatem, ac cruditatem fieri: ac tum demum, cum ex humore concoctu difficili côceptus conſiſtit. Ergo ea mihi ſententia eſt, quam fidiſſimis naturæ argumentis ſtabiliſſe videor, vt nullo viri

f Valleſ. 2. contr cap. 19.

g 2. Prog. 33. & 4 ſanita. tuen. cap. 5.

h 1. De ſem. cap. 13.

i 4. Metheorol. cap. 2.

l 4. De gener. anima. 7.

Digitized by Google

ſemine ad illius conceptum neceſſe ſit. De Galeno autem nihil dico: dicant, ac iudicent alij, quicunque de rebus ingenuè ſentiunt.

Quot dierum fœtus in vtero animam rationalem accipiat. Cap. VI.

Scribendi occaſio.

QVO primum tempore incluſus in vtero fœtus rationali anima exornetur: ac verè homo euadat: hoc quoque nouiſſe ad medicas relationes pertinere mihi videtur: nam, quoniam his, qui per vim, ac dolum abortum committunt, certæ à legibus pœnæ ſtatutæ ſunt: ac grauiores adhuc, ſi animatus eiectus ſit fœtus: minus graues ſi ſine anima: diſcrimen hoc internoſcere medicorum eſt munus: quippe qui humani corporis fabricam, primamq; efformationem tenere, ac tradere ſuo iure debent. Vtile ergo reipublicæ, ac quibus rerum gerendarum ius eſt, hoc argumentum fuerit: iucundum etiam, ac gratum philoſophicis ingenijs, quæ rerum naturæ ſtudio detinentur: nam quæ noſtri conceptus prima, ac remota principia ſint, quod hominis incrementum, atq; perfectio, non ſine animi voluptate accipere ſolemus.

Duo eſſe tempora, quibus animam rationalem fœtui primum immitti arbitrari licet.

DVo eſſe tempora videntur, quibus conceptui animam rationalem infundi quiſpiam exiſtimet: Primum momentum illud: quo in vterum coniectum ſemen concipitur: alterum diſtincto iam membris, atque organis animali, & primam corporis perfectionem adepto. Argenterius, m & celebres quidam alij medici, in ſemine hominis animam hominis actu ſemper ineſſe affirmauit: ſemen enim ſemper habere rationem agentis, opificiſq;: quod fieri nequaquam poſſet, ſi potentia illa tantum ineſſet. Quamobrem concludit, ſemen hominis hominem eſſe: hactenus tamen differre, quod expreſſa, ac delineata membra non habet: ideoque dictum eſſe ab Ariſtotele, ſemen eſſe potentia manum, caput, atque alias partes, aitq; præterea hominem

m *In 2. art. medic. de temperat. teſt. & Nicol. de gener. in cõmuni, cap. 16.*

nem in ſe hominem gignere, quoniam in ſe ſemen gignit. Galenus etiam, ſiuè quiſquis alius ſit, eius libelli author, qui inſcribitur, an animal ſit, quod in vtero [n] eſt, pluribus verbis demonſtrat, animam vnà cum iacto in vterum ſemine à creatore vniuerſi inſitam eſſe, vt gubernandi vim corporis haberet. Verùm complures alij Philoſophi, ac Medici, qui de rebus ſtudioſius perquirunt, ac ſentiunt, in diuerſam ſententiam abierunt: animamq; rationalem nonniſi poſt aliquot à conceptu dies, cum ſcilicet perfectio aliqua in corpuſculo inducta eſt, à Deo Optimo Maximo creatam eſſe affirmant. Et reuera indignum eſſe videtur, humanam formam, quæ omnium eſt præſtantiſſima, rudem, atque informem ſubſtantiam, nulliſq; organis elaboratam actuare. Doctiſſimè igitur Ariſtoteles, [o] ſemen nequaquam actu animam habere demonſtrat: ſed priuſquam in vterum coniectum ſit, potentia tantum illam ineſſe: poſtea verò in actu: ſed hoc ordine: vt ſit primò quæ vegetandi: deinde quæ ſentiendi: poſtea verò, quæ intelligendi vim habet. Nec tam vrget, quod aiunt, ſemen habere rationem agentis: nemo illud negarit: ſemper enim conceptum ſemen in agendo verſatur: nunquam eſt otioſum: verum facultates, quibus agit, non ſimul, atque eodem habet tempore: nam pro varia materiæ aptitudine, nunc ſtirpis, nunc animalis, nunc hominis vitam viuit. Ergo cum ſatis conſtare putem, rationalem animam aliquot à conceptu diebus creari: non ita tamen omnibus notum eſt, quo præſertim tempore id ipſum contingat. De quare quoniam multæ diuerſæq; ſententiæ circumferuntur: præſtiterit in his paululum immorari: vt quid verè ſentiendum eſt, palam fiat.

[n] Cap. 4.

[o] 1. De gener. anim. cap. 1. & 3.

De quatuor fœtus temporibus: ac quot diebus diſtinctio membrorum in vtero perficiatur.

QVatuor [p] ſunt tempora, quibus fœtus in vtero, quaſi per quoſdam gradus formatur, ac nouam perfectionem acquirit: primum eſt, cum ſpecies ſeminis apparet; ac genituram vocat Galenus: quod etiam tempus ſpumificationis quidam appellant: turget enim tunc ſemen, & ſpuma quadam intumeſcit. Tunc etiam vim ſeminis informatiuam agere, inquit Auicennas, [q] nihil dum ex vtero ſugendo. Atque, vt Ariſtoteles ſentit, vitam ſtirpis omnino tunc ſemen viuit. Et alij talo ſemen Zooph.tis

[p] 1. De ſem. cap. 9.

[q] 21. 3. Trac. 1. cap. 3.

phitis potius animalibus aſſimilant: quæ ſcimus inter plantas, & animalia ambigere. Secundum verò eſt tempus, vbi ſeminis ſpecies eſſe deſinit, ac ſanguine repletur: & veluti carnea ſub apparet ſubſtantia: quo etiam tempore cor, cerebrum, ac iecur informem quandam atque indiſtinctam coagulationem præſeferunt: & fœtus reuerà dicitur, quod in vtero eſt. Tertium autem formationis tempus eſt, cum tria illa principia diſtincta quidem intueri licet: ſed aliorum membrorum indiſtincta apparet delineatio: ac venter vix diſcernitur: brachia autem, & crura adhuc obſcurius. Atque hoc tempus ramificationis nuncupauit Hippocrates. Quartum verò illud eſſe aiunt, cum brachia, ac crura diſtincta videntur: & tunc non amplius fœtum: ſed infantem appellant. Ergo cum hoc tempore perfecta quædam membrorum diſtinctio, ac veluti abſolutio operis eſſe videatur: veriſimile eſt, ac ſatis inter grauiſſimos philoſophos conſtitutum, illo tempore animam rationalem creari. Sed hæc cum vera ſint: haud tamen conſtare videtur, quot diebus ſingula hæc tempora, ac quartum præſertim definiatur. Quæ res quoniam omnium maximè à nobis expetitur: ideò perquiſitis aliorum philoſophorum ſententijs: tandem quid de re ipſa ſentiendum ſit, vltimo loco ſtatuemus. Primum quidem tempus Hippocrates, [r] atq; ab eo cætera medicorum ſchola ſex dierum eſſe ſtatuit, facto periculo in puella cantatrice; quæ cum ſexto iam die vtero gereret, illius admonitu abortum fecit, inſtar ſcilicet oui ſubuentanei. Secundum eſſe nouem dierum affirmant alij: [ſ] ac tertium duodecim: vt vigintiſeptem diebus vniuerſa hæc tria tempora comprehendantur. Quamquam hoc opus interdum vno, aut duobus diebus maturius, tardiuſuè abſolui nihilominus putent. Quæ dierum diſpoſitio priſcis etiam temporibus à Pythagora tradita fuit: vt apud Conſorinum videre eſt libro de die naturali. [t] Sed in his haud plurimum ſolliciti eſſe debemus. Quicunque enim ſit illorum terminus, quoniam de animæ infuſione certiores inde fieri non poſſumus: nec in eo abortu vllam hominis iacturam fieri putamus: ideò de quarto, quod diſtinctionis, ac formationis tempus appellant, diligenter eſt perquirendum. Hippocrates [u] magnus naturæ interpres, fœmella, inquit, in vtero quadraginta, & duobus diebus, vt longiſſimè primam coagmentationem, ac coarticulationem accipit: maſculus verò, vt longiſſimè in triginta: vt plurimum enim in hoc tempore

[r] *De natura pueri.*

[ſ] *21. 3. Trac. 1. cap. 2. D. Auguſ. lib. 83. quæſtion. quæſt. 56.*

[t] *Cap. 11.*

[u] *De natura pueri.*

pore, aut paulò breuiore, aut paulò longiore articulatio ipſa contingit: nam & purgatio fit a partu, vtplurimum in fœmellis quidem diebus quadraginta duobus: atque hæc tardiſſima, & perfecta: in maſculo autem purgatio fit diebus triginta: & hæc tardiſſima, & perfecta eſt. Atque hæc Hippocrates: qui, vti vides, & diſtinctionis tempus, quot dierum ſit, ante oculos poſuit: & viam quoque explicauit: qua in eius rei cognitionem venerit: tempus ſcilicet expurgationis poſt partum, cum tempore diſtinctionis conferendo. Sed tametſi ingenioſa huiuſmodi eſt explicatio: omnium tamen promptiſſime, optimèque oculata ipſa inſpectione aduerti res poteſt: quam etiam diligentiſſimè author exequendam docet: *x* nam multæ, inquit, mulieres puerum maſculum perdiderunt paulò antè trigeſimum diem: & inarticulatus apparuit: qui verò poſterius perditi ſunt: aut ſimul cum trigeſimo die: omnes articulati apparuerunt. In fœmella itidem iuxta rationem quadragintaduorum dierum habet: nam vbi his abſolutis perditur, articulatio membrorum apparet. Sed quæ ratio ſit, quòd tempus formationis expurgationi poſt partum æquale eſſe debeat, pulchrè idem *a* declarat. Primis, inquit, geſtationis diebus exiguum ſanguinis in vterum deſtillat: nam ſi aceruatim, ac multus veniret, infantem obrueret, (quamquam *b* illo etiam tempore natura ideò minimum fœturam auget: quoniam in diſtinguendo magis eſt occupata.) Creſcente autem fœtu copioſior pro rei exigentia venit. Hoc ipſum igitur, quod principiò minimo fluxui deerat, rependitur in purgatione poſt partum: at quia exiguus ſanguis deſtillat in vterum vſque ad exactam corpuſculi formationem, quod tempus triginta eſt dierum in mare: in fœmina duorum, & quadraginta: ideò æquum etiam fuerat, vt tot diebus poſt partum efflueret ſanguis: quot principio in vtero quaſi ſuppreſſus retinebatur: quam æquam, ac iuſtam repenſionem ipſe talionem vocauit. Hoc idem etiam ſignificaſſe videtur Ariſtoteles ſeptimo *c* de hiſtoria animalium: dum purgationes à partu eodem dierum numero, ac purgationes in vtero compleri ait. Sed hactenus de Hippocratis placito. Ariſtoteles *d* verò, mares, inquit, fœtus magna ex parte circa quadrageſimum diem: fœminas circa nonageſimum perfici: quo tempore ſi excidat abortus: illum apparere ait, magnitudine formicæ maiuſculæ, ac membra diſcreta eſſe: item genitalia, & oculos. Aſclepiades autem, teſte Plutarcho, *e* maſculos quin-

x Vt ſupra.

a De natura puer.

b de fet. form. cap. 3.

c Cap. 3.

d 7. De hiſtor. animal. 3.

e De hiſt. philoſ. in vlt.

quageſimo die: fœminas quarto menſe conſummari in vtero ait. Auicennas *f* minimum formationis tempus ſtatuit trigintaquinque dierum: rarò vſque ad quadrageſimumquintum produci. Et alibi *g* à trigeſimo die vſq; ad quadrageſimum formari fœtum affirmat. Fernelius *h* magnæ authoritatis Medicus, cum die vigeſimoprimo partes omnes diſpoſitas, & conformatas quodammodo apparere ſtatuiſſet: perfectas illas tamen eſſe ait, in maribus quidem die trigeſimo: in fœminis trigeſimoſexto, aut certè quadrageſimo: ac tandem animam à ſummo Conditore creatam in præparatum, inſtructumq; corpus temporis momento commigrare: atque id quarto *i* menſe. Ambroſius *l* Paræus, anima, inquit, in corpus migrat, ſimul atq; id perfectam in vtero diſtinctionem, & conformationem adeptum fuerit: quod maribus ferè ab inſito, atque informante calore vegetiore contingit die quadrageſimoquinto: alias citius, alias tardius, pro agentis efficacia, & ſubiectæ materiæ obedientia. Dominicus *m* quidam Terelius pluries à ſe obſeruatum eſſe teſtatur, articulationem fieri ferè in quarto menſe: & hoc eſſe tempus: in quo intellectus accedit diuinitus, & homo fit. Ludouicus *n* Mercatus, certum eſt, inquit, marem intra trigintaquinque dierum ſpatium: fœminam intra quadragintaquinque ad ſummum formari, & rationali anima exornari. Qui verò iuris Canonici *o* decreta profitentur: fœtum, aiunt, maſculinum ad quadrageſimum diem ſine animæ infuſione perdurare: fœmininum vſque ad diem octuageſimum: nam tot diebus immundam eſſe fœminam poſt partum. Atque hi mediam viam tenentes, nec breuiſſimum terminum cum Hippocrate: nec longiſſimũ cum Aſclepiade elegerunt. Sed Ariſtotelis placitum, quòd inter vtrumq; ambigit, modificatum ſacræ legis authoritate, cæteris prætulerunt. Scriptum eſt enim in Leuitico, *p* ne mulier, ſi maſculum pepererit, ſanctuarium ingrediatur ante quadrageſimum diem: ſi verò fœminam, ante octuageſimum: tot enim diebus immundam eſſe: atque in ſanguine purificationis manere: etenim dictum eſt, tot diebus in vtero fœtum abſolui: quot menſtruæ purgationes poſt partum procedunt: vt iam liceat hinc colligere terminum hunc eſſe omnium perfectiſſimum. Vides igitur, quàm variæ, quàm diuerſæ inter ſe ſint authorum ſententiæ. Quos ego tamen nec erroris, nec incuriæ arguo: etenim in iſtorum diligentia, ac literis ſtat omnis naturæ notitia. Ac credo,

quod

f 21.3. Trac. 1. cap. 2.
g 9. De anim. cap. 10.
h Lib. 5. c. 10.
i Ibid. c. 13.
l Li. 23. c. 11.
m 1. De gen. & part. hom. 19.
n 3. de affect. mulicbr. 6.
o Hoſt. lib. 3. de purifi. poſt partum, & Nauar. Enchir. cap. 15. num. 14.
p Cap. 12.

quod illi diutina obſeruatione cognoſcere potuerunt: id quoq; fideliter poſteris tradidiſſe. Proinde perſuaſum eſt mihi, rem ipſam, de qua quærimus, variam eſſe: nec ſimiliter ſemper conſtare. Sed ne hoc mirum puta: nam & cætera etiam naturæ opera eadem incertitudine vagari ſemper ſolent. Hoc vnum affirmant omnes, citius marem, quàm fœminam formari, ac perfici: nam, vt veriſſimè ſcriptum eſt ab Hippocrate, *c* genitura fœminea debilior eſt, atque humidior, quam maſcula: ideoq; & poſterius conformatur fœmella: cuius etiam purgatio eſt diuturnior. Quod autem quæ humidiora ſunt, tardius figuram, ac formam accipiant: citius autem quæ moderatã ſiccitatem habent, pluribus demonſtratum eſt à Galeno ſecundo libro *d* de ſemine.

c De natura pueri.

d Cap. 5.

Quomodo ſtatuendum ſit, abortiuum fœtum animatum fuiſſe.

PRopoſitum varijs Philoſophorum, ac Medicorum ſententijs, quas de tempore diſtinctionis fœtus aduertere hactenus potui: reliquum eſt, vt an quidpiam certi aliquando à medico referri poſſit, paucis exponem. Mihi dubium non eſt fœtus formationem, quoddam eſſe opus naturæ, quod certum ſeminis, ac menſtrui ſanguinis temperamentum ſequatur: quod quia multiplex eſt in diuerſis hominibus: imò in iiſdem quoque ſi temporum momenta euaries: nihil propterea mirum, ſi incerti quoque ſint termini, quibus in vtero fœtus perficiantur. Quamobrem veriſſimè Galenus, *e* fœtibus inquit, neque expreſſæ formationis, neque abſolutionis, neque egreſſus in lucem, vnus præfinitus terminus eſt. Et Hippocrates cum libro de alimento varias de fœtus figuratione ſententias propoſuiſſet: deniq; ſic ait: non eſt, & eſt: quo quidem dicendi genere clariſſimè ſignificauit, nihil horum perpetuum eſſe. Ergo ignota erunt omnia? nec quid verè ſtatuendum ſit, finiri vnquam poterit? Audi igitur; Facto abortu, atq; in conſpectum iam poſito, ſiuè vltro hoc fiat, ſiuè cæſo vtero: nulla facilior eſt iudicandi via, quàm eius corpuſculum intueri: nam ſi expreſſa, ac diſtincta appareant membra: indubiè referes animatum fœtum fuiſſe, quocunq; tempore illud obtingat: ſi verò aliter eſſe videatur: nullo pacto hominem fuiſſe affirma. Ariſtoteles *f* in frigidam aquam abortum conijcit: ſic enim tenellum corpus cogi, ait: atque in membranula conſiſtere; nam ſi in quoduis aliud immittas, diffunditur, atque

e De fœtus format. 1.

f 7. De hiſtor. anim. 3.

aboletur. Vt autem fœtus particulas, ac configurationes exploret, membranulam illam diſrumpit: ſic enim omnia in aperto fieri. At quoniam perfectum abortum ſæpius à ſe obſeruatum Fernelius g omni ex parte diligenter deſcripſit, ac pœnè delineauit: ideò eius orationem, in qua, tanquam in ſpeculo intueri rem omnem poteris, adducere huc libuit. Sæpè, inquit, obſeruauimus die quadrageſimo eiectum fœtum ſemidigiti magnitudine, verè ac prorſum conformatum: & cuius partes omnes excepto iecore, albæ, ac ſpermaticæ cernebantur. Caput par erat auellanæ, & maius, quàm pro reliqui corporis ratione: oculi vt cancris exerti: naſus, auriculæ, brachia, manus, crura, pedes, hiſq; ſecreti digiti: penis conſpicuus, ſub quo ſcrotum milij magnitudine. Superiora autem inferioribus maiora: nullo oſſium robore: ſed flexibilia quocunque ducerentur: omnia contecta cute tenuiſſima, & pellucida, per quam interiora cernebantur, alba omnia, & ſeminis æmula, nullo carnis, aut ſanguinis rubore perfuſa: vnum tamen iecur rubrum inerat, amplum, & recens concreto ſanguini perſimile, &c. Ergo ſi fœtum intueri aliquando liceat, haud difficilè deprehendes, an illi anima indita fuerit. Quod ſi huius rei nulla dabitur facultas: reliquum eſt, vt certum dierum conceptionis numerum tecum conſtituas: quem tamen quoniam diximus, diuerſum ab authoribus traditum eſſe. Ideò in referenda ſententia hoc temperamentum ſeruabis: vt ſiquidem abortus crimen apud iudices puniendum ſit: ac reus tua expectata relatione homicidij damnandus: longiſſimum tempus, quod quatuor menſium ex Aſclepiade, multiſq; alijs eſſe diximus, ſemper præferes: facta interim nonnulla reliquorum mentione: nec ita tamen referes: vt neceſſarium, ac perpetuum illum terminum putes. ſed ad quem ſæpè deuenire res ſoleat. Audio etiam iudices ipſos pro reo ſemper in ambiguis ſtatuere conſueuiſſe: vt propterea ſi dubia ſint omnia: tunc & fœminam eſſe conceptam præiudicio decernes: & nonniſi poſt quatuor menſes animam creatam fuiſſe. At ſi inexpianda abortus crimine conſcientia piè quiſpiam verſetur: tunc quoniam Deum tantum pijſſimum iudicem agnoſcimus: ideò tutior adeunda eſt via: ac propterea breuiſſimum terminum: qui triginta dierum eſt, præſcribemus: hoc ipſum ſemper ante oculos habentes: tutius eſſe hoc tempore dubium crimen confiteri, quàm excuſare. Atque hæc de abortu iudicando ita ſint conſtituta.

g 7. De hom. procreat. 10.

Qui

Qui partus legitimo tempore editi ſint, qui ſecus habendi. Cap. VII.

Scribendi occaſio, & orda tractationis.

PERSVASA quorundam opinio eſt, humanum partum nouem dumtaxat menſium, aut ſeptem aliquando, vitalem eſſe, ac planè legitimum: præter hos verò ſi qua fœmina vnquam parit: aut moriturum infantem: aut illius commenta planè eſſe, quæ impudicitiæ crimen effugere dolo contendit. Magnas hinc, & grauiſſimas controuerſias nō antiquis tantùm, ſed noſtris etiam temporibus excitatas eſſe ſat ſcio. Non multis abhinc annis peperit mulier octauo menſe, eodemq; die à primo, vnicoq; concubitu: filius ſuperſtes fuit: ideoque adulteram vxorem vir ſuſpicatus, de diuortio meditabatur. Matrona illuſtriſſima vndecimo menſe poſt mariti obitum partum edidit: vnde magna corruptæ caſtitatis ſuſpitio irrepſit. Nec pauci alij ſimiles euenerunt caſus, qui magna hæſitatione multorum animos tenuerunt, quid ſcilicet de eo partu ſentiendum ſit. Ergo quoniam, qui ſit naturalis pariendi terminus, ſtatuere proprium eſt Medicorum munus: ideò opportunè hoc quoque argumentum aggrediar: ne quis ſit, qui, quonam geſtationis menſe prodire fœtus ex naturæ inſtituto debeat, ambigere amplius poſſit. Ac, vt clara omnia, nec ſine ordine proponantur, quatuor præcipua hoc in capite notabimus: nimirum ſitnè hominibus certus aliquis pariendi terminus à natura inſtitutus. Secundum qui menſis ad eius rei ſubducendam rationem accommodari debeat. Tertium, vnde nam geſtationis principium ſumendum ſit. Poſtremum verò, quorum menſium partus legitimus, quorum illegitimus cenſeri debeat.

An aliquod pariendi certum ſpatium ſtatui poſſit.

CVm quæritur, num certus aliquis pariendi terminus mulieribus detur: hæc quæſtio bifariam inaudiri poteſt: nimirum num ſit aliquod anni tempus, in quo ita præſertim parere

ſoleant fœminæ: vt non ſimiliter & in alijs: de qua quidem re nemo vnquam ambiguit: omnia enim anni tempora humano partui aptiſſima ſunt: nam cum toto anno viri congreſſum nullo diſcrimine admittant fœminæ: neceſſe etiam fuit, toto ſimiliter anno concipere, & parere illas poſſe. Ita enim facto opus fuit: nam ſi ſtatutis tantum temporibus homo in lucem prodiret, humani generis inopia laboraret natura: nec ſatis haberet, vnde miranda ſuo opera latè oſtentaret. Secundo autem modo intelligitur, num certum aliquod ſit dierum ſpatium, quo geſtare vtero ſoleant fœminæ: & quo exacto, ſtatis etiam geſtationis diebus partus contingat. De hac autem re quoniam multa proponi ſolent, ideò rem omnem ita expendendam duco. Omnibus animalibus, inquit Ariſtoteles, *b* vnum pariendi tempus à natura inſtitutum eſt: ſoli homini multiplex datum eſt. Hoc etiam quaſi paraphraſtes quidam affirmauit Plinius, *i* dum cæteris animantibus ſtatutum, & pariendi, & partus gerendi tempus eſſe memoriæ prodidit: hominem toto anno, & in certo gigni ſpatio. Hoc autem cum veriſſimum ſit, naturalem etiam habet cauſam, quæ ſcilicet in multiplici varietate poſita eſt: varia enim diuerſaq; fœminis eſſe ſolet temperamenti, ac corporis ſtructuræ ratio: vt paucas omnino inuenias, eadem partium ac totius corporis temperie conſtructioneq; exquiſitè donatas. Sunt enim aliæ manifeſto diſcrimine frigidiores, ideoq; ſegniores etiam ad pariendum: aliæ calidiores, atq; ideò magis promptæ, vt fœtum perficiant. Hæ plurimo abundant ſanguine, & qui magno etiam fœtui diu ſatis ſuppetat: aliæ exiguum ſortitæ ſunt: & qui propterea fœtum ante tempus deſtituat: vt iam maturius calcitrando victum ſibi extra vterum quærat. Multis anguſtus eſt vterus: ideoq; celerius fœtus pondere grauatur: capaciſſimus alijs: & denique tam diuerſæ ſunt partium diſpoſitiones: vt nihil mirum ſi hac etiam de cauſa ſerius tardiuſue partus proferatur. Præterea dum grauidæ ſunt mulieres, virum quocunque tempore appetunt: quamobrem ſæpè fit, vt os vteri, quod in prægnante ſæpè conniuet, non leuiter impetatur: atque idcirco maturius etiam, quàm pro naturæ lege pateat, & fœtum educat. In cæteris verò animalibus nihil tam varium inuenies: nec tam equus ab equo: tam à leone leo: vt inter ſe diſtare fœminas videas. Attamen quamquam hæc ita habeant: haud tamen prorſus incertum ego ſtatuerim in fœminis edendi partus

b 7. *De hiſtor. anim.* 4.

i *Lib.* 7. *c.* 5.

Digitized by Google

partus finem: ſed aliquod mihi videtur non alienè poſſe conſtitui dierum ſpatium, (quod tamen in quadam latitudine poſitum ſit) quod vltra, aut citra, ſi quis naſcatur, tardius, aut citius æquo prodijſſe videri poſſit. Quantum igitur ex Hippocrate, veraq; philoſophia haurire hactenus potui, veriſſimum legitimi partus terminum, illud temporis ſpatium eſſe arbitror: quod noni menſis, ac decimi plurimam partem comprehendit: quod ſcilicet quadraginta dierum ſit. Sed ne hæc temerè dixiſſe me aliquis putet: ita mei inſtituti rationem exponam. Philoſophi, ac Medici omnes dum certos aliquos edendi partus fines inuenire ſtuduerunt, inter nonum, ac decimum menſem planè conſtiterunt: nam qui de nono hoc ſentiant, innumeri ſunt: ac vetuſtiſſima ea fuit opinio: etenim & in Sacra *l* hiſtoria conſtantiſſima illa ſeptem filiorum mater: fili, inquit, te nouem menſibus vtero portaui. Item Cicero *m* ipſe ex antiquiſſima ſcriptorum fide: Diana, inquit, adhibetur ad partus: quod hi matureſcant plerumq; nouem lunæ curſibus. Idem etiam ſtatuit Hippocrates libro *n* de carnibus: ac complures etiam, quos longum eſſet adnumerare. De decimo autem multa quoque, ac grauiſſima habemus teſtimonia. Salomon, *o* mortalium ille ſapientiſſimus: decem, inquit, menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, & ſemine hominis. Ipſe quoque Ariſtoteles libro ſeptimo *p* de hiſtoria animalium, plurimas, inquit, parere decimo menſe. Neque hoc etiam poetis ignotum fuit: etenim ſic ſcripſit Virgilius: *q*

l 2. Machab. cap. 7.
m 2. De nat. deor.
n Propè fin.
o Sapient. 7.
p Cap. 4.
q Ecloga 4.

Matri longa decem tulerint faſtidia menſes:

Et Ouidius tertiò libro de faſtis:

Tempus erat, decimum, quo luna repleuerat orbem:
Hic numerus magno tunc in honore fuit:
Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus:
Seu quia bis quino fœmina menſe parit.

Has autem authorum ſententias, ſi quis vna componat, certum aliquod, quod ſcilicet ex nono menſe, ac decimi parte aliqua ſit conſtitutum pariendi tempus eliciet. Nam quod Philoſophi, Medicíq; vniuerſi tempus pariendi incertum eſſe affirmant: de

menſe

menſe fortaſsè intelligunt: qui quidem in partu rarò idem conſtat. Ita ergo vera omnes ſenſiſſe arbitror: nec quidquam ſcripſiſſe aliena. Sed vt hæc firmiora adhuc fiant, pluribus exactiuſq; de iiſdem agendum eſt.

Septimum dierum quadragenarium legitimum eſſe pariendi terminum: & quatenus certus aliquis dies in partu conſtitui poſſit.

r Lib. de ſept. partu. VErè illud ab Hippocrate *r* ſcriptum eſt: partium ſcilicet quandam eſſe criſim naturalem: fieriq; in eo tempore, in quo & ſanitas, & mors hominibus contingit. Ergo vt in morbis acutis ſeptennarius numerus magnæ eſt ad iudicandum efficaciæ, (nemini hoc non conſtat) ita etiam & in partu: qui & ipſe veluti quidam naturæ eſt impulſus ad expellendum id, quod moleſtat: hoc tamen intereſt, quod in ſubducendis morborum diebus criticis, dies ipſi, aut quod longius, ſeptimanæ adhibentur: in partu autem, qui multis eſt morbis diuturnior, non dies aut ſeptimanæ: ſed dierum quadragenarij. Nam & in Græcia, vt perhibet Cenſorinus, *ſ* dies habent quadrageſimos inſignes: ac prægnans ante hunc diem non procedit in fanum: & poſt partum quadraginta diebus pleræq; fœtæ grauiores ſunt, nec ſanguinem interdum continent: ob quam cauſam cum is dies præterijt, diem feſtum ſolent agitare. Vt igitur ſeptimus dies in acutis, & ſæpè, & perfectè iudicat: ita ſeptimus quadragenarius: qui nonum menſem integrum, ac decimũ tertia ex parte complectitur, legitimum partus terminum, quaſi iudicium quoddam inſtituit. In his autem, quæ hactenus dixi, ne aliquid dubites, Hippocratem *t* authorem agnoſces Puer, inquit, ſeptimeſtri partu natus, pro ratione natus eſt, & viuit, & rationem talis habet: ac numerum ad hebdomadas, ac ſepteunarium exactum: octimeſtris autem natus nullus vixit: nouem autem menſium, & decem dierum partus fit, & viuit: & habet ad hebdomadas numerum exactum: quatuor enim denarij hebdomadum dies ſunt ducenti, & octoginta: qui numerus ſeptimum dierum quadragenarium præcisè æquat. Sed hoc ipſum etiam libro de ſeptimeſtri partu clarius affirmat: ait enim qui in ſeptem quadragenarijs naſcuntur, decimeſtris appellari, maximè educantur, ac fortiſſimi ſunt: Atque hæc Hippocrates: vt nihil iam ambigendum

ſ De die natali, cap. 11.

t Li. de carn. in fine.

dum ſit, illius ſententiam eſſe, ſeptimum quadragenarium, in quo nonus menſis, ac pars decimi continetur, abſolutiſſimum eſſe pariendi tempus. At ne hoc quidem contentus, rationem etiam adiecit, cur ita ſit. Obſeruauit enim grauiſſimus philoſophus, nihil gigni in humano corpore, quin in his ſeptennarius numerus perſpicuè celebratur: nam ſiuè corporis augmentum ſpectes: finem ille ſtatuit tertium annorum ſeptennarium: ſiuè primam genituræ formam contempleris: ſeptem adhuc diebus corpulentiam illa habet: ſiuè etiam vitæ fine cibo permanentiam; ſeptem ſimiliter diebus perdurare homines incibatos poſſe affirmauit: ſiuè etiam dentium exortum: hoc item ſeptennis annis expletur: vt veriſimile ſit, ipſum etiam partum ſeptennario illo numero nihilominus contineri. At quia latè hic terminus reuera patet: quadraginta enim dies amplectitur: idcirco non alienè quærat adhuc aliquis: num certus quiſpiam dari adhuc dies poſſit, in quo quæ grauida eſt mulier, ſit tandem paritura. Ad hæc ego, id planè mihi perſuadeo, huius rei nullam ſtatui firmitudinem poſſe, neceſſitatemq;. Arbitror tamen, dari interdum aliquem diem poſſe, quo, ſi non ſemper, magna tamen ex parte ſoleant fœminæ partum edere. Non quod vnicus iſte omnium ſit certus terminus: ſed quod certarum tantum mulierum. Quod ipſum poſtquam breuibus demonſtrabo, aut mecum ſenties, ſi lubet: aut tute ipſe meliorem ſententiam feres. Ergo ante alia initium conceptus dignoſcas neceſſe eſt: de qua re poſtea diligenter diſſeremus. Atque id quoque quo nimirum poſt conceptum die, fœtus in vtero primum moueatur. Etenim longa obſeruatione deprehēſum eſt: id temporis ſpatium, quod inter primam motionem, ac partum intercedit, triplum ad illud exiſtere, quod inter principium conceptionis, ac motionis interponitur. Duo autem ſunt extremi termini, quibus fœtus in vtero manifeſtis motionibus primum agitari incipit: ſeptuageſimus ſcilicet à primo conceptu dies, ac nonageſimus: inter quos etiam alij ſtatuuntur fines: in quibus dimoueri nihilominus in vtero fœtus ſolent. Ergo ſi fœtus ſeptuageſimo mouebitur, ducenteſimo, ac decimo in lucem prodibit: triplicato ſcilicet priore numero: ſi verò nonageſimo moueatur: orietur ducenteſimo ſeptuageſimo: ter ſcilicet ſumpto priore illo motionis interuallo. Eademq; ratio in reliquis habenda eſt. Atque hæc veriſſima eſt Hippocratis ſententia ſexto *a* epidemiorum libro. *a Sect. 7. in fine.*

quo

quo in loco ita appoſitè memoriæ mandauit. Quidquid,inquit, ſeptuaginta mouetur,in triplicitate perficitur: quidquid in nonaginta mouetur, in triplicitate perficitur. His etiam placitis
x 21.3.Trac. 1.cap.2. ſubſcripſit Auicennas: *x* quos denique multi grauiſſimi viri ſecuti ſunt. Quamquam ipſemet Hippocrates libro de alimento, dum certos pariendi fines inueſtigat, non eſt, inquit, & eſt: qua ſententia illud planè ſignificat, nihil certi poſſe de his rebus ſtatui: ſed interdum enarratos illos circuitus rebus ipſis reſpondere: interdum minimè. Quapropter aſſertionem hanc non vt neceſſariam: ſed vt probabilem tantum accipies. Notandum tamen non omnem fœtus motionem ſatis eſſe, vt futurum partum pronunties: etenim neceſſe eſt,vt fœtus & plurimum, & laborioſè in vtero moueatur: hæc enim motio veriſſima eſt partus prænuntia. Sed quia hæc,quæ diximus, obſcura fortaſsè illi fuerint, qui cuiuſnam menſis in partu habenda ſit ratio,minimè nouit: ideò de menſibus quatenus ad præſens inſtitutum pertinet, opportunè iam dicam.

Solariſnè, an lunaris menſis in partus temporibus computandis adhibendus ſit.

DVæ ſunt menſium differentiæ, quas in conſtituendis partus temporibus authores vſurpant: Solaris,ac Lunaris. De ſolari menſe ſic memoriæ prodidit Galenus: *a* non ſunt, inquit,
a 1. Epid. 1. com.1. pro lunæ ratione menſes ſubducendi: quod multis iam Græciæ ciuitatibus eſt ſolemne: ſed pro ratione ſolis apud omnes vrbes antiquiores, & nationes complures numerantur. Et Romani vniuerſum annum in menſes duodecim diſpartiunt: quorum eſt vnus duodetriginta dierum: quem à ſolſtitio hyemali numerant alterum: ipſe verò primus eſt poſt ſolſtitium: quem totius faciunt anni primum, vnum ſupra triginta aſſumit: itidem tertius poſt ſolſtitium: nam & hic dierum eſt triginta vnius: quartus triginta diebus conſtat: quintus præter triginta continet vnum: ſextus triginta dies habet: qui ſextum ſequuntur duo, triginta ſunt, & vnius dierum: qui hos excipit,triginta dierum eſt: huic proximus, vnius,& triginta: qui numero decimus eſt totius anni: triginta eſt dierum vndecimus: duodecimus vnius ſupra triginta. Quod ſi cunctorum menſium dies in ſummam ſubducas: omnes ſunt quinque ſupra trecentis ſexaginta, addito præterea

vnius

vnius diei quadrante. Atq; hæc Galenus: qui, vt iam vides, menſes ſolares omnes diſpari inter ſe dierum numero fuiſſe conſtitutos docet: vt propterea minimè liceat in vniuerſum aſſerere, menſem illum eſſe certi dierum numeri. De lunari autem menſe ſatis etiam luculenter egit Galenus: *b* menſtruum, inquit, tempus viginti, & nouem dierum eſt cum dimidio: id ſcilicet ſpatium, quod ab vno lunæ coitu cum ſole vſque ad alterum intercedit. Hunc etiam paulò infrà Græcanicum appellauit. Videtur etiam de alio menſe meminiſſe Hippocrates ſecundo *c* epidemiorum libro: quem nihilominus Græcum vocat: conſtareq; ait, ex triginta planè diebus: inquit enim, aut à menſtruis numerandi ſunt nouem menſes, aut à conceptione: & in ducentos, & ſeptuaginta dies Græci menſes fiunt. Quapropter Græci dicti ſunt menſes, qui tricenis conſtant diebus. Sed hanc Hippocratis ſententiam minimè admittit Galenus: *d* nam, inquit ille, abſoluta propoſita res ſatis iam eſt: cum Hippocrates & in ſecundo libro vulgarium morborum adhuc quærat, vtrum nouem Græcanici menſes ducentis, & ſeptuaginta diebus expleantur: eo quod ſi quis tricenis conſtare eos exiſtimet: exactè ad dierum rationem nouimeſtris partus non reſpondeat. Cum igitur menſtruum hoc ſpatium non recipiat Galenus: nos etiam ſuſpectum eius authoris ſententiam cum ipſo habebimus. Sunt qui pluribus verbis ſolarem menſem in legitimo partu iudicando potiſſimum adhibendum eſſe contendant: quos ego quia multæ lectionis, ac doctrinæ viros ſemper exiſtimaui, plurimum in cæteris alijs obſeruo: at quia quæſtionem hanc negligenter tractarunt, ideò qua ratione illos ab errore vindicem, minimè video. Mihi verò (puto enim lunarem menſem, non ſolarem in hunc computum adduci debere) ſatius nunc fuerit, ſententiam meam Hippocratis, ac Galeni placitis tantum roborare: nam alios reprehendere, inuidi atque otioſi planè hominis eſt. Ergo ignorandum non eſt, Græciam ferè omnem, vbi natus, altuſq; fuit Hippocrates, in duodecim lunæ curſus anni tempus diuiſiſſe. Nam cum Arcades (ſic ſcripſit Macrobius, *e*) annum ſuum tribus menſibus explicarent: Acarnanes ſex: Græci reliqui trecentis diebus annum proprium computabant: quos ſi in duodecim æquas partes ſecueris: ſingulis vigintinouem dies obtingent cum dimidio. Ergo lunari menſe, vti vides, ſemper Græci ſunt vſi: quos deinde Numa Pompilius Romæ ſecutus, eundem

b Vt ſupra.

c Sect. 3. prope finem.

d Lib. de ſept. partu.

e 1. Saturnal. cap. 12.

anni computum,& ipſe in Latium inuexit. Tametſi multò poſt tempore ad numerum ſolis primus omnium C. Cæſar *f* annum direxit. Græca igitur conſuetudo in anni menſibus computandis quænam fuerit, ſatis conſtat. Vt veriſimile etiam ſit, non alio menſe Hippocratem in geſtationis tempore enumerando vſum fuiſſe. Sed hæc quamquam vera ſunt; præſtiterit tamen ex ipſius anthoris monumentis illa reddere illuſtriora. Hippocrates igitur libro de ſeptimeſtri partu: ſeptimeſtres, inquit, naſcuntur diebus centum, & octogintaduobus, ac dimidio: & inſuper accedente diei particula: ſi enim primi menſis dies quindecim ſupputaueris: deinde quinque menſium dies centum quadragintaſeptem, ac dimidium eſt. Vide hic quinq; menſes ſtatuiſſe ſpatium centum quadragintaſeptẽ dierum cum dimidio: quem numerum ſi in quinqae æquales partes ſecueris: quælibet nouem, & viginti dies habebit, cum dimidio, qui planè menſis eſt lunaris. Confirmat hoc etiam Galenus commentario illo de ſeptimeſtri partu: in quo id planè profitetur, menſem ſcilicet, cuius meminerat Hippocrates: & de quo in partu ratio habenda eſt, lunarem eſſe: id eſt viginti nouem dierum, cum dimidio. Hoc idem etiam quaſi ex vetuſtiſſima hominum conſuetudine memoriæ mandauit Cicero: *g* Luna, inquit, adhibetur ad partus: quòd hi matureſcunt, aut ſeptem nonnunquam, aut plerumque nouem lunæ curſibus: qui quia menſa ſpatia conficiunt, menſes nominantur: concinneq; vt multa Timæus: qui cum in hiſtoria dixiſſet: qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianæ Epheſiæ templum deflagrauiſſe: adiunxit, minimè id eſſe mirandum, quòd Diana cum in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo. Verùm omnium copioſiſſimè id meminit Ariſtoteles quarto *h* libro de generatione animalium: optima, inquit, ratione grauiditatum tempora ſuas dimenſiones ſtatis circuitibus recipiunt: ſunt enim circuitus, dies, ac menſes, lunæq; traiectiones, ac ſectiones, quibus illa cum ſole coit: menſis enim eſt circuitus amborum communis: eſt enim luna principium propter ſolis ſocietatem, & receptum lucis: vt quaſi ſol alter exiſtat: quamobrem conducit ad omnes generationes, perfectionesq;. Clariſſima igitur eſt Philoſophi ſententia, lunæ menſem ad partum, ac grauidationum tempora dimetienda adhibendum eſſe: vt mihi propterea firmiter perſuaſerim, eos, qui ſolarem vſurpant, longè ab Hippocratis, Galenique, ac

Ari-

f 1. Saturnal. cap. 14.

g 2. De natura deor.

h Cap. 10.

Ariſtotelis ſententia: atque adeò ab ipſa rei natura alienos fuiſſe.

Initium grauidationis vnde ſumendum ſit.

NVnc illud etiam docendum: vnde ſcilicet ipſius grauidationis initium ſumere oporteat. Hæc enim notio tam eſt neceſſaria, vt ſine ipſa nec pariendi terminus: nec vteri geſtationis tempora dignoſci ſatis queant. Sed antequam hoc enarro, ſedulo aduertendum eſt, difficillimum ſemper apud noſtros authores fuiſſe, quodnam ſit conceptionis principium deprehendere: ſæpè enim, inquit Hippocrstes, i à ſpiritu flatuq; vteri eleuantur, atque intumeſcunt: vt iam putent fœminæ, ſe tunc concepiſſe, cum tamen multò pòſt conceperint: nonnullæq; aliæ difficultates in hac re negotium faceſſunt: vt non rarò iuſta excuſatione digniſſimi illi ſint, quos certa huius rei dignotio aliquando latuerit. Attamen quod non exigua aſſequi potui diligentia id paucis iam explicabo. Galenus libro l de vuluæ ſectione, conceptionis, inquit, tempus eſt, vel incipientibus, vel ceſſantibus menſtruis. Quamuis enim reliquo etiam alio toto expurgationis tempore aperta ora hæc ſint: non tamen tunc concipere mulier vlla poteſt, cum ſemen nequeat in vulua remanere: ſed ab influentis ſanguinis copia eluatur. At ceſſantibus, vel incipientibus menſtruis, & ora aperta ſunt, & menſtruum non multum, neque vuiuerſum: ſed paucum, & paulatim effluit, quaſi ex humiditate quadam ſanguinea exudante. Vnde efficitur, vt ob aſperitatem ſemen vuluæ adhęreat, ſatiſq; alimenti ex ſanguinis confluentis paucitate habeat. Ante enim quam menſes veniant, conceptus fieri propterea non valet: quia & alimento caret ſemen, & adhærentiam nullam inuenit: nam cum eo tempore oculoſis vaſis læuis vulua relinquatur, diffluit: nec vniri cum tunica eius poteſt. Atque hæc Galenus, qui non ſolùm varia conceptionis initia palam facit: ſed cuiuſq; etiam rationem appoſuit. Quatuor ille autem enumerat tempora, in quibus opinari quis poſſet, conceptum fieri: primum, quando incipiunt menſes: ſecundum, dum adhuc fluunt: tertium, cum primum deſinunt, ac ceſſant fluere: quartum verò eſt reliquum interuallum. Statuit tamen duo tantum eſſe ad concipiendum idonea: reliqua verò planè inepta: illa ſunt principium, & finis expur-

i De natura pueri, & Ariſtot. 7. de hiſtoria 4.

l Cap. vlt.

gationis: hæc verò dum fluunt,& dum ſiccus eſt vterus. Ego autem vera quidem hæc eſſe minimè inficior: modo tamen poſſe aliquando aliter euenire, mihi concedas: nam ſi perpetuò rem ſic habere contendas:eſt cur à Galeno diſcedere tantiſper compellar: nam & menſtruo ſanguine fluente, & ſicco etiamnum vtero, concepiſſe aliquando mulieres animaduertimus Multi etiam, ac grauiſſimi Medici, *m* conceptum fieri fluentibus adhuc menſibus conceſſerunt: inde tamen aut monſtroſos prodire partus, aut elephanto, aliaq; labe coinquinatos teſtati ſunt: viſæq; etiam ſunt, vix octauo à partu die nonnullæ concepiſſe. Et Paræus, *n* ſunt, inquit, nonnullæ mulieres, quibus ſtatim à menſium fluxu occluditur vteri orificium: adeò vt neceſſe habeant, fluentibus menſibus cum viro congredi, ſi modo concipere velint. Quid? quod ſcriptum eſt ab Hippocrate, vbi quis fœminam generare voluerit, coire illum debere, cum plurimi menſes prodierunt mulieri,& dum adhuc eunt. Reliquo autem tempore grauidas fieri mulieres, præter veriſſimas obſeruationes,quæ nobis ſpectatiſſimæ ſunt, illud etiam demonſtrat, quod eo tempore muliebria loca ipſo coitu agitata, nimiaq; affecta dulcedine facilè incaleſcant: poſſuntq; propterea, quantum concipiendo ſemini ſatis eſt ſanguinis illo momento effundere, non adhuc legitimo expurgationis tempore aduentante. Ergo concipient illis quidem temporibus omnium maximè fœminæ, vti placuit Galeno: concipient tamen & reliquis: quamquam nec ita benè, nec ita frequenter. Verum cum hæc ita ſatis ſint explicata: ipſe tamen Hippocrates *o* vnicum ſtatuit; idq; maximè opportunum conceptionis momentum, nimirum poſt menſtrua purgamenta: vbi ab his exolutæ ſunt fœminæ. Alibi *p* verò aut à menſtuis,inquit,numerandi ſunt nouem menſes: aut à conceptione. In quo quidem loco irrideant fortaſsè aliqui dictum Hippocratis: aiuntq; nihil illius teſtimonio opus eſſe:vt ſcilicet à conceptione ſumatur conceptus initium. Attamen non temerè ſic locutus eſt Hippocrates. Illud enim initium explicare voluit, cum ſemel tantum viro vſa eſt mulier, ac deinceps abſtinuit: tunc enim ſi grauida euaſerit: merito ab ipſa conceptione initium ducit: de qua re ſi minimè conſtet,ab ipſis menſtruis ſine dubio initium ſumendum eſt: non quidem ab his, quæ vltimo fluxerunt, (ſic celebres quidam * Medici interpretantur) ſed ab eo die, cum iam expectarentur: nec tamen pro-

m Auic. 3. 4. tract. 3. c. 1.

n Libro 23. cap. 39.

o De octimestr. partu.

p 2. Epid. 3. propè finem.

prodierunt: perrarum enim aiunt, vſuuenit, diem conceptionis eſſe ipſummet diem, quo fluxerunt: ſiuè primum, ſiuè vltimum, quo fluxerunt, intelligas. Verum quatenus hæc opinio Hippocrati, Galenoq; conſentiat, præter ea, quæ ex Galeno *q* paulò antè attulimus, extat etiam clariſſima Hippocratis ſententia primo libro *r* de morbis muliebribus: ait enim, cum purgatæ fuerint mulieres, maxime in ventre concipient: tunc enim maximè os vterorum hiat, & diſtentum eſt: & venæ genituram attrahunt: at in priori tempore & os vterorum clauſum eſt, & venæ magis ſanguine plenæ exiſtentes non ſimiliter genituram attrahunt. Quamobrem vt certi aliquid tandem afferatur: ſiquidem vnicus tantum præceſſerit concubitus, nulli dubium ab eodem initium ſumendum eſſe: ſin minus ab ipſo expurgationis fine. Satis enim perpurgatus tunc vterus eſt: venarumq; ora modicè patent: ac non ita vitioſus ſtillat ſanguis. Vulgariſq; etiam matronarum opinio eſt, ſe tunc promptiſſimas ad concipiendum eſſe, cum proximè menſtrua profluxerunt. Quamquam hac in re ſi diligentius præſtare iudicium velis, hoc minimè ſatis fuerit: nam, vt diximus, poteſt quoque à principio expurgationis conceptus fieri: poteſt & in ipſo etiam interuallo. Adhibenda igitur illa ſunt ſigna, quæ nos docuit Hippocrates libro *ſ* de carnibus. Mulier, inquit, cum in vtero concipit, ſtatim horret, & calor, & dentium ſtridor conſequitur: & conuulſio occupat tum articulos, tum totum corpus: & vterum ſegnities, ac torpor: & quæ puræ ſunt, hoc perpetiuntur. Sed de prægnantium dignotione alibi vberius diximus. Sic igitur certiſſimum conceptionis initium deprehendes.

q De vulner. ſect. cap. vlt.
r
ſ In fine.

De partubus ante ſeptimum menſem prodeuntibus: ac de ipſo ſeptimeſtri partu.

RESTAT nunc, vt partus ipſi, qui vitales, qui minimè ſint iam tandem ſingulatim exponem. Ergo fœtus, qui maturius, quàm ſeptimo menſe prodit, nullo pacto vitalis eſt, inquit Ariſtoteles: *t* quod ipſum etiam, vt in reliquis ſolet, affirmat Plinius. *u* Quocirca ante ſeptimum geſtationis menſem: ideſt ante anni dimidium ab ipſo conceptu, (ſic obſeruauit Hippocrates, vt paulò pòſt diligenter monſtrabo) nunquam viuere puer poteſt, quod ſi viuat, doli, ac fallaciæ ſuſpitionem eſſe. Quamquam ſi ex-

t 7. De hiſtor. anim. 4.
u Lib. 7. c. 5.

ſi exactè intueri rem velis: non perpetuum hoc fuerit naturæ inſtitutum: nam grauiſſimi quidam Medici ante ſeptimum menſem vitalem edi partum poſſe aſſeruerunt. Etenim Auicennas, x puerum ſexto menſe natum ſalubriter fuiſſe educatum memoriæ mandauit: & quidam alij medicinæ ſcriptores, a natum centeſimo ſeptuageſimoquarto die, aut centeſimo ſeptuageſimooctauo, vitalem eſſe poſſe meminerunt: nam & ſe etiam hoc obſeruaſſe: & nihil Hippocraticis placitis repugnare: ſi nunc quidpiam rerum producat natura, quod nunquam alias tulerit. Et Valleſius b fœmellam quinquemeſtrum natam, viuere ſuis temporibus indubiè affirmauit: quem etiam corpuſculi gracilitas, ac tenuitas talem arguebat. Satiſq; alij affirmarunt, c apud valentinos, atque incolas Madriti, multos in quinto menſe vitales natos fuiſſe. Præterea Ioãnes Schenchius * multis conſultis authoribus, alios nonnullos obſeruat, natos quinto, ac ſexto menſe, ac ſalubriter educatos. Quas ego obſeruationes nequaquam auſim pertinaciter abnegare: attamen ſi qui partus ita prodit in lucem, iuſtæq; magnitudinis, nec adeò imbecillus fuerit: hunc mihi ante ſeptimum menſem natum fuiſſe nemo perſuadebit: quando, & qui etiam ſeptimo naſcuntur, imbecillos prodire ſatis conſtat. Quanquam hos ipſos naſci, ac viuere etiam poſſe: ſiquidem validum fuerit parentum robur, certaq; locorum fœcunditas, facilè admittam. Septimeſtris tamen partus frequentior omnino eſt, ac primus omnium verè vitalis, (raris tamen quibuſdam caſibus ſecluſis, quæ præter naturæ ordinem contingunt) ſed, vt teſtis eſt Ariſtoteles, d magna ex parte hic etiam infirmior eſt: quamobrem cunabulis ex lana eum obuoluunt, & faſcijs alligant: quod quidem de illis intellexiſſe philoſophum putant aliqui, qui nono menſe erant naſcituri: attamen neſcio qua robuſtiores in vtero facti, vegetioreſq;, vel vi aliqua externa depulſi, ante ſuum à natura conſtitutum terminum, in lucem prodeunt: verùm qui nulla huiuſmodi occaſione impellente ſeptimeſtris fit: pro ratione natum eſſe aiunt, ac viuere, vt ait Hippocrates: e numerumq; habere ad hebdomadas, ac ſeptennatium exactum. Mihi verò, poſt habito interim Hippocrate: qui, vti vidimus, huic partui ſemper timet: ſi liceat, quidquid ad hunc diem diligenter obſeruaui, in medium afferam. Qui ſeptimo menſe vtcunque nati ſunt, ferè omnes exiguo: & niſi benè valida formatrix facultas fuerit, quaſi imperfecto

x 9. de anim. cap vlt.

a Augen. 2. tom. epiſt. lib. 9. epiſt. vlt.

b De ſacra philoſophia, cap. 18.

c Ferdinãd. Mena in cõment. libri de ſeptimeſ. partu.

* Libro 4. obſeruat. 152. &c.

d 7. de hiſtor. anim. 4.

e De carnib. in fine.

cor-

corpore eduntur: quique nondum iuſtum naturæ robur aſſecuti fuiſſe videri poſſent. De hoc tamen partu quid præterea Hippocrates, ac Galenus memoriæ prodiderint, iam dicere aggredior. In ſeptimeſtri partu, inquit Galenus, *f* deprehendi pleraſque inter medium terminum, centum nonaginta, & ducentorum dierum geſtaſſe fœtum: celerius, aut tardius paucas: ſed ante centeſimum, & octuageſimumſecundum diem, & quindecim horas, vel poſt quartum ſupra ducenteſimum, nullas. Vt ideò ſeptimeſtris fœtus editionis primus terminus ſit dimidij anni tempus: nam nullas citra hoc: omnes vltra parere conſpicimus. At verò dimidij anni tempus centeſimo, & octuageſimo ſecundo poſt conceptum die, & quindecim horis expletur. Idem etiam ſentit Polybus, narrante Plutarcho: *g* ac ſi fortaſsè hoc ſpatium ſex menſes comprehendere videatur: ait tamen ſeptimum computari: quia dies vltimi ſeptimum menſem incurrunt. Vnam ſolam mulierem noui, inquit Galenus, * quæ centeſimo, & octuageſimo die exacto partum edidit. Cur autem ſeptimeſtris partus dimidij anni ſpatio abſolui, vt quod minimum à natura ſoleat: ita ille docet. Primum, inquit, *b* atque vltimum menſem nihil neceſſe eſt integros ſumi: ſed abundè fuerit, ſi ambo ſpatium trigintaquinque dierum expleant: hoc eſt, ſi habeant ſinguli paulò plus dimidij menſis: ſint enim interpoſiti quinque menſes, quos ſemper integros ſumas oportet, dies centum, quadragintaſeptem, cum dimidio: quinquies nimirum computatis vigintinouem cum dimidio: neceſſe eſt, ſiquidem ad centum, atque octogintaduos dies, ac quindecim horas peruenire numerus debeat: trigintaquinque accedant dies, cum tribus inſuper horis. Ergo vel primus menſis viginti conſtare diebus debet, ac ſeptimus quindecim: vel contra: hic ſeptimus viginti dies continere: ille primus quindecim: adiectis etiam vtrilibet tribus horis. Atque hoc eſt breuiſſimum tempus, vt ſeptimeſtris partus naſcatur: longiſſimum verò eſt ducentorum, & quatuor dierum: quod quidem tempus non eſt integrum, atque exactum ſpatium ſeptem lunæ menſium: nam deſunt illi duo dies, cum dimidio: vt ſeptimeſtre ſpatium abſolueretur. Ergo in hoc ipſo interuallo, quod poſt anni dimidium viginti duos amplectitur dies, cum dimidio, fœtus naſcitur ſeptimeſtris, ac plane ex naturæ inſtituto: citius verò, aut tardius ſi prodeat, ſupereſſe nunquam ſolet. Ratio autem, cur certus hic menſium,

ac

f Lib. de ſept. partu.

g De hiſt. philoſophica.

b Vt ſupra.

ac dierum numerus naturalem, ac victurum fœtum producat, ab Hippocrate [i] affertur: dum ait, ſeptimeſtrem partum tres habere hebdomadum decadas: & in vnaquaquaq; decade eſſe ſeptuaginta dies: quæ quidem ratio ex natura dierum decretoriorum deducta eſt. Atque vt in morbis tertius [l] dies eſt decretorius, & eius generis primus: ita in vteri geſtatione tertia decas ſeptimeſtrum perficit partum: profertq; naturalem, atq; vitabilem. Poſſes etiam nihilominus quinti quadragenarij rationem adducere: qui numerus, & in morbis benè iudicat: & ſimiliter quoque in parientibus de eo bene ſperandum eſt. Iſtæ autem dierum rationes etſi probabiles ſint, & grauiſſima Hippocratis authoritate innitantur: tutius tamen quorundam aduerſariorũ calumnias euitabis: ſi ad ſolas obſeruationes, certoſq; rerum euentus confugies. Nam & ipſe & Galenus, [m] ea tantum de ſeptimeſtri partu dicere profitetur, quæ à peritis mulieribus per omne tempus accepit. Nec quidem ſuo illo tractatu de exacta hac numeri ratione quidquam diſſeruit. Sed hæc tandem de ſeptimeſtri partu, ad Hippocratis, ac Galeni mentem ſatis ſint diſputata.

i De carnib. in fine.

l 4. Aph. 36. Ariſtot. 25. probl. 15.

m De ſeptim. partu, in principio.

De octimeſtri partu.

OCtimeſtris partus nullus vnquam vixit, ſcribit Hippocrates: [n] nam omnes, inquit, mulieres, quibus in hac re derogare fidem non oportet, cum diuerſorum menſium naſci partum teſtentur: ex his tamen octimeſtres non ſuperſtites manere profitentur: & quamquam in libro de alimento eſſe, & non eſſe octimeſtrem partum, vt Gellius [o] legit, ſcriptum reliquerit. Attamen obſcuram Hippocratis ſententiam ita Sabinus interpretatur: nam partus octimeſtres apparent quidem velut animalia poſt abortum: ſed nequaquam ſunt: quippe quæ ſtatim vita excedant. Itaq; eſſe quidem tantiſper imaginantur: ſed potentia non ſunt. Ergo hactenus dixit eſſe, quatenus animalia eos eſſe exiſtimamus: quamuis paulò poſt ſint interituri. Num autem vera dixerit Sabinus: abortum nimirum, qui poſt partum eſt interiturus, reuera animal non eſſe, hic minimè laboro: ſat enim alibi à nobis demonſtratum eſt: fœtum poſt aliquot à conceptu dies, non ſolum animal: ſed hominem etiam eſſe. Cæterum cur hic partus viuere non poſſit: cauſam nos docuit Hippocra-

n De carnib. in fine, & de ſept. partu.

o 3. Noct. Attic. cap. 16.

pocrates: p Propterea, inquit, octimeſtres non ſuperſtites manent: quia impoſſibile eſt, vt duas conſequenter ſuccedentes afflictiones pueri ferre poſſint. Affligitur enim tum ea, quæ in vtero fit afflictione: tum ea, quæ in partu. Quæ autem, aut cuius generis ea ſit, quam in vtero perpetitur puer, in libro de ſeptimeſtri partu clarius explicauit: quo in loco cum partum criſim quandam exiſtere docuiſſet: atque eodem tempore & partum, & abortum mulieribus: & ſanitatem, morbumq; ægrotantibus euenire: adiecit poſtea quadragenarios dierum ita in fœtibus iudicare, quemadmodum ipſi dies in morbis. Sed quia ſatis iam conſtat, ſextum diem in acutis infœliciter iudicare: ita & ſextum etiam quadragenarium in fœtibus: qui ferè in octauum incidit menſem. Atque hæc potior mihi, magiſq; naturæ conueniens huius problematis ratio videtur. Nam quod dictum eſt, propterea octimeſtrem interire, quia ſeptimo menſe moueri diuexatiq; fœtus ſolet: vt propterea duas laborioſas motiones non ita ſalubriter ferre poſſit: hoc mihi perſuadere vix poſſum: nam & qui etiam ſeptimo, nonoue menſe naſcuntur, hi etiam paulò ante partum commoueri à fœminis deprehenduntur. Quapropter ſolus motionis labor cauſa eſſe non poteſt: ſed potius alia quædam moleſtia. Nec Hippocratem de illo motu locutum fuiſſe arbitror: ſed de his tantum anguſtijs, laboribuſq; quos octauus menſis quadam proprietate, ac vi naturali afferre obſeruatur. Sic etiam in ſexto die plurimum febrientes periclitantur: non quod ab illius diei humorum motione quidquam ſibi timendum ſit: ſed quod ſextus is dies neſcio qua ratione infenſus ægrotantibus eſſe ſoleat. Huc autem præterea Aſtrologorum, atq; Arithmeticorum dogmata afferre poſſem: quibus illi ex infœlici aſtro: hi verò ex octaui numeri imperfectione, quem fœminæ comparant, octimeſtris fœtus pericula demonſtrare nituntur. Attamen ſatius fuerit has medicas, ideſt magis probabiles, atque ex ipſa rerum natura euidentius eductas rationes attuliſſe: quibus ſi quis acquieſcere non valet: neſcio quinam cæteris alijs vnquam acquieſcet. Quot autem dies contineat octimeſtris hic partus, ac quo ſpatio vertetur, non ita facilè ab authoribus proditum eſt. Ego verò, quod ex Hippocrate colligere potui, fideliter huc transferam. Nam quæ ſeptimeſtris fœtus ducenteſimo quarto à conceptu die, vt quod longiſſimum eſt, prodire debet: ideſt duobus diebus, cum dimidio,

p *De octimeſt. part. in principio.*

priuſquàm integer menſis ſeptimus compleatur: ideò ſi ſeptimum proximè octauus ſequitur: poſtridie incipiet octauus menſis; ideſt ducenteſimo quinto à conceptu die: durat q́; vſque ad primos decem dies noni menſis: quod ſpatium fere integrum continet ſextum dierum qnadragenarium. Hoc autem eleganter demonſtrauit Hippocrates libro de ſeptimeſtri partu; dum ait, octauum menſem non ſolum eſſe hoc tempus: ſed illi etiam dies accidere à ſeptimo menſe, & à nono: ergo longius eſt illud temporis ſpatium, quo octimeſtris exoriri fœtus ſolet; quam quo ſeptimeſtris. Atq; hæc cum ita ſint conſtituta, ignorandum tamen non eſt ex Ariſtotele, q in terra Aegypto viuere aliquando, atque adoleſcere, qui octauo menſe naſcuntur: & quibuſdam etiam alijs in locis: vbi nimirum mulieres ex quadam cœli benignitate, ac fœlici temperamento fœcundæ ſunt magis: multoſq; ſimul, & facilè ferunt, & pariunt. Et Hippon Metapontinus, Cenſorino r teſte, vniuerſum ſpatium, quod à ſeptimo ad decimum vſque menſem protenditur, hominum partui aptum eſſe exiſtimauit. Ac Plutarchus ſ ex Diocle, atque Epicuro, octauo menſe natos viuere aſſeruit: infirmos tamen, atq; ideò frequenter mori: & Plinius t idem ſimiliter affirmauit: dum tranſlatitium eſſe, inquit, & octauo gigni, adiectiq; tales partus eſſe etiam vitales in Italia contra priſcorum opiniones. Has autem magnorum virorum authoritates cum refellere minimè liceat: id quidem pro re præſenti ſtatuendum nunc puto: omnes ſcilicet partus ante nonum menſem ſemper de vita periclitari: neque hoc octaui tantum menſis vitium eſſe: ſed & ſeptimi quoque, in quo natos & Hippocrates, & complures alij rarò viuere obſeruarunt. Fateor tamen hos, neſcio quid, quàm octimeſtres eſſe viuaciores: quod nimirum in cita illa, ac quaſi præcoci maturitate maius etiam robur oſtenditur; eademq́; ratione ſeptimeſtres in lucem prodeunt, vt & criſis etiam, quæ materia non adhuc benè concocta perficitur: quæ tametſi in die decretorio peragatur: attamen non propterea perfecta fuit. Eſt igitur ſeptimeſtris natus, quantum ad dierum numerum ſpectat, ex naturæ inſtituto editus: at quia non adhuc integrum ſpatium in vtero exactum eſt: ideò & pupillus, & languidus, & cum periculo prodit. Proinde in mea ſententia libenter perſiſto: qui dixerim ſeptimum dierum quadragenarium legitimum eſſe pariendi terminum: ac magis omnibus naturalem, atque hoc vnum

q 7. De hiſtor. anim. 4.

r De die nat. cap. 11.

ſ De hiſt. philoſoph.

t Lib. 7. c. 5.

veriſ-

veriſſimè obſeruo, cæteros alios maturiores partus aliqua ex parte ſemper eſſe imperfectos: tardiores verò non ita: ſed tantum in aliquo naturæ impedimento ſegniores fuiſſe: ideoque plus temporis requiſiuiſſe, vt in vtero perficerentur. Sic fructus ante maturitatis terminum ſi decidant, ferè erunt acerbi, imperfectiq;: non ita tamen de ſerotinis iudicabis: nam modo hæreant appenſi, niſi externa vis vitiet, vtcunq; integri ſunt. Fateor igitur, multos octimeſtres vitales non eſſe: ſed falſum id tamen puto, hos omnes interire: nam quod authores dixerint, illos vitales non eſſe: aut magna ex parte hoc dictum intellige: aut dices ſecula illa plus nimio numeris credidiſſe: ideoque res ipſas plerumque non ex propria natura: ſed tantum pro numeri ratione menſos eſſe. Quamobrem quod Celſus *u* in cenſendis diebus criticis ſentiebat: idem ego in antiqua partus temporum computatione non alienè dicam: antiquos ſcilicet illos celebres à Pythagoricis numeris nimis falſos fuiſſe.

u Lib. 3. c. 4.

De nouimeſtri, & decimeſtri partu.

DE nouimeſtri partu nemo vnquam ambiguit, num vitalis ſit, ac receptiſſima omnium eſt opinio: illum fœtum maximè vixurum, eſſe, qui nono exoritur menſe: habet enim, inquit Hippocrates, *x* ad hebdomadas numerum exactum: quatuor enim denarij hebdomadum, dies ſunt ducenti, & octoginta. Hoc autem nouimeſtre ſpatium incipit ferè poſt primos decem dies noni menſis: ad quem quidem terminum pertinere octimeſtrem partum antea docuimus: atque ad decimum diem decimi menſis accedit. quæ quidem clariſſima eſt Hippocratis ſententia libro *a* de carnibus: dum nouem, inquit, menſium, & decem dierum partus & viuit, &c. Ergo fœtus hic nouimeſtris illo geſtationis interuallo exoriri ſolet, quod inter ducenteſimum, & quadrageſimumſextum à conceptu diem, vſque ad ducenteſimum ſeptuageſimumquintum cum dimidio: quem terminum ad humanum partum omnium eſſe perfectiſſimum, ac maximè naturalem, ideò mihi perſuadeo: quoniam Chriſtus, humani generis ſeruator, illud ſpatij in Virginis vtero eſſe voluit: nam, vt notat etiam Diuus Auguſtinus, *b* diebus ducentis, ſeptuaginta ſex perfectio corporis Dominici ad partum perducta comperitur: ſicut à maioribus traditum, ſuſcipiens Eccleſiæ

x Libro de carnibus.

a In fine.

b 4. De Trin. cap. 5. & lib. 83. quæſtion. quæſt. 56.

cuſtodit authoritas: octauo enim Calendas Aprilis conceptus creditur: natus autem traditur octauo Calendas Ianuarias. Decimeſtrem verò partum nihilominus, quàm nouimeſtrem vitalem eſſe conſtante affirmo: Huius rei plura nos antea attulimus teſtimonia. Sed quot dierum hoc decimeſtre ſpatium exiſtat, hunc tantum apud Hippocratem inuenire locum potui: libro nimirum de ſeptimeſtri partu: vbi partus, inquit, decimeſtris in ſeptem quadragenarijs naſcitur: vt vix videatur differre à nouimeſtri, qui à fine ſeptimi quadragenarij, quatuor tantum infra diebus cum dimidio diſtat: atque his paucis ſolum diebus decimeſtris partus nouimeſtrem ſuperare videbitur. Ideò arbitror communem quandam eſſe dierum portionem, quæ tum nouimeſtris, tum decimeſtris communis ſit: quemadmodum dici etiam ſolet in morbis acutis de decimoquarto die: qui & finis eſt ſecundæ ſeptimanæ, & initium tertiæ. Quamquam ſi quis dicat finem decimeſtris partus extendi vltra ſeptimum quadragenarium quindecim diebus: vt nimirum compleat numerum decem lunarium menſium, maximè rationabile illud eſſe exiſtimabo. Nam quicunque partus poſt nonum menſem eduntur, non tot laboribus obiecti ſunt, perinde ac, qui antea in lucem prodeunt: nam quamuis frigidius fortaſsè temperamentum præſeferunt: nihil tamen habent præter naturam, quod inculpare iure poſſis: ſiquidem naturales parientium ſucceſſus diligenter obſerues.

De vndecimeſtri partu, & reliquis tardioribus.

DE vndecimeſtri partu magna ſolet eſſe controuerſia: num vitalis ſit. Ideoque operæpretium fuerit, varias de hac re authorum opiniones adducere: ac deinde ſtatuere, quid ingenuè ſentiendum ſit. Putat Hippocrates, c partum illum, qui poſt decem menſes viſus eſt prodijſſe, planè eſſe fallacem: nam quæ longius, inquit, quàm decem menſium tempus vterum geſtare ſibi viſæ ſunt, (nam hoc ſæpè, ait, audiui) illæ ipſæ deceptæ ſunt: ſæpè enim flatu attolli vterus videtur: menſeſq; ſiſtuntur: vt propterea, falſa videatur eſſe conceptio. Statuit ergo, non licere fœminam diutius decem menſibus vterum geſtare. Nec enim adeò ſufficiens eſſe matris alimentum, vt magno fœtui ſatis eſſe poſſit: nam quidquid dulciſſimum eſt in ſanguine, ad ſe trahit

c *De natura pueri, propè finem.*

fœtus.

fœtus. Hoc etiam in fragmento de ſeptimeſtri partu idem author affirmat; ac dicti rationem adiecit: nihil ſcilicet viuere, atque adoleſcere præter ſuæ naturæ fines. Vt iam tandem humani partus terminum non vltra decimum menſem prorogari velit. Libro tamen de octimeſtri partu,[d] neceſſe, inquit, eſt, cum *d In fine.* vltra plenilunium mulier concipit, eum conceptum vndecimum menſem attingere. Alibi[e] etiam, mulieribus, inquit, fides detra- *e De ſeptim.* henda non eſt: cum aiunt, vndecimeſtres ſe parere aliquando. *partu.* Ac Plinius[f] Veſtiliam, ait, vndecimo menſe Suillum Ruffum pe- *f Lib. 7. c. 5.* periſſe. Et Gellius,[g] (quod quidem plurimi ſemper feci) fœmi- *g 3. Noct. Attic. cap. 16.* nam, inquit, bonis, atque honeſtis moribus, non ambigua pudicitia in vndecimo menſe poſt mariti mortē peperiſſe: factumq; eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi mortuo marito poſtea concepiſſet: quoniam decem viri in decimo menſe gigni hominem; non in vndecimo ſcripſiſſent. Sed Diuum Hadrianum, cauſa cognita decreuiſſe, in vndecimo quoque menſe partum edi poſſe: idq; ipſum eius rei decretum nos legimus. In eo decreto Hadrianus id ſtatuere ſe dicit, requiſitis veterum philoſophorum, & medicorum ſententijs. Præterea Conciliator[h] ſeipſum perhibet, moram decem menſium, & quatuorde- *h Differ. 45.* cim dierum in vtero contraxiſſe. In hac igitur opinionum diſſidentia petita tantiſper ab Hippocrate venia, mea ſententia eſt, (an autem probabilis alij iudicent) poſſe, ac nihilominus ſolere vndecimeſtrem partum ex naturæ præſcripto in lucem prodire. Sic autem ex Galeni[i] doctrina huius rei rationem deduco. Par- *i 3. De natura. facult. 12.* tus illa naturalis eſt actio, qua expultrix vteri facultas fœtum extra propellit. Nulla autem noſtri corporis particula quidquam à ſe deponit, quod prius attraxerat; niſi id maxima ex parte in contrarium tranſierit affectum: ac grauè moleſtumq; fiat: ſic ventriculus poſtquam abundè cibis eſt ſatiatus, reliquum tanquam alienum, ac ſibi inutile onus detrudit. Non aliter ipſe etiam vterus nunquam fœtum expellit, niſi ab eo moleſtè offendatur. Offenſio autem communiſſima quædam cauſa eſt, cur expultrix facultas ad actionem inſurgit. Atque in vtero triplex omnino eſt offenſionis cauſa: moles, pondus, morſus: moles quidem, vbi amplius diſtendi vterus non tolerat: pondus, cum ſupra vires eius eſt: morſus, vbi humores, qui prius in membranis continebantur, his diſruptis in ipſum vterum ſunt diffuſi, vel etiam totus partus corruptus, & putris, ac innoxiam ſaniem diſ-

ſolu-

ſolutus, vteri tunicam irritat, ac mordicat. Atque hæc Galenus: quibus ad hunc modum conſtitutis: concedo equidem nonum, ac decimum menſem communiorem eſſe pariendi terminum: tunc enim & magna eſt fœtus moles, & graue pondus. Verum, cur ſecus etiam aliquando euenire non poſſit, minimè video. Poteſt enim fœtus iuſtam molem tardius æquo acquirere: ac ſi fiat fortaſsè, vt maturè acquirat: poteſt tamen latiſſimus eſſe vterus: vt in decimo menſe multum extenſus, valeat adhuc amplius dilatari: vt propterea diutius etiam ferri partus poſſit. Præterea cur fieri non poteſt, vt frigidior vteri, ac ſeminis natura fœtum etiam frigidiorem, ac minus vigentem reddat? vt propterea tardiſſimus ſeſe fœtus mouere, ac membranas diſrumpere valeat? Mihi quidem & hæc omnia facta poſſibilia videntur: & ſæpè etiam eueniſſe nihilominus ſcio: vt mirum non ſit, ſi hæc mihi conceſſeris, (concedere autem nulla controuerſia debes) poſſe fœtum & vltra decimum menſem, & ad vndecimum vſque produci: aut etiam ad longius tempus. Concedo equidem ſemina omnia cerealia in terram iniecta certis temporibus intus latere, certis prodire, ac ſimiliter matureſcere, (nam & hac etiam collatione vſi nonnulli, impoſſibile eſſe arguunt, vt fœtus vltra nonum, aut decimum menſem legitimè in lucem prodeat.) At nemo mihi abnegabit, aliqua ex his ſeminibus eſſe, quæ certis terris commiſſa tardius aut citius aliquando & prodeant, & germen emittant: quod ſimiliter de humano ſemine dicendum puto: atque eo etiam magis, quòd humanus conceptus multiplici varietati expoſitus eſt: pluresq; omnino mutationes, quam quæuis alia ſemina ſubire ſolet. Atque hæc ſatis efficax cauſa ſemper mihi viſa eſt: cur fœtus interdum vltra decimum menſem prodire naturaliter poſſit: cui ſi allatas à me antea magnorum virorum authoritates adiunxeris, nihil amplius dubitare hic poteris. Quamquam illud etiam aduertendum puto: quod nihilominus ex Hippocrate *t* acceptum eſt: Nimirum in quocunque partu perfecto: ac præſertim ſi vltra nonum, decimumq; tranſgrediatur, primum geſtationis menſem ſectum, mutilumq;, ac dimidia etiam parte breuiorem aſſumi interdum poſſe: cum tamen in ſeptimeſtri plus dimidia illius parte numerari neceſſe eſt: in tardioribus autem, ac præſertim in vndecimo, hoc minimè eſt neceſſarium: ſed ſatis tantum fuerit, vt exigua quædam particula eius menſis computetur, vt integer menſis exiſtat:

t De octim. partu.

nam

nam ſiqua mulier decimo ante lunæ congreſſum die, ac quatuor ferè diebus poſt plenilunium conceperit: tunc primus eius geſtationis menſis decem tantum dierum fuerit. Benè igitur aduertit Hippocrates: *m* quæ ſcilicet poſt plenilunium conceperint, ad vndecimum vſque menſem peruenire oportere: tunc enim menſis id ſpatium intelligitur, quod inter plenilunium, ac conſequentem lunæ congreſſum intercedit: quod quatuordecim dierum, aut etiam pauciorum exiſtere poteſt. Atque in libro *n* de ſeptimeſtri partu: pars, inquit, in vndecimo menſe menſis eſt, vt hic ſatis memorabilis exiſtat. Sed hæc tametſi nos doceat Hippocrates: mihi tamen, vt ingenuè fatear: ſectio huiuſmodi menſium, ac mutilatio in ſubducendis partus temporibus, exiguum vſum præſtare videtur: nam quoniam per integros lunæ menſes res ipſa ſatis benè ſuccedit: quid quæſo primum menſem minuere, ac diuidere neceſſe eſt? Etenim & anni dimidium, quod breuiſſimum ſpatium in partu ſeptimeſtri ſtatuit Hippocrates: etiam ſi primum menſem integrum ponas, ſeptem menſium nihilominus eſſe comperies: nam in vltimis menſibus nihil intereſt, initiumnè, an potius medium adnumeres. Quodq; ait, eos partus, qui in plenilunio concepti ſunt, vndecimum menſem neceſſariò attingere, nihil hoc ad exactas temporum rationes facit: nam ſi fiat, vt primo menſe integro intra decimum menſem totum geſtationis ſpatium comprehendas, expeditior certè res eſt, atq; ipſi etiam Hippocrati magis conſona: qui vltra decimum menſem prodire partum naturalem poſſe prorſus negauit. Sed hæc exquiſitius ij viderint, qui maiori otio de rebus perquirunt. De reliquis verò partibus, qui vltra vndecimum menſem in lucem prodeunt, plures adhuc ambigunt: negantq; omnino tam tardum pariendi tempus vnquam fœminas experiri. Ego verò tardius vndecimo menſe quandoq; naſci partum poſſe, ſatis mihi perſuadeo, (quamquam raris huiuſmodi ſunt exempla) ſi quidem illæ affuerint cauſæ, quæ paulò antè & moram, & tarditatem parientibus afferre ex Galeno abundè docuimus. Et ſunt etiam clariſſimi quidam viri, qui tales partus ſe obſeruaſſe, teſtati ſunt. Credidit Timæus, vt narrat Plutarchus, *o* duodecim menſibus partum geſtari: nouem tamen eos interdum exiſtimari: interdum & ſeptem: quia non ſemper ſtatim à conceptione menſtrua ſupprimuntur. Teſtis eſt Plinius, *p* L. Papyrium prætorem, ſecundo hærede de lege agente, bonorum

m Vt ſupra.

n Poſt principium.

o De hiſtoria philoſoph.

p Lib. 7. c. 5.

poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater, partum ſe terdecim menſibus diceret tuliſſe: quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum videretur. Et Auicennas, quæ dixit mihi, ait, vna fidelis; quod vna mulier peperit poſt decimumquartum menſem vnum puerum. Sed horum exempla plura adhuc habes apud Ioannem Schenchium:* qui etiam vigintitrium menſium geſtationem extitiſſe narrauit. His autem authoribus & fidem eſſe adhibendam puto: & indubiè arbitror: in quibuſdam regionibus, in quibus non ita fœcundæ mulieres ſunt, ac proptereà imbecilli eduntur fœtus, longius etiam tempus ad iuſtam parturitionem requiri: neque enim niſi plurimum menſium ſpatio apta eius corpuſculi moles comparari poteſt. Ergo ſatis hactenus diſputatum ſit, qui vitales partus: qui minus vitales exiſtant. Quod ſi hæc noſtra, quæcunque ſunt, his minimè ſatisfecerint, quibus nimis eſt turgens ſupercilium: abundè pro me fuerit, nihil huc attuliſſe, quin Hippocratem, Galenumque authorem: aut ipſam rei naturam conſentientem habuerit. Cætera addant ipſi, ſiquidem fœliciore ingenio, atque in rerum cauſis perſcrutandis acutiore exiſtant.

¶ 9. De natura animal.

* Lib. 4. obſeruat. 158.

Quinam monſtroſi partus rationales animæ participes ſint: quiue pro vno homine, aut duobus habendi.

Cap. VIII.

Scribendi occaſio.

PARTVS ita interdum monſtroſi in lucem prodeunt, vt non ſolum ſpectaculi nouitate nos in ſui admirationem trahant: ſed ancipites etiam reddant, num ſpeciem ſeruent humanam, ac proptereà ſacro Baptiſmate exornandi ſint. Quæ res, vt quandoque etiam conſtet: illud tamen non rarò in quæſtionem reuocari ſolet, vnumnè animal, an plura illud ſit, quod enatum eſt monſtrũ: hoc nimirum conſilio: vt palam fiat, ſemelnè, an bis baptizari conueniat. Huiuſmodi autem problemata quamquam Theologi viri grauiſſimi: itemque ſacrorum Canonum Doctores, ſuo quodam iure diſceptarit: attamen eſt, cur inter ea noſtra ab illis requiratur ſententia: quippe qui fabricam humani corporis, mem-

membrorum vſus, ac munera: in quorum notitia omne quæſtionis momentum verſatur, ex officio tenere; ac tradere ſolemus. Cum igitur ſatis iam conſtet, eos tantum partus baptizandos eſſe, qui rationalem animam ſortiti ſunt: atque illum quoque pro vnico homine habendum: qui vnius tantum animæ particeps eſt: illum pro duplici, qui duas habet: non ita tamen promptum fuerit, hoc ipſum vbique dignoſcere: nimirum quod nam inter monſtra rationale animal debeat exiſtimari: quodue vnum tale, ac quod plura. Ergo hic mihi in præſentia labor ſuſcipitur: qui vt honeſtus, ac pulcher; ita etiam haud facilis mihi videtur: nam & multarum, nec vulgarium quæſtionum notitiam exigit: & nemo inter medicos, quod ſciam: hanc tractationem accuratè aggreſſus eſt: quamobrem aut excuſatio dabitur mihi ab ingenuis lectoribus: ſi hæc illis non omni ex parte ſatisfacient: aut laus aliqua etiam ſperanda: dum egregiam hanc ſcribendi occaſionem tantiſper præbeo.

Quæ corporis figura animam rationalem monſtro ineſſe ſignificat.

ERgo, vt ad inſtitutum: enato iam monſtro, nulla mihi præſtantior eſſe ratio videtur, vt conſtet, rationalenè illud ſit animal, quod prodijt, an brutum: quàm figuræ corporis, eiuſq; formæ contemplatio: nam tametſi anima, quæ incorporea ſubſtantia eſt, nullo ſenſu exactè comprehendi poteſt: reuera tamen accidentia *a* ad id, quod quid eſt non exiguam conferunt partem: ac per ſenſum, qui circa viſum eſt, non obſcurè, inquit Ariſtoteles, *b* ea, quæ in vnoquoque eſt forma dignoſci valet. Ergo, ſi fœtus, de quo quæritur, corpus humana exculptum figura intuebimur: homo ſine vlla controuerſia fuerit: ac baptiſmate dignus. Si verò ab hac nota receſſerit: nemo illum hominem nuncupabit: nec propterea ſacro illo charactere obſignandum. Sed hæc quamquam vera: nimis tamen tenuiter, ieiuneq; dicta ſunt: nec ad quæſtionem ſatis: ideoq; pluribus etiam explicanda ſunt mihi. Qualis humana ſit figura, omnibus planè notum eſt: qualis item altera: ne id quidem latet. Etenim videas interdum partu editum monſtratum glirem, buffonemuè, aut ſerpentem, aut herinaceum, aut quædam alia in humanæ formæ animalia: quæ ſi quando eduntur, non modo baptizari non de-

a 1. De anima, tex. 10.
b 2. Topic. 3.

bene: verum prorſus de medio tollenda ſunt: ne infandi partus immerita fortaſsè mulierum infamia in vulgus diſpergatur: neuè turpi rei memoria in quorundam mentibus inhærente; ſimile quidpiam aliàs in ciuitate concipiatur: tum etiam, vt ſi quid ſiniſtri monſtrum portenderit: id proprio exitio in ſuum recidat caput. Nec eſt, cur dicas, quod *c* ex noſtro ſemine eſt, id quoq; noſtram eſſe prolem: ac ſeruandam propterea; impiumq; eſſe, ac nefas interficere. Etenim noſtram prolem illam ego veriſſimè exiſtimabo: quæ ex ſemine ſuis viribus integro, neque vnquam corruptò generatur: nam quæ monſtra ex corrupto, maleuè diſpoſito ſemine concepta ſunt, non magis ad prolem noſtram pertinere dicam: quàm etiam vermes, qui ex putreſcente illo fieri aliquando poſſunt. Verum & iſta etiam monſtra, quæ nihil hominem repræſentant, adhuc bifariam diſtinguo: nam aut certi effigiem habent animalis; vt quæ modo retulimus, aut res quædam incertæ formæ, ac promiſcui generis apparent. Vtcunque autem ſint, ſiuè ſint animalia, ſeu plantarum inſtar dumtaxat viuant, inhumana ſunt omnia: neque his vllus eſt ſacramenti locus: cuius rationalis tantum anima, nec vlla prætereà alia ſubſtantia capax, ac particeps eſſe poteſt.

c Ariſtot. 4. probl. 14.

De humano monſtro cum ferino capite: aut de ferino cum humano capite: item de quibuſdam particulis, quæ præter naturam geminantur, aut deſunt, aut monſtroſè augentur.

SEd hæc iam omnibus nota ſunt, ac perſuaſa: illud autem non ita adhuc conſtat: quid nimirum ſentiendum ſit: cum cætera hominem quidem præſeferunt: caput tamen ſit vituli, aut canis; tum etiam arietis, aut bouis, aut ſi quod aliud eſt brutæ naturæ animal. Talia enim monſtra & noſtris temporibus viſa ſunt: & meminit etiam Ariſtoteles. *d* Huc etiam referas licet, quæ pro pedibus vngulas: ac pro auribus auriculas gerunt: atque, vt vniuerſim dicam, partim hominis, partim bruti habent animalis. Ergo hac in re ea mihi ſententia eſt: vt ſi plurimæ monſtri partes, ac caput præſertim, humanam præſeferant figuram, baptizandum illud putem: contra verò ſi euenerit, pro bruto habendum. Hoc idem ſignificare viſus eſt Diuus Bonauentura: *e* dum monſtrum, inquit, quod partim eſt homo, partim eſt beſtia: ſiqui-

d 4. De gener. animal. 4.

e 4. Sent. diſt. 4. part. 2.

quidem partes principales ſint hominis, animam habet humanam. Et Conciliator *f* quarta ſectione problematum, veriſſimè ſtatuit, tunc aliquod animal noſtrum genitum dici deberè: cum tantum humanum præ ſe tulerit caput: etiam ſi in multis alijs partibus ſit monſtruoſum. Aitq; etiam Doctores legis, illud baptizandum eſſe præcipere, tanquam in noſtra ſpecie recipiendum. In hoc autem iudicio principem ideò locum capiti tribui neceſſe eſt: quoniam mens humana in eo ſedem habet: de qua tamen re pluribus poſtea diſſeremus. Quod ſi dicas, Syrenes, monſtra hominum voraciſſima: itemq; Nereides, quamquam cætero corpore longè ab humana figura diſſideant: attamen humanum caput habuiſſe: vt propterea homines etiam illas eſſe putandum ſit. At hæc ego, non ſatis mihi perſuaſum eſt, num quæ de his monſtris antiquitas prodidit, vera ſint: an potius fabuloſè, vt pleraque alia decantata. Sed vt dem vera eſſe: nego tamen humanum caput illas habuiſſe: ſed ſimilem tantum illius figuram præ ſe tuliſſe contenderim: cuiuſmodi etiam cætera alia inhumana monſtra eſſe non dubito: quæ nimirum hominis capite inſignita eſſe circumferuntur: ſiue mari, ſiue terris ea naſcantur. Atque hæc vt inhumana ſunt omnia: ſic illa hominis naturam retinere affirmauerim, quæ muliebri partu educta, capite tamen arietis aut bouis eſſe videntur. Hi enim, inquit Ariſtoteles, *g* humani nihilominus partus ſunt: nihilq; ait, ex his eſſe, quæ nominant: ſed ſolam quandam ſimilitudinem generari; nam memoriæ proditum eſt, nonnullas mulieres, quæ leporem, aut ouem vehementer appetiuerunt, filios propterea peperiſſe, ore leporino, aut pedibus ouillis: ideſt, quæ leporis os, aut pedes ouis referrent. Ergo in hoc ferendo iudicio genus quidem ante alia ſpectandum eſt: quod ſi, exempli gratia, humanum, atque ex muliere fuerit, haud equidem brutæ illud naturæ propterea exiſtimabis: ſiquidem vna, aut altera dumtaxat particula bruto ſimilis apparuerit: ſed ſi plures præſtantioreſq;: ac ſi non tam ſimiles, quàm eiuſdem naturæ. Verùm ſi quod vnquam prodierit monſtrum, cui deſit tantum pars aliqua corporis; quales apedes ſunt, vnimani, monoculi, ac ſimiles quidam: nihil hoc eſſe debet impedimento, quominus hominem putes; cuius etiam conditionis ea fuerint, quibus pars aliqua vltra naturæ modum excreuerit, aut numerus auctus ſit; cuiuſmodi natus eſt puer M. Marcello, *b* P. Sulpitio Coſſ. cum quatuor

f Probl. 13.

g 4. Degenerat. ani. 4. in principio.

b Iul. obſequens de prodigijs.

manibus, & totidem pedibus: & alius L. Furio, Attilio Serranè Coſſ. duplicatis pedibus, manibus, oculis, & duplici item obſcœno. His igitur quoniam humanæ formæ nihil detractum eſt: baptiſmus haud iniuria concedetur. Securè etiam huc illos admiſeris, quibus non iam naturalis vlla particula: ſed inanimum aliquid adnaſcitur: vt cornu, galea, item cauda, & ſimilia nonnulla: nihil hæc enim, ſi cætera adſint, humanæ detrahunt naturæ.

De partu ferino ex humano ſemine.

HOc etiam in loco non alienè quærere quiſpiàm poſſet: num qui fœtus à brutis animalibus, quæ ex humano concepe- rint ſemine, in lucem eduntur: aut quos mulieres aliquando ab illis compreſſæ pepererint, inter homines reuera habendi ſint. Narrat enim Montanus, *i* quendam naufragio appulſum in inſulam, vbi magna erat ſimiarum copia, ex illis vnam ſubegiſſe, à qua filium, ac filiam ſuſcepit: qui nec homines eſſent, nec ſimiæ: ſed mixtæ ſpeciei animalia. Vacca etiam cum, vt ſcripſit Albertus, à paſtore conciperet, fœtum edidit hominis figuram repræſentantem. Narrat etiam Plutarchus *l* ad Periandrum allatum eſſe infantem, ex equa, & homine natum: cuius caput, collum, & manus hominis eſſent: cætera equi, eiulatus infantis. Idem etiam author *m* eſt, Fuluium Stellum mulierum odio equæ ſeſe commiſcuiſſe, quæ deinde puellam peperit admodum formoſam. Atque Ariſtonem Epheſium ſimiliter muliebre genus peroſum, cuidam ſe aſinæ immiſcuiſſe, quæ ſuo deinde tempore puellam ſpecie honeſtiſſimam peperit. Neſcias igitur num hos homines putes, an bruta potius animalia: multæ enim difficultates occurrunt, quæ arduam hanc quæſtionem reddant. Ergo longis diſſertationibus in aliud tempus dimiſſis: ea, quæ noſtro propoſito magis conueniunt, ſuccinctè attingam. Galenus tertio *n* libro de vſu partium, mixtionem hanc corporum adeò differentium nequaquam admittit: non enim, inquit, ſicut plaſtæ, & pictores ipſi tum colores, tum figuras ſolum componunt: ſic etiam facit natura: verum totas ſubſtantias commiſcet, quæ impermixtæ, & puræ ſint: non ergo ſi coitus quidam venereus homini cum equa fiat, perficiet vterus ſperma: equa enim aſini: & aſina equi poterit certè recipere ſperma, & retinere, & perficere ad animalis mixti generationem: ita & lupa maſculi canis:

i In Auicen. ſen. 4.

l In ſympoſio.

m In paralel. num. 54. 55.

n Cap. 1.

canis

canis verò ipſa non lupi ſolum: ſed & vulpis: ſicut & vulpes canis. Præterea cum Galeno etiam ſentit Lucretius, o qui non ſolum impoſſibilem hanc eſſe cenſet miſcelam: ſed ſuæ etiam ſententiæ rationem ſic eleganter adiecit: *o 5. De rerum natura.*

Sed neq; centauri fuerunt: neq; tempore in illo
Eſſe queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas:
Hinc illinc paruis, vt non pari eſſe potis ſit.
Id licet hinc hebeti quamuis cognoſcere corde.
Principio circum tribus actis impiger annis
Floret equus: puer haudquaquam: quin, ſapè etiam nunc
Vbera mammarum in ſomnis lactantia quærit.
Poſt vbi equum validæ vires ætate ſenecta,
Membraq; deficiunt fugienti languida vita:
Tum demum pueris æuo florente iuuentas:
Ne fortè ex homine, & vterino ſemine equorum
Confieri credas centauros poſſe, nec eſſe:
Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis
Corporibus Scyllas, & cætera de genere horum:
Inter ſe quorum diſcordia membra videmus:
Quæ neq; floreſcunt pariter: neq; robora ſumunt
Corporibus: neq; proficiunt ætate ſenecta:
Nec ſimili venere ardeſcunt, nec moribus vnis
Conueniunt: nec ſunt eadem iucunda per artus.

Ergo cum animalium diuerſæ ſpeciei, multumq; alienæ inter ſe naturæ miſcelam ad generationem negent celebres iſti authores: Plinius p verò libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ, Indorum quoſdam, ait, cum feris coire: mixtoſq;, & ſemiferos eſſe partus. Notiſſimum eſt etiam in q Aphrica inopia aquarum, ad paucos amnes congregantibus ſe feris, multiformes animalium partus fieri: variè fœminis cuiuſcunque generis mares aut vi, aut voluptate miſcente. Vnde etiam vulgare Græciæ dictum, ſemper aliquid noui Aphricam afferre. Vides ex his igitur, diuerſorum animalium miſcelam ad gignendum non ſemper ineptam eſſe. Ergo ſi brutum animal ex homine poſſe concipere mihi conceſſeris: facilè tunc etiam ad quæſita Ariſtoteles reſpondebit. Partum ſcilicet, quem ex humano ſemine ediderit ſimia, humanum eſſe: *p Cap. 2.* *q Ariſt. 2. de gen. anim. 5. & Plin. lib. 8. cap. 16.*

eſſe: ipſe enim maſculo tantum ſemini opificis vim ineſſe, ac mo-
r 1. De gener. anim. 20. tus initium manifeſtè docuit. *r* Ideoq; ſemper agere, fœminam
pati omnino. Ac ſecundo *ſ* de generatione animaliũ, corpus ex
ſ Cap. 4. fœmina eſſe: animam ex mare ſtatuit. At verò dum hæc ex eo-
dem authore, ac rebus ipſis magis intento, diligentius perquiro:
video ex diuerſæ ſpeciei animalibus aut commune aliquid pro-
dire, quod propriam, ac peculiarem quandam ſapiat naturam:
t 2. De gener. anim. 4. aut quod certè ad fœmineam magis vergat. Nam, inquit, *t* quæ
non omnino vnigena coeunt, ſiquidem tempus par, & vteri ge-
ſtatio proxima, & corporis magnitudo non multò diſcrepent:
hæc primos partus ſimiles ſibi edunt, communi generis vtriuſq;
ſpecie: quales ex vulpe, & cane generantur: aut ex perdice, &
gallinaceo: ſed tempore procedente diuerſi ex diuerſis prode-
untes, demus forma fœminæ inſtitui euadunt: quomodo ſemi-
na peregrina ad poſtremum pro terræ natura redduntur. Et Ale-
u 1. Probl. 137. xander *u* Aphrodiſæus princeps Ariſtotelis interpres: mixtio, in-
quit, ſeminum, quę tàm habitu, quàm natura inter ſe diſcrepant,
aliud quidpiam præter vires ſuorum ſimplicium conficit: & na-
turam eorum penitus abolet: quemadmodum albi, & nigri mi-
xtio, aboletis extremis coloribus, alium parit colorem fuſcum
nominatum; qui neuter extremorum ſit. Igitur habitus genita-
lis aboletur: & ſpecierum habilitas omnis deſtruitur, quæ crea-
trix certi indiuidui eſt. Ergo quem vacca, aut ſimia ex humano
ſemine fortaſsè conceptum peperit, quamquam humanam for-
taſsè faciem, aut quidpiam ſimi le præſeferre illum poſſe non ne-
gabo: attamen verè homo non fuerit; ſed, vt ex Ariſtotele, atq;
Alexandro docuimus, aut inter vtrumq; ambiget, propria qua-
dam præditus ſpecie: aut certè ad fœminam, maternamq; ver-
get naturam. Quamquam veriſſimis etiam rationibus monſtra-
x 2. De ſem. cap. 4. uit Galenus, *x* fœtum ipſum ex ſemine materno, cui nihilomi-
nus facultas inſit agendi, in vtero fieri: vt iam communem quan-
dam ſpeciem ex diuerſis ſeminibus, quæ opificis vim habent,
prodire neceſſe ſit. Præterea cum ſimilitudinis rationem, quæ
a 2. De ſem. cap. 2. 5. in ſpecie eſt, idem author perquireret: *a* ſpecies, inquit, ſeu genus
animalis ſequitur naturam ſubiectæ ad animal generandum ma-
teriæ: hoc eſt, vt ego interpretor, materiale omne principium
b 2. De ſem. cap. 1. vtriuſq; ſeminis, & menſtrui etiam ſanguinis. Et alibi *b* ex Athe-
næo, plus, inquit, à matre, quàm à patre nati habent: nam ab
equa mulum: ab aſina hinnum naſci videmus: ſimili modo ex

vulpis,

vulpis, & canis commixtione fœtum, ſi canis mas fuerit, vulpis ſpecie præditum aſſici: ſi contra, in canis formam euadere: & ſi ouem caper inierit, ouem duriori lanitio: ſi è contrario capram aries, caprum molliori pilo gigni: vt nihilominus natus, quantum ad formam ſpectat, conferri aliquid à matre, immo amplius etiam, quàm à patre videatur. Veriſſimum ergo ſit brutinum omnem partum, quodcunque fuerit maris ſemen, indignum eſſe, quem Sacramento exornes: ſemper enim ferinum, nunquam humanum eſſe.

De partu, quem mulier ex bruti congreſſu ediderit.

NVm verò, quem fœtum ex equa, cane, brutoue alio, mulier aliquando conceperit, humanum putem: haud facilè eſt iudicatu. Quamquam ſi, quæ paulò antè ex Ariſtotele, atque Alexandro attulimus, recipiantur: nimirum aliena ſemina ad terræ naturam tandem accedere: ſemperq; eius conditionem imitari: nemini dubium eſt, humanum eſſe partum, quem mulier vtcunque ediderit: modo tamen humana ſeruetur corporis figura. Huius etiam rei non exiguam fidem facit, quod ex doctiſſimo quodam authore *c* dictum accepimus. In Italia ſcilicet fœminam ex vrſo filium peperiſſe, non ſolum humana effigie: ſed ingenio etiam præſtanti: & ex quo illuſtris familia ortum duxerit. Ergo ea mihi ſententia eſt, (expectabo interim quid alij melius ſentiant) humanum eſſe fœtum, quemcunque mulier ediderit, quamuis alienum ſuſceperit ſemen: nam & ipſa etiam in fœtu efformando non materiam dumtaxat præbet: ſed cum mare vim aliquam præſtat effectricem: quod multis, ac validiſſimis rationibus monſtrauit Galenus: *d* quibus etiam etſi nunquam libenter acquieuerit Ariſtoteles: ea tamen veritatis vis eſt, vt eundem vel nolentè aliquando induxerit: vt fœminam ſemen emittere: idq; prolificum confiteretur. *e* Ergo ſi vnquam fiat, vt ex equo mulier concipiat, (nam neq; hoc ego tam libenter aſſeruerim) ſine dubio plus roboris fœmineum ſemen, vtque vteri temperiem, menſtruumq; ſanguinem in fœtus formatione habiturū puto: quam equinum dumtaxat ſemen. Neq; etiam vlla vnquam ſeſe equo comiſceat, quin ardentiſſimo pruritu, magnoq; accenſa deſiderio ad id facinus impellatur: vt iam propterea pluſquam mediocris eius ſeminis caliditas, virtuſq; eſſe reputetur.

c Nic. Florent. tract. 1. ſerm. 6. cap. 23.

d 2. De ſem. cap. 4.

e 1. De hiſtor. anim. c. 3. & 10. de hiſtor. anim. 18.

De

De partu ex dæmonum concubitu.

HOc in loco illud etiam opportunè addiderim: eos nimirum,qui nefando dæmonum concubitu interdum naſcuntur,homines reuerà eſſe: ac dignos quoque,vt Baptiſmo de more intingantur: ſiquidem humana ſeruetur figura. Neque enim nouum eſt, dæmones aliquando aut ſub maris, aut ſub fœminæ forma (incubos illos, ſuccubos hos vocant) ad coitum mortales allicere: vnde & concipiunt interdum fœminæ, & filios ex ſe proferunt, non ſolum rationis participes: ſed, vt ex hiſtorijs accepimus, miris quibuſdam ingenij laudibus,ac prærogatiuis excellentes. Sic olim gigantes viribus corporis inſignes: ideoq; è terra dea genitos, recenti adhuc prima animalium generatione fuiſſe meminit Diodorus.* Sic heroes,ſemideiq; virtutum ſplendore præclari: quos etiam ait Plato * ex Amore deorum erga mulieres humanas: vel ex amore virorum erga deas,ortos fuiſſe. Sic etiam in Britannia Merlinum quendam genitum memoriæ proditum eſt, qui & prophetico inſtinctu, & multarum laudum præſtantia ad noſtra vſq; tempora celebris memoratur. Quòdq; aiunt,* Olympiadem, Philippi Macedonis vxorem, à ſerpente compreſſam, magnum Alexandrum peperiſſe, non alienè ad hunc concubitum referre poteris. Neque eſt,cur dicas,hos partus eſſe impoſſibiles: quòd dæmoni cum homine nulla ſit naturæ conuenientia: aut illos certè vtriuſque conditionem participare, vt medij inter homines, ac dæmones ſint. Etenim homines ſunt ſine dubio: atque ex humano ſemine procreati: dum enim dæmones fictis quibuſdam corporibus cum fœminis congrediuntur, fœcundum ſemen ex alio quopiam homine excipiunt,colliguntq;: quod deinde adhuc calens, nec genitiuo ſpiritu deſtitutum tempeſtiuè in vterum transferant.

* *Lib. 1. c. 2.*
* *In Cratilo.*
* *Plutarch. in vita Alexan.*

Duonè capita, an duo pectora ad duo animalia efformanda requirantur: & Ariſtotelis, Galeniq; inuicem aduerſantium argumenta: & quæſtionis determinatio proponitur.

DE altera autem quæſtione,quam à principio propoſuimus: vnumnè, an plura animalia ſit aliquod monſtrum, iam tandem

dem agendum eſt. Communis eſt Doctorum omnium ſententia, hoc ipſum ab ea præſertim particula iudicandum eſſe, quæ in corpore eſt nobiliſſima, ac ſedes animæ rationalis: ergo ſi huiuſmodi in monſtro duæ ſint: duo etiam illud fuerit: ſi vnica, vnum plane. Atque hæc optimè quidem: ſed acre adhuc certamen inter antiquiſſimos illos naturæ indagatores intercedit, quæ ſcilicet huiuſmodi in homine particula reputetur. Parmenides, *f* & Epicurus, ſedem principatus animæ in toto pectore *f Plutarch. de hiſt. phil.* ſtatuerunt: Stoici in toto corde, vel in ſpiritu cordis: Diogenes in arterijs cordis ſolum: Empedocles in ſanguine: quidam in ceruice cordis: alij in membrana veſtiente cor: nonnulli in ſepto tranſuerſo: alij in ea corporis parte, quæ à capite ad ſeptum tranſuerſum peruenit: Strato in ea capitis regione, quæ ſupercilijs reſpondet: Eraſiſtratus in membrana, quæ inuoluit cerebrum: Erophilus in concauitatibus cerebri. Atque horum philoſophorum placita, vel quia non extant: vel quia abſoluta iam ſunt: atque à communi Doctorum conſenſu planè reiecta, nos etiam poſt habebimus. Præſtiterit tantum duos in aciem conſtituere, quorum maxime probabiles ſunt ſententiæ. Ariſtoteles omnium princeps cor eſſe affirmauit: cerebrum Galenus, Platonem ſecutus. Vtrinq; acerrimè dimicatur: quamobrem lubet vtriuſq; placita in medium afferre: deinde pro virili parte, quid verè ſentiendum ſit, ingenuè ſtatuere. Quòd ſi lata à nobis ſententia non omnibus arriſerit; integrum erit cuique, rebus ipſis ante oculos poſitis, meliorem ſententiam recenſere. Ariſtoteles *g* animal eſſe ait inſtar ciuitatis benè legibus inſtitu- *g De motu animæ, c.6.7.* tæ: in qua vnico tantum opus ſit principe: qui ſingulis omnia pro dignitate diſtribuat. Principis autem vicem in animali cor præſtat; quippe quod in regendo ita monet, vt à nullo moueatur: huiuſmodi autem plura ſtatuenda non ſunt: nam vbicunq; fieri poteſt, præſtat *h* vnum eſſe, quàm plura. Cor etiam fons *h 3. De part. anim.4.* eſt, ac principium natiui caloris: ergo *i* ſi ad exequenda animæ officia, calor omnium maxime adminiſtrandi vim habet: non *i De ſenſu, & ſenſ.at.2.* immeritò ipſum fuerit animæ ſedes. A corde *m* etiam ſanguinis, *l 2. De part. anim.7.* ac venarum principium eſt: eius enim natura venoſa eſt, ac generis ſocietate cum venis coniungitur: quod quidem ex diſſe- *m 3. De part. anim.4.* ctione animalium manifeſtè deprehenditur. Præterea ſitus cordis ſedem obtinet principalem: in medio enim eſt: vt vndique attingi non longo interuallo poſſit. Cor item omnium partium

primum conſiſtit: eſtq; etiam ſenſuum origo: nam copia neruorum in ipſo eſt. Ex quibus omnibus tandem ille ſtatuit, cor totius corporis eſſe principium: atque in multos, eoſq; grauiſſimos viros in ſuam ſententiam traxit. Quamobrem propoſitam à nobis quæſtionem ſic quarto *n* de generatione animalium determinat: vnum, inquit, an plura ſit per coagmentationem, quod monſtrificum prodit animal, iudicandum eſt principij ratione: verbi gratia, quod vnum cor habet, vnum animal eſt: quod duo, id duo eſt animalia, quæ ſibi coaluerunt per conceptuum coniunctionem. Contra autem Galenus, qui Platonem *o* hac in re ducem ſequitur, non vnicum: ſed tria ſtatuit eſſe membra principia: vnde tres animæ facultates toti corpori diſtribuantur: & cum ſingulæ ex proprio emanent fonte, rationi maximè conſentaneum putat, *p* mentem ipſam in cerebri corpore ſedem obtinere: atque in ipſo & rationis vim, & ſenſibilium imaginum memoriam reſidere: ſtatuitq; *q* cor eſſe quidem in nobis, quantum ad vitam, omnium præcipuum: non autem abſolutè, atq; ſimpliciter: neque enim natura, inquit, cordi id tribuit, vt dominaretur, imperaretq; alijs: ſed cerebro imperium: cordi obedientiam demandauit. Præterea hinc probat *r* cerebrum inſtrumentorum omnium, quæ ſenſum, & motum voluntarium in animalis membra traducunt, originem eſſe: quòd ſcilicet illius ventriculis colliſis, vel vulneratis, totum repente animal ſopitum collabatur: neque tamen vel arteriam, vel cordis agitatio interibit. Quod ſi fiat, vt eodem modo cor afficiatus, arteriarum quidem motiones læſum iri affirmat: totum verò animal, neque in ſenſu aliquo, neque in motu noxam contrahet. Prætereà ad hanc probationem internorum morborum adhibet teſtimonium: nam ſi in cerebro, inquit, vitium ſit, in delirium animal, motuſq; ac ſenſus priuationem promptè incidet: ſi verò cor laboret, nihil huiuſmodi patietur. Sed hoc ipſum etiam ab euidenti remediorum profectu efficaciter demonſtrat: *ſ* cum enim communis ſit omnium medicorum ſententia, in phrenithide, ac lethargo, per quos affectus mens hominum laborat, ac delirijs interturbatur, remedia capiti, non thoraci eſſe admouenda, (ita enim ipſe vſus, atque experientia confirmat) hinc haud obſcurè educitur argumentum, in capite, non in corde, mentem, ac rationem ineſſe. Obiectis autem ab Ariſtotele, tum ipſemet Galenus, tum qui eius doctrinæ ſtudioſi ſunt, haud multo nego-

n Cap. 4.

o In Timæo, poſt princip.

p 9. De plac. & 3. de loc. aff. ſect. 7.

q 3. De plac. cap. 5.

r 3. De plac. cap. 6.

ſ 13. Meth. cap. 21.

ſtio ſatisfaciunt. Nam quod ait, ſatis vnius cordis dominatu regi animal: nec pluribus propterea opus eſſe: nullam huiuſmodi propoſitionis neceſſitatem vnquam attulit philoſophus; ſed cautè adiecit, ſi fieri poteſt. Reuera autem in homine vnicum eſſe membrum princeps non poteſt: debebant enim diuerſæ facultates deriuari per corpus, quæ non eodem, eiuſdemq; partis temperamento gauderent. Vt iam ideò multiplex in corpore eſſe principium debuerat, vnde multiplices huiuſmodi partes, facultateſq; oriri, emanareq; poſſent. Quod ſi inſtes adhuc, atq; vnicum eſſe in ciuitate principem oportere contendas: ne ſi plures ſint, diſſenſio fortaſſè aliqua excitetur: nihil equidem nego: ſed animam huiuſmodi eſſe: nec vllam corporis particulam veriſſimè dicam. Membra enim inſtrumenta ſunt potius, ac ſedes, vbi anima, quæ principis vicem gerit, collocatur. Quod verò cor dixerit naturalis caloris principium eſſe. Fatetur quidem Galenus, *t* cor fontem, atque originem eſſe eius calidi, quo animal viuit, atque eundem omnium naturæ operum authorem *u* exiſtere: eſſe tamen in corde animæ domicilium, hoc planè negat: nam principes animæ actiones non vehementem illum calorem, qualis in corde eſt: ſed moderatum planè, ac certa affectum temperie requirit: qualis in cerebro viſcere minus calido comparari tantum poterat. Ille etiam hoc præterea docet, ſanguinem, qui in cerebro exercendis animæ functionibus aptus eſt, à corde quidem aſſumptum eſſe: atque animalem ſpiritum, proxima ſaltem origine vitalem fuiſſe: & in ſubminiſtranda *x* materia, eam vicem præſtare cor cerebro: quam hepar cordi, ac ventriculus hepati: & quemadmodum ſanguis quò plura peruadit coctionis inſtrumenta, eò etiam tenuior, ſynceriorq;, ac præſtantior reſultat: ita omnium perfectiſſima ea ſpirituum concoctio putanda eſt, quæ in cerebro, quaſi vltima impoſita manu perficitur. Eſt igitur cor natiui caloris principium; ſed nihil hoc ad Galenum facit; nam ſpirituum animalium, quæ proxima ſunt animæ inſtrumenta, cerebrum ſemper fuerit origo. Quod verò cor ſanguinis, ac venarum principium ſtatuerit Ariſtoteles: hoc diſſectionum euidentijs maximè refellit Galenus: *a* neque enim in hoc diſputationum genere vlla eſſe efficacior poteſt probatio, quam quæ ab ipſa inſpectione deſumitur: ſtultumq; putat, velle aliud naturæ rei, aliud doctrinæ inuenire principium. Probat igitur, ſanguinem ab hepate, vt primo illius conficien-

t 6. De vſu part. 7.
u 1. Aph. 15.
x 6. De vſu part. 17. & 7. de placit. c. 3.
a 6. De plac. cap. 4. 5. 6.

ficiendi inſtrumento emanare: nam plurimæ corporis particulæ ab eo tantum ſanguinem accipiunt: cuius conficiendi ſi cor opifex fuiſſet, illuc ante demandari illum fuiſſet neceſſe, quàm toti corpori deſtribueretur. Venas etiam ab hepate exoriri clara res eſt. Caua enim, à qua maxima venarum pars diuaricatur, à gibbo is partibus. Ianitrix à concauis conſpicuè dependet: quæ ſi à corde ducerentur: præter multa, quæ euenirent abſurda, illud etiam eſſet neceſſe, quòd pulſum eſſent habituræ. In medio etiam exiſtit cor, ergo principium eſt animalis: Irridet argumentum Galenus,[b] quod in hoc genere diſputationis à ſitu partis deſumitur: quamquam vt validum illud eſſe conceſſerit: falſum tamen eſt, cor in medio eſſe animali: nam vmbilicus huiuſmodi eſt in homine: qui nimirum ab extremis partibus æquo diſtat interuallo. Primum etiam in fœtus formatione conſiſtere cor dixit: ideoque omnium eſſe nobiliſſimum. At Galenus[c] cum omnium & philoſophorum, & medicorum ſententiam eſſe videret, fœtum vſque ad expreſſam formationem plantæ modo diſpenſari: probabilius putat, nullam in illo principio cordisq; pulſuſq; eſſe neceſſitatem ſed ipſum potius iecur ante alia efformari: quippe quod materiam alendo corpori neceſſariam præbeat: quam ſententiam veriſſimis etiam demonſtrationibus confirmauit. Quod autem etiam neruos à corde exoriri dixerit Ariſtoteles rem omnem ad ſenſus æſtimationem deducit Galenus:* conſpicuum enim eſt, multos neruos ex cerebro, reliquos ex dorſi medulla enaſci: ipſam verò medullam ex cerebro. Conſpexitq; in* ſacrificijs, victimam erepto corde, ariſq; iam impoſito, cum reſpirare, & intente clamare, tum etiam fugere: cum tamen tauri, quibus dorſi medulla ad ſuum exortum abſciſſa fuerat, ne digitum quidem amplius progredi potuerint. At quia ipſe etiam Ariſtoteles in hoc comprobando ſenſus iudicio vſus eſt: ſuamq; ſententiam ex ſola diſſectione confirmat: ambigunt plerique, veri fides ſit adhibenda: verùm qui in ipſis rebus diligenter verſantur: atque in corporum diſſectione profecerunt: nihil hoc putant iudicatu difficilè: Galenoq; facilè palmam deferunt. Quare doctiſſimos nonnullos miror Ariſtotelis interpretes, qui cum ipſam corporum inſpectionum magiſtri placitis aduerſari intuerentur, ad acutas neſcio quas, atque à ſenſibus remotas interpretationes, quaſi ad diuerticula quædam confugerunt: ac rem ipſam ſatis per ſe conſpicuam, obſcuriſſimis diſputa-

b 2. de placit. cap. 8.

c De fœt. format. cap. 3.

* 1. De placit. cap. 6.

* 2. De placit. cap. 4.

ſputationibus,tanquam tenebris obduxerunt. Ergo etſi magna eſt Ariſtotelis authoritas: maior tamen naturæ vis eſt: quam intimius attigiſſe Galenum peritioribus eſt perſuaſum.

Quæſtionis concluſio, & confirmatio ex nonnullis alijs rationibus.

Reliquum igitur eſt, vt potiſſima humanæ mentis ſedes in cerebro collocetur: quod cum omnium viſcerum excellentiſſimum ſit, ac cælo propius: magni inſtar regis in elata arce præſidet, ſenſuſq; omnes quaſi apparitores, ac ſatellites habet. Hoc ipſum etiam tale eſſe in homine videtur: quale in vniuerſo eſt cœlum: ideoque ſicut hoc in ſummo locatum, deorum eſt domicilium: ita cerebrum rationis, quæ princeps eſt animæ facultas, ſedes æſtimari debet. Ac propterea diuiniſſimum corporis membrum Plato [d] appellauit caput: ac reliquorum princeps: cui totum corpus connexum dij ſubeſſe, & parere iuſſerunt. Quod [e] verò etiam antiquitas Palladem: quam prudentiam interpretantur, concuſſo Iouis capite ortam fuiſſe tradidit, (liceat modo fabulam: ſed doctrinæ plenam huc attuliſſe) quid quæſo aliud, quam virtutem omnem intellectiuam in cerebro conſiſtere ſignificauit? Sed hæc vera quidem ſunt naturæ argumenta: attamen omnium maximum puto, quod Chriſtus, diuinus noſtræ legis inſtitutor, aquam ipſam, quæ Baptiſmi materia eſt, non pectori, quod fuiſſet neceſſe, ſi ſedes animæ rationalis ibi eſſet conſtituta: ſed capiti affundere nos proprio docuit exemplo. Ergo, vt me tandem colligam, ea mihi ſententia eſt: quam & magnorum virorum placitis, & rebus ipſis confirmaſſe ſatis videor: cerebrum eſſe princeps rationalis animæ domicilium: ideoque ſi quodpiam monſtrum duobus capitibus diſtinctum in lucem prodeat, quamuis reliqua vnius tantum ſint hominis; dicam in hoc ego duas eſſe rationales animas, ac pro duobus omnino habendum. Quod ſi fiat, vt duo conſpicua ſint pectora, ac totidem ſimiliter corda: non propterea duas in hoc eſſe animas putabo: ſiquidem vno capite coniungantur: nam quamquam ea omnia, quæ ad iraſcibilem, atque animoſam attinent partem, lætari, iraſci, timere, & cætera alia, diuerſis fortaſsè in eo actibus fient: attamen imaginari, intelligere, memorari, velle, nolle: quæ mentis, ac rationis ſunt munera, vnico tantum prin-

d In Timæo, ante med.

e Boccat. in genealog. deorum, cap.

principio, momentoq; exercebuntur. Quocirca grauiſſimè Diuus Auguſtinus, [f] qui meæ nunc ſententiæ non exiguum fundamentum ſtatuit, cum de eo monſtro, quod Diui Hieronymi [g] ætate Lyddæ natum fuit, duorum capitum, quatuor manuum, vno ventre, & duobus pedibus iudicium ferret: illud non vnum hominem duplicem; ſed planè duos eſſe teſtatus eſt. Quamobrem haud planè quæſtionem terminaſſe mihi videtur celeberrimus quidam [h] Doctor: tunc nimirum pro duobus monſtrum habendum eſſe, cum non ſolum duo diſtincta ſunt capita: ſed pectora etiam diuiſa: nam in hoc ipſo nemo vnquam dubitarit. Illud autem, quod controuerſum eſt: vtrum ſcilicet per ſe hominem conſtituat: nequaquam ille explicat: nam quod, ait, rariſſimè accidere, vt duo ſint niſi duo hæc etiam membra principia ſeorſum conſiſtant: proditum eſt à doctiſſimis quibuſdam viris: atque ego ab occultatis teſtibus accepi, non multis abhinc annis Panormi monſtrum exortum fuiſſe duobus capitibus, ac reliquis membris ita conduplicatis, vt duos planè diceres: vnicum tamen erat cor agglutinatis vtrinque pectoribus, atque vnicum tantum ſpatium efformantibus. Illud tamen fateor, optimè ab eo conſtitutum fuiſſe: vt ſi quando integer prodeat fœtus: in eo tamen vel à dorſo, vel à ventre, vel aliunde homuncio aliquis pendeat: ſiquidem caput intus lateat; nequaquam pro altero habendum id eſſe, quodcunque adnatum eſt. Verùm ſi vel exiguum aliquod exortum ſit caput: modo proprias edat functiones, (ferè autem plurimam corporis partem illud ſequi neceſſe eſt) hic ſine dubio alter eſt homo: ac Baptiſmo ſeorſum intingendus. Sed nihil iam video, quod noſtræ ſententiæ aduerſari amplius poſſit. Nam quod aliqui ſacræ hiſtoriæ teſtimonio vſi, primatum cerebro eripere contendunt: paſſim enim iſta leguntur; Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum; &, Beati mundo corde: item; Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris; &, Ex abundantia cordis os loquitur; item, De corde exeunt cogitationes malæ. Hæc quidem nihil aduerſus cerebri dignitatem; nam & ego etiam multa ex iiſdem ſacris literis accepta animaduerto: quæ caput; cuius potiſſima pars eſt cerebrum, nihilominus eminere inter cætera oſtendant. Scriptum eſt in Prouerbijs: [i] Dabo capiti tuo augmenta gratiarum; item; Chriſtus [l] caput eſt Eccleſiæ: &, Ne dimittas [m] legem matris tuæ, vt reddatur gratia capiti tuo. Præterea, ego [n] cuſtodem te ponam capitis mei:

[f] In Enchir. cap. 87.
[g] Epiſt. 63. ad Vitalem.
[h] Sot. 4. ſent. diſt. 3. art. 9.
[i] Cap. 4.
[l] Ad Coloſſ. cap. 1.
[m] Prouer. 1.
[n] 1. Reg. 28.

mei: in quibus, vt vides, capitis appellatione, aut voluntas, aut præheminentia, aut anima aut etiam vita intelligitur. Quemadmodum & apud Latinos authores ſæpè hæc leges: capitis res eſt: damnatus ille eſt capitis: cauſa capitis acta eſt, & ſimilia. Sed quamquam hæc aliquid faciunt: leuia tamen hæc ſunt argumenta, quæ à metaphoris, nominumq; ethymologijs deducuntur. Mihi autem hactenus in hunc locum adducta, vt aliorum leuitatem eodem genere redarguerem. Ergo quid tandem de principe membro ſentiendum ſit, efficaciter diſputatum puto: vt iam conſtare etiam poſſit, in monſtro quoties miniſtrari Baptiſmi ſacramentum liceat.

* * *

FINIS LIBRI TERTII.

Digitized by Google

DE RELATIONIBVS MEDICORVM,

Liber Quartus.

Quibus indicijs mortui ſunt deprehendendi. Cap. I.

Scribendi occaſio.

NON pauci ſunt, qui grauiſſimo crimine conuicti, ac diligenter aſſeruati, in ſola mortis ſimulatione ſpem aliquam, ac diffugium ponunt: ideoque tam ſubdolè interdum, callideq; agunt, vt medicatis quibuſdam hauſtis potionibus, deluſo iudice cõmerita euadant ſupplicia. Ergo ſi quando huius rei vlla ſuſpicio eſt, noſtram iudices ſententiam petunt, vt dolus omnino palam fiat. Quamquam illud etiam vſuuenit, vt qui in carceribus detenti ſunt, morbifico aliquo inſultu repente opprimantur: vt cum inter viuos adhuc verſentur, verè tamen mortuos illos credas. Ergo vtiliſſimum fuerit, ſi modo ratio aliqua à nobis tradatur: qua eos, qui verè mortui ſunt, ab alijs diſcernas: qui ſcilicet mortis aliquam tantũ ſimilitudinem, ac faciem gerunt. Huius enim rei ignorantia, incuriaq; turpiter errare complures animaduerto. Nam & Veſalius celeberrimus anatomes profeſſor, cum, vt memoriæ tradidit Paræus, *a* ad nobilem mulierem, quæ ex hyſterico ſtrangulatu mortua credebatur, diſſecandam accerſeretur: ecce ad alteram adactæ nouaculæ impreſſionem illa excitata eſt: motuq;: ac clamore ſe viuam oſtendit, atque infamiæ notam euitare non potuit. Quocirca cum à domeſticis mulieris commeritam ſibi iniuriam timeret, fugam arripuit: ac non ita multò pòſt mœrore confectus, magno medicinæ diſpendio interijt.

a Libro 24. cap. 46.

Reſpira-

Reſpirationem communiſſimum viuentium ſignum eſſe: & quibus modis occulta reſpiratio deprehendi poſſit.

VIuere quempiam reſpiratione intercepta nequaquam poſſe, & nos quotidie experimur, & demonſtratum etiam à Galeno eſt quarto libro *b* de locis affectis. Et quamquam nonnulla animalia, quæ in cauernis vitam degunt, thoracem interdum minimè mouere videantur: ſola ſcilicet tranſpiratione, quæ per vniuerſum fit corpus, ſatis contenta. Nihil tamen à Galeno de homine tale dictum vnquam inuenies: quem tum *c* demum interire neceſſe eſt, cum reſpirare non poteſt. Quapropter reſpirationis priuatio certiſſimum mortis indicium fuerit. Attamen viuere homines aliquando, ac nullam conſpicuam in his reſpirationem apparere, minimè negabo. Fœminæ *d* enim, quas vteri ſtrangulatio malè habet: itemq; quocunque apnææ, ideſt ſpiritus interceptiones apprehendunt, tam exiliter interdum, ac tenuiter reſpirant: vt hoc ipſum pleroſq; lateat: ideoq; extinctæ eſſe omnino creduntur. Timocrates etiam in Helide, inquit Hippocrates, *e* ſomno correptus nihil videbatur reſpirare: ſed mortuus eſſe: nihil ſentiebat: corpus erat extentum: viuebat tamen, & excitatus eſt. Quamobrem nonnulli, vt de re ipſa certiores fiant, accenſam candelam naribus admouent: cuius flamma ſi non rectà aſcendere: ſed inæquali motu agitari, ac tremula eſſe videatur: ſupereſſe adhuc hominem affirmant. Præterea ſupino, ac benè firmato homine, ne in vllam partem nutet, vitreum poculum aquæ plenum ſub oſſe pectoris locant: ac ſi nuſquam ille dimoueatur, mortuum putant: ſin verò, planè viuere. Nec id quidem immerito: nam tametſi in paruis reſpirationibus intercoſtalium muſculorum actione opus non eſt: ſolo diaphragmate ad id opus ſatis idoneo: quod quidem non vno in loco demonſtrauit Galenus: *f* attamen quia ad diaphragmatis motum imas etiam coſtas vnà moueri oportet: ideò ſiue intercoſtalibus alijs muſculis, ſeu ſolo diaphragmate opus ſit: ſemper ſub oſſe pectoris (quod ſternon vocant) atque ad imas coſtas moueri thoracem in viuente animali neceſſe eſt. Quamquam fieri aliquando arbitror, vt in minima, ac tardiſſima reſpiratione, quam vix oculus deprehendit, conſiſtere vaſculum poſſit. Ergo diligentius ſolet Galenus, *g* digitum primo ægri nari-

b Cap. 7.
c 1. De diffic. reſp. 8.
d 3. De diffic. reſp. 10.
e 5. Epidem. in princ.
f 8. Anatom. ad n n.c.5.9. & 4. l.c. affect. 3.
g 3. De diffic. reſpir. 10.

bus admouere: aut pilum, tenuemuè lanam, diligenter, ac probè concerptam ſuſpendere: tunc enim ſi viuat animal, manifeſtè, inquit, reſpirationem ſentiri. Peritè etiam alij ſpeculum probè abſterſum naribus admouent: in quo ſi afflatum quempiam, ac maculas inſpiciant: iam reſpirat animal, ac viuit.

Reiectantur Aetij argumenta contra Galenum: & de quibuſdam alijs viuentium indicijs.

HIs, quæ hactenus ex Galeno adduximus, Aetius planè aduerſatur: Proinde operæ pretium eſt, ne aliquid dubites, ſcrupulos omnes euellere, qui aſſertiones noſtras turbare aliqua ex parte videntur. Quidam, [b] inquit ille, experiri volentes, an in aliqua vteri ſtrangulatione ſuperſit reſpiratio, lanam carptam naribus admouent, atq; inde ex lanæ motu colligunt, an aliqua inſpiratio, aut expiratio reſtet. Alij poculum aqua plenum ad os ventris ponunt: & intuentur, an aliquo motu aqua agitetur. Et profectò vtrique ignorant, aliquando ſublata penitus oris, ac narium reſpiratione ſupereſſe adhuc eam, quæ in toto corpore ab arterijs perficitur: id quod etiam in reptilibus venenatis contingere videmus: hæc enim per totam hyemem mortuis ſimillima in cauernis latitant, per arterias tantum totius corporis reſpirantia. Sic etiam in vteri ſtrangulatione fieri poteſt, vt toto corpore frigefacto, oris, ac narium reſpiratio intercidat; ſuperſit autem ea, quæ ab arterijs fit. Atque hæc Aetius: qui, vt iam liberè dicam, temerè mihi reptilia animalia, frigidiſſima illa quidem, hominibus omnium animantium ſua natura calidiſſimis * comparare videtur. Poſſunt illa enim ſola corporis tranſpiratione in vita nihilominus permanere, exiguo admodum calore donata: nos autem, qui etiam in frigidis affectibus longè illis ſumus calidiores, haud ſimiliter poſſumus. Vt veriſſimè iam in vniuerſum ſcripſerit Galenus, [i] impoſſibile eſſe, vt animal reſpiratione exactè priuatum in vita ſeruari poſſit. Non negat tamen, ea animalia, quæ in cauernis latitant, nulla indigere reſpiratione: ſola inſpiratione, quæ per vniuerſum fit corpus abundè contenta. Ergo ſatis iam & rerum naturæ ratio, & Galeni authoritas Aetio fuerit. Cæterum hæc tam diligens reſpirationis perquiſitio in his tantum affectibus adhibenda eſt: in quibus præ multitudine frigidæ materiæ, innata caliditas inſtar flammæ

præ

[b] Tetr. 4. ſer. 4. cap. 68.

* 4. Sectione probl. 7.

[i] 4. Loc. aff. 7. & 1. de diff. reſp. 8.

præ multis frigidis lignis grauatæ ſuffocatur: cuiuſmodi ante alia vterinæ ſunt ſuffocationes: nonnunquam verò & apoplexiæ, quas cerebrales, hoc eſt primario affectu excitatas vocant. In alijs verò quibuſdam ſiquidem conſpicua non appareat reſpiratio, ſat fuerit manum cordis regioni, aut ſub oſſe pectoris admouere: ſic enim de rebus omnibus certior fies. Ergò qui opium certa lege compoſitum aſſumpſerunt: quos ſcilicet & ſummi corporis frigus, & commiſſæ palpebræ, & pallor totius corporis, atque vnguium liuor deploratos arguunt: cordis tamen intus coacta agitatio, ac diaphragmatis motio vitam arguet. Sed vbicunque etiam de uita ambigimus præſtantiſſimi quidam [l] medici ſternutatorijs adhibitis rem omnem deprehendunt. Et quidem hoc remedij genus ſpiritus in cerebri ventriculis torpentes ſopitoſq; laceſſit, atque excitat: & quidquid obſtat excutit: nec nos diutius ſinit in hæſitatione verſari. Cuiuſmodi etiam auxilium eſt, ſi valida voce in iacentis aures inclames: nam quicunque eſt ſopor, hoc modo deturbari ſæpiſſimè aſſueuit: verticem aliqui inurunt, vbi coronalis dicta ſubeſt commiſſura. Acutiſſimum mucronem nonnulli ſub vnguibus ſenſim, ac ſubinde affigunt: exquiſitum enim huius loci ſenſum eſſe, quorundam muſculorum tendinibus ad firmandos vngues illuc deſinentibus. Lene, ſed probatum tamen remedium eſt, ſi modicum vulgaris aquæ vitæ, ſæpius diſtillatæ ore immittatur: hæc enim tam tenuis, tam vaporabilis ſubſtantiæ eſt, vt ad internas quaſcunque venas citiſſimè pertingens, calefaciat excitetq;, ſi ſopitus tantũ, nedum extinctus ſit calor.

l Holler. 1. de morb. intern. cap. 58.

Rigorem, ac frigus corporis non ſemper interitum arguere.

PRætereundum verò non eſt, nonnullos eſſe, qui recens extincti, membra tamen nullo rigore obtenta gerunt: aut qui tactu etiam calidi, aut certè non frigidi videantur: vt proptetea viuos illos putes. Hoc autem indicium nimis ego vulgare, ac fallax ſemper exiſtimaui: vt inde quempiam in ambiguis rebus viuere aſſeramus: nam & ſæpè mortui ſunt deprehenſi, quorum liberè extendi artus poterant: calore ſcilicet nonnullo in corpore adhuc remante: nec pauciores etiam diu calentes inuenti ſunt: ac præſertim pectore: quod ipſum etiam aduertit Hippocrates: [m] qui de hydropico quodam mortuo: calidior, inquit,

m 4. Epidem. tex. 81.

Digitized by Google

multum tempus erat. Neque id quidem mirabere: nam calor putredinalis nihil prohibet, quin cadauera aliquando concalefacere poſſit: ac præſertim ad cordis viciniam: ad quem locum omnis ſpiritus, ac calor corporis vniuerſi in vitæ extremis conueniunt, ac retrahuntur. Quin etiam quicunque ex conuulſiuo aliquo affectu moriuntur, diutiſſimè calidos permanere, teſtatur Galenus: *n* quocirca hoc indicium, quod à tactu deſumitur, leue omnino, ac nullius momenti eſt.

n ... præſag. ex pulſ. 4.

Tridui expectatio in mortuis explorandis, an vnquam ex vſu ſit.

o 1.3 Tract. 5. cap. 12.

SEd hoc etiam prætereundum nō eſt, quod Auicennas, *o* nonnulliq; alij peritiſſimi viri memoriæ prodiderunt. Aliquando accidit, inquit ille, vt homo apoplexiam incurrat: & non ſit differentia inter ipſum, & mortuum: & non apparet in ipſo aliquid anhelitus: deinde reuiuiſcit, & ſanatur. Et nos plurimos eorum vidimus: & in iſtis quidem anhelitus non apparet: ſed ipſorum pulſus non integrè cadit: & videtur, quod calor innatus in eis non vehementer indigeat euentatione, & expulſione vaporis fumoſi propter frigus: & ideò volunt, vt tardetur ſepultura ambigui ex mortuis, donec perpendatur ex eis diſpoſitio: & neque ſit minus ſeptuaginta duobus horis. Gentilis etiam apopleticum vidit, qui inter exequias, ac propinquorum eiulatus, quaſi ab inferis redijt. Nicolus ſe apopleticam mulierem nouiſſe teſtatur, quam nemo non mortuam crederet: in ipſo autem funere parum ſeipſam primo commouit, ac tandem locuta eſt: verum tertia die interijt. Plinius *p* multa illorum exempla commemorat: qui elati reuixerunt: aitq; præterea fœminarum ſexum huic malo maximè eſſe opportunum, conuerſione vuluæ: quæ ſi corrigatur, ſpiritus reſtituitur: mirumq; narrat de fœmina, quæ ſeptem diebus exanimis, ad vitam reuocata fuit. Scripſit etiam Amatus, *q* puellam Ferrarienſem, apoplexia apprehenſam, cunctis mortuam fuiſſe deploratam: cumq; illam mater triduo domi inſepultam lugeret: poſt id tempus ex inſperato quaſi rediuiuam factam eſſe. Aiunt præterea id, quod ego non raro ab his accepi, qui mortuis humandis quæſtum faciunt: multos, qui immaturius fuerant ſepulti, loco dimotos, aut etiam ſedentes repertos fuiſſe: vt credibile propterea fuerit viuentes

p Lib. 7. c. 52.

q 4. Cent. curat. 23.

illos fuiſſe ſepultura donatos. Hac fortaſsè de cauſa apud nonnullas nationes, in more poſitum erat, vt mortuos aliquo tempore ſeruarent inſepultos. Etenim Naſamones* Lybiæ populi diebus ſeptem ita ſeruabant: Græci ſeptendecim. Quod autem trium dierum ſpatium exigunt aliqui, vt certum obitum deprehendant: licet neſcio quam rationem reddiderit conciliator, quæ in integra humorum euentatione: quam ille triduo abſoluit, poſita eſt: mihi tamen infirma eſſe illa omnia videntur: nec ſemper ſi deficiat apoplecticus, aut hiſterica, tamdiu expectandum, reor, vt triduum prætereat. Attamen non equidem nego eueniſſe interdum, vt viuentes aliqui ita ſepulti ſint: præſertim ſi imbecilli natura fuerint, frigidoq; temperamento, ac fœminæ omnium maximè. Sed hoc aio: ſi ea diligentia adhibeatur, quam nos paulò antè ſatis propoſuimus, ſuperuacuam illam tridui expectationem fore: nam etſi nulla in his perſpicua ſit reſpiratio: eſt tamen aliqua: & quæ prædicto artificio deprehendi poſſit. Attamen hoc admoneo: vt ſi cæteri inſtent, inſepultum, & tu quoque cadauer aſſeruari minimè repugnabis: donec ſcilicet fœtor interitus certitudinem præbeat: modo tamen quidquid ingenuè ſenſeris, palam facias. Verum quidquid de reſpiratione hactenus dixi: idem quoque de arteriarum pulſu mihi dictum eſſe intellige: æqua enim vtriuſque neceſſitas: ac neutrum ipſorum, vt doctè monſtrat Galenus,[r] in totum perire poſſibile eſt, donec animal viuit: hunc tamen ipſum periiſſe putare propter paruitatem, nil mirum. Nam quod aiunt, cum pulſuum priuatione, quam aſphyxiam vocant, aliquandiu vixiſſe aliquos: de apparente intellige: non de vera: quæ nunquam in viuente eſſe poteſt.

* *Alexan. ab Alex. libro 3. cap. 7.*

r *De diffic. reſp. 8.*

Quæ in mortuis viuentium ſimilia conſpiciantur.

AD hoc etiam argumentum ſpectat, vt nonnulla proponamus, quæ ita in mortuis conſpiciuntur: vt etiam viuentium propria eſſe nihilominus ſoleant. Illis enim augentur pili, creſcunt vngues, ſæpè penis erigitur. Narratur[ſ] etiam, virginem monialem cum alterius demortuæ manum illachrymans apprehenderet, vt exoſcularetur: ter mortuam viuentis manum adeò fortiter ſtrinxiſſe, vt viua ob id eſſe crederetur. Ergo ſi quid vnquam huiuſmodi inciderit: ne ſtatim tu quoque cum vulgo obſtupe-

ſ *Marc. Donat. lib. 2. c. 3.*

ſtupeſces: ſed grauiter potius omnium cauſas explicabis. Pili enim, inquit Alexander, *t* atque vngues videntur quidem mortuis augeri: reuerà autem minimè augentur: ſed carne tabeſcente, conſumptaq́;, partes illæ, quæ iam opertæ latebant, deteguntur, & patent. Quamquam nihil etiam prohibet: illas augeri: nam hæ corporis particulæ, non alimento, vt cæteræ: ſed excrementi impulſu excreſcunt: quod mortuis per foramina, atque extrema corporis promptè valet effluere. Quocirca ſilendum illud non eſt, quod Paræus *u* memoriæ prodidit: ſe multis annis integrum cadauer domi conditum aſſeruaſſe: cui cum ſæpè vngues excreſcerent, crebro etiam reſecabat, cum tamen non multò pòſt ad priorem magnitudinem redirent. Penis autem erectio ſine dubio à flatuum eſt copia: qui tabeſcente cadauere plurimi excitantur: à quibus etiam ſpongioſa, & poroſa illa ſubſtantia in tumorem attollitur. Monialis autem manus à flatu ſimiliter contracta, ac conuulſa tunc fuit, cum illa apprehenderetur. Quamobrem mirandum quoque non fuerit, ſi mortuo interdum homini, caput faciem, aliamuè particulam moueri videas: eadem enim horum omnium eſt ratio. Sed de propoſita diſputatione hæc ſatis.

t 1. *Probl.* 145.

u *Tractat. de emblemat. in fine.*

Vtrum accepto vulnere quiſpiam interierit: an alia fuerit mortis occaſio. Cap. II.

Scribendi occaſio.

COMPLVRES ſunt, qui leuibus acceptis vulneribus: aut certè minimè exitioſis, non rarò tamen præter opinionem intereunt: quæ res ad judices delata, non modicè illorum animos verſat: vnde nimirum potiſſima extiterit mortis origo. In quo quidem iudicio, ſi percuſſores incertæ necis crimine damnentur, ius, & fas omne peruertitur: ſi verò iniuſtè ſoluantur: iniquum fuerit, nullam de occiſore pœnam ſumere. Quamobrem iure illi in his anguſtijs nos adeunt conſultores: noſtraq́; tandem adiuti ſententia integrè de rebus decernunt. Hoc igitur conſilio peculiarem de hac re tractationem faciam: in qua viam, ac rationem oſtendam: qua deprehendi poſſit: illatinè vulneris cauſa: an alterius mali

inter-

interuentu,is, de quo quæritur,interierit. Quæ quidem perquiſitio, vt abſolutior fiat, nonnihil prius de lethalibus vulneribus, ac cæteris differentijs dicam. Poſtea verò qua ratione ab exiguis percuſſionibus mori homines contingit: ac denique quomodo non tàm in vulnus: quàm in multas alias rerum occaſiones necis culpa iure referri poſſit.

Vnde lethalium vulnerum ratio in vniuerſum ſumenda ſit: ac quæ tuta, mediaq; vulnera ſint iudicanda.

PRimò igitur triplicem vulnerum differentiam, quæ mihi ad præſens inſtitutum faciat, propono: vt alia ſcilicet lethalia ſint: alia, quæ tuta nuncupentur: vltima autem, quæ medio conſiſtant loco, ac periculoſa dicenda ſint. Lethalia quæ ſint, & vnde talia conſtituantur, quamquam Hippocrates, *a* ac Galenus non obſcure explicarint: quia tamen nonnulli ſunt: nec hi quidem incelebres viri, qui ſuperuacuas neſcio quas huiuſmodi vulnerum differentias attulerunt: quibus aliqui forſitan perſuaſi, alienè de rebus ſentiant: ideò pluribus de hac re agendum puto. Scribunt iſti, *b* lethalia vulnera non ſolum à vulneratæ partis natura, ſed etiam ab eſſentia vulneris, ab eiuſdem magnitudine: item à complexu ſymptomatum, atque à proprijs ſolutæ vnitatis differentijs proficiſci. Mihi autem, dum ſummos medicinæ magiſtros conſulo, ac res ipſas diligenter intueor, ab vna tantum partium natura lethalia vulnera cenſeri, nuncupariq; non alienè videtur. Et quidem ſatis conſtat, eſſentiam vulneris: quæ in mollis particulæ recens ſoluta vnitate conſiſtit, eandem vbique eſſe: neque enim magis vulnus eſt, quod in corde, quàm quod in nate infligitur: ſed eandem ſemper naturam, ac characterem ſeruat. Quocirca ſi verum eſſet, vulnus aliquod ſua eſſentia lethale eſſe: vulnera omnia ſemper eſſent lethalia, nulla ſalubria. Neq; etiam ab affectus magnitudine vllum vulnus lethale eſt: ſed magnum dumtaxat, ac paruum: quæ longè alia ſunt à lethali: nam quod magnum eſt, totum: & quod paruum, pernicioſum eſſe ſæpenumero poteſt. Attamen neſcio quid veriſimile habet, quod aiunt, à ſuperuenientibus ſymptomatibus lethale vulnus nuncupari: nam ſi grauia accedant ſymptomata, nemo eſt, qui neſciat, lethaliter quoque affectum hominem eſſe. Reuera autem nullum vulnus à ſymptomatibus habet, cur lethale ſit. Neque enim

ſi quis

a 6. Aph. 50. 5. Aphor. 2.

b Fran. Valler. 3. enarra. med. cap. 8.

ſi quis accepto in digito vulnere, oborta deinde inflammatione, aut ſpaſmo intereat, lethale propterea illud fuerit appellandum: ſic enim vulnera omnia eſſe poſſent lethalia: nam, vt veriſſimè ſcripſit Hippocrates, *c* moriuntur homines ab omnis generis vulneribus, quamuis in vilibus locis, & nulla re grauia eſſe videantur. Ergo quæ ſymptomata ſuperueniunt, exitium quidem afferre: at non propterea naturam vulneris immutare vnquam poſſunt. Eadem quoque ratione ſi quis lethali vulnere in cerebro accepto, euadat tamen ac conualeſcat: nunquam illud tamen tutum propterea fuerit: ſed ſemper lethale: tametſi mors inſecuta non fuit. Quamobrem ſatis mihi perſuadeo, nec per præſentiam ſymptomatum lethale vnquam ſua natura vulnus conſtitui: nec tutum per illorum remotionem. Ergo partium dumtaxat ratione lethalis vulneris naturam definio: Et cum Hippocrates, qui vnus mihi inſtar omnium fuerit, tum in ſecundo *d* prædictionum libro: tum in ſexto *e* aphoriſmorum; tum etiam in coacis *f* prædictionibus, multa de lethalibus vulneribus diſſeruiſſet: horum differentias à vulneratæ tantum partis natura; nec vnquam aliunde deſumpſit. Ergo diligenter explicandum eſt nobis, quæ particulæ noſtri corporis huiuſmodi ſint: vt in his accepta vulnera lethalia eſſe dicantur. Quocirca quod ego ab ipſa rei natura, atque authorum teſtimonijs, proprijſq; obſeruationibus accipere hactenus potui, ad hunc modum ſe habet. Particulæ omnes, quæ in corpore principatum tenent ac fontes ſunt facultatum: nimirum cor, cerebrum, ac iecur, ſiquidem vulnerentur, lethale vulnus efficiunt: inter has etiam merito ventricolum poſuerim: propter magnam illius actionis neceſſitatem: vnde etiam regem corporis veteres *g* medici illum nuncuparunt. Neque ab hoc ordine ſpinalem medullam ſecluſerim: quippe quæ eiuſdem naturæ cum cerebro eſſe cenſeatur: eſtq; *h* velut alterum quoddam cerebrum partibus omnibus, quæ ſub capite ſunt. Secundo loco illas etiam particulas pono, quæ ſemel diuiſæ coaleſcere non poſſunt: cum tamen neceſſariam vitæ actionem exerceant: cuiuſmodi eſt ſeptum tranſuerſum, tenue inteſtinum, atque vrinaria veſica: tertio illas quoque, quæ eximio donatæ ſunt ſenſu: læſæq; promptiſſimam afferunt ſyncopen: quale præſertim eſt os ventriculi: vltimo autem quæcunque larga ſanguinis, ac ſpirituum effuſione vitam perdunt: vt magnæ arteriæ, ac venæ. Sed eſt, quod hoc in loco nonnihil du-

bites:

c 2. Pradict.
d In medio.
e Aphor. 50.
f Ante finem.
g Q. Serenus.
h 13. De vſu part. 11.

Digitized by Google

bites: nimirum in his particulis aſcopta vulnera vix vnquam mortem afferre abſque ſymptomatum interuentu: vt iam propterea à ſymptomatibus lethalium vulnerum differentias ſumendas eſſe, putes. Ad hæc ego, ſymptomata illa, quorum interuentu vulnerati interire videntur, ſemper læſæ particulæ naturam conſequuntur: etenim læſo ore ventriculi, ſyncope, neceſſaria quadam ſequela ſuperueniens occidit: ſic etiam ſi cerebrum vulneretur, conuulſione, apoplexia, ac ſimilibus necem affert: arteriæ, & venæ effuſione ſanguinis. Quamobrem omnis lethalium vulnerum ratio ab ipſa particularum natura ſemper pendet: & quæ ſymptomata in earum percuſſionibus grauia ſunt, certam earundem proprietatem ſequuntur. Sed de lethalibus vulneribus illud etiam opportunè hic dicam: bifariam ſcilicet ex Hippocrate, *i* ac Galeno illa diſtingui: vt alia nimirum ſint ex neceſſitate lethalia: alia magna ex parte, quæ adhuc diſtinctio ex ipſa partium natura, ſi rectè aduerteris, deſumpta eſſe intelligitur: nam illa neceſſario lethalia erunt, quæ nobilioribus particulis, aut maximè ſentientibus: aut quarum vſus plurimum animali expediat, infliguntur: magna autem ex parte quæ minus nobilibus. Sed cum huiuſmodi ſint lethalia vulnera: tuta ea fuerint, quæ periculo carentia vocare ſolet Galenus: *l* quæ ſemper ad ſalutem, quantum in ipſis eſt, vergunt: ſuntq; cum euaſorijs, quæ nunquam peremptoria idem appellat, poteſtate eadem. Sed hæc latiſſimam habent differentiam pro maioris minoriſq; ratione. Quæ autem medio loco conſiſtunt, periculoſa nuncupauit Galenus; eaq; eſſe, ait, quæ ad pernitiem, atque ad ſalutem æquale habent momentum: huc vulnera cacoëthe referuntur: quæ *m* ſcilicet ad ſanandum ſunt contumacia: quæ itidem in differentia, mediaque, ac natura docti quidam medici *n* nuncupauerunt. Ad hoc etiam genus ea reduci ſolent, quæ magna quidem ex parte lethalia eſſe ex Galeno meminimus: ſed quibus tamen affectus paruitas aliquid de periculo detraxit: cuiuſmodi ea ſunt, quæ extremam iecoris partem, aut etiam menynges leuiter attigerunt. Sed hæc ſatis: nam de ſingulis vulneratis particulis, vbi hæc omnia fient lucidiora, iam dicere aggredior.

i 6. *Aph.* 50.

l *Finit. medic.*

m 4. *Meth.* 5.

n *Guido. trac.* 3. *doc.* 1. *c.* 1.

Quarum corporis partium lethalia ſint vulnera.

CORdis vulnera lethalia eſſe, vnum ex his eſt, inquit Galenus, *o* quæ in confeſſo habentur; & ſi ad ventrem eius vul-

o 6. *Aph.* 18.

nus pertingat, protinus magno cum ſanguinis fluore hominem mori neceſſe eſt: idque præcipuè ſi ſiniſtræ partis venter fuerit vulneratus: ſi verò non ad ventrem vſque penetrauit: ſed in cordis ſubſtantia conſiſtat vulnus; ex ita affectis aliqui non ſolum eadem die, qua vulnerati fuerunt, ſed ſequenti quoque nocte viuere potuerunt; qui etiam inflammationis ratione extinguuntur. Ex hoc autem vulnere non tantum qui in cordis ſinibus continentur ſpiritus educuntur; ſed qui in vniuerſo etiam corpore: nam cum natura opem ferre principi laboranti particulæ enitatur, ſanguinem vndique, ac ſpiritum illuc demandat: quibus *p* veluti inſtrumentis ſemper vti ſolet, ſi quoniam rem moleſtam violenter expellit. Sed mirum illud eſt, quod Beniuenius *q* narrat, quempiam gladio ictum in ſede cordis; effuſo plurimo ſanguine, langueſcentibus illico viribus, pallente facie, atque oborto ſudore frigido, benè conualuiſſe: putat ille tamen, non ipſam cordis ſubſtantiam, ſed eius tantum tunicam fuiſſe perſtrictam: quam quidem Galenus quinto libro *r* de locis affectis inter ignobiles partes reputauit: ac quomodocunque afficiatur, nullum afferre, ait, periculum: exemplo ſcilicet reliquarum omnium partium, quæ ad cuſtodiam, & tegumentum cæterarum nobiliorum factæ ſunt.

p 5. *Apho.* 52.

q *De admir. rerum cauſ. cap.* 65.

r *Cap.* 2.

Cerebri vulnera duplici nomine lethalia ſunt: tum quia princeps eſt pars, ac facultatis animalis origo; tum quia plura, ac grauia ſymptomata afferri ſolent: nam quia pars eſt princeps, celerrimè exhauritur ſpiritu: noxaque toti corpori impertitur: ſymptomata autem ſuperueniunt grauia ex inflammatione, atque intercepta facultate animali. Verum cerebri vulnera ea eſſe intelligimus, quæ tum illius ſubſtantiam, tum etiam quæ ſolas menynges attingunt. Suntque eius omnino generis; ſiquidem non adeò magna fit plaga, vt non neceſſario, ſed magna ex parte hominem tollant. Quæ res ne ſine authorum fide pertranſeat; nonnulla ex multis huc afferam loca; quæ noſtram ſententiam confirment. Cerebrum vulneratum, inquit Galenus, *ſ* ſæpè ſanatum vidimus: ſemelq; in Smyrna Ioniæ, è vulnere eſſatu digno: hoc tamen rariſſimum eſt. Hunc ipſum alibi *t* ſcripſit, accepiſſe vulnus in anteriorem cerebri ventriculum: quod ſi in vtriſque illatum fuiſſet, nullo pacto potuiſſet euadere. Plura etiam huiuſmodi poſt Galeni tempora obtigerunt, quæ ferè hominum fidem excedere videntur: Nam Marcellus Donatus libro quinto de

ſ 6. *Apho.* 18.

t 8. *De vſu part.* 10.

ro *a* de medica hiſtoria mirabili; multa vulneratorum exempla recenſet: in quibus non ſolum inciſi, vulneratiq́; cerebri panniculi: ſed in ipſam etiam ſubſtantiam vulnus penetrarit: &, quod mirabile eſt, vſque ad os baſilare. Quid? ipſius etiam ſubſtantiæ nonnihil fuiſſe aliquando deperditum: idque tam multum, vt etiam gallinacei oui magnitudinem æquaret. Tu verò omnium horum hiſtorias à grauiſſimis authoribus excerptas, apud ipſum per otium leges. Ex his enim hoc planè ſtatuendum puto, vulnera panniculorum eſſe quidem lethalia; vix *x* enim horum incommoda ſubiecta cerebri ſubſtantia non participat: non tamen neceſſariò: ſed magna ex parte ſæpeque obſeruatum eſt, non paucos vulneratos inde euaſiſſe, niſi in malos incidant chirurgos. Subſtantiæ verò cerebri lethalia ſimiliter ſunt: quamquam vt magis periculoſa: ita ab his pauciores euadunt: quod ſi magnum admodum ſit vulnus, ac cum multæ ſubſtantiæ iactura: tunc aut nemo, aut certè ſi quiſpiam euaſerit: inſtar naturæ miraculi fuerit. Narrat etiam Amatus *a* (digna notatu hiſtoria eſt.) iuuenem vulnere accepto in fronte: magnoque iam ad ventriculos cerebri penetrante, optimè tamen, ac nullo exorto ſymptomate conualuiſſe: quòd nimirum inter ipſos cerebri ventriculos enſis fuiſſet inflictus: ipſius illæſa ſubſtantia. Membranæ enim, quæ cerebrum operiunt, ſub recta cranei ſutura duplicatæ in medium cerebrum deſcendunt: dextram illius partem à ſiniſtra manifeſto interſtitio ſeiungentes: vt mirum non ſit, ſiquidem inter has membranas iuſtè ferrum adigatur, vulnus lethale non eſſe. Atque has plagas eiuſdem notæ ille eſſe arbitratur, ac illas, quæ tantum menynges afficiunt, cerebro illæſo.

Hepatis *b* non ſolum profundū vulnus in fibris eius inflictum: ſed etiam fibram abſciſſam, aiunt fuiſſe ſanatam: verum hæc vulnera plurimo manant ſanguine; idcirco prius moriuntur, qui ita ſunt vulnerati, quàm agglutinari vulnus poſſit: nam qui in ſumma eius parte conſiſtentia vulnera agglutinari aiunt: & fibras etiam fuiſſe ablatas, verum videntur dicere. Ideoq; & Celſus *c* hepatis vulnera in portis tantum lethalia eſſe affirmauit: vixq; ad ſanitatem peruenire, quibus illius craſſum ſit vulneratum. Veriſſimum ergo ſit, iecoris tantum connexa, concauaq; vulnerata lethale vulnus conſtituere: nam quod fibras tantum, aut lobos attigerit: ſeu potius, quod extremas tenueſq; viſceris oras læſerit; (nam lobos reuera non habet humanum iecur) periculoſum

a Cap. 4.
x 4. De præſag. ex pulſ. 9.
a Cent. 3. curat. 83.
b 6. Apho. 18.
c Lib. 5. c. 26.

 loſum

loſum eſt tantum: & quod niſi in corpore nimis cacochimo: aut in quo quiſpiam error commiſſus ſit, haud ægrè ſaneſcat.

d 6. Aph. 18. Ventriculo diſciſſo, inquit Hippocrates, [d] lethale eſt: quamquam hoc quibuſdam eſſe ambiguum ſcripſit Galenus: nam quoſdam in eo vulneratos, dicunt aliquando: ſed raró fuiſſe ſanatos: ac denique ſaucium ventriculum, in ſumma eius parte

e Lib. 5. c. 4. ſæpè agglutinari ait. Vide etiam Marcellum Donatum, [e] qui nonnullos memorat ſauciato ventriculo, optimè conualuiſſe.

f Lib. 5. c. 26. Verùm Cornelius [f] Celſus, percuſſi ſtomachi lethale eſſe vulnus memoriæ prodidit; cuius tamen ſententiam moderabere: atq; ad Galeni placitum, quod verius eſſe obſeruatur, accommodabis. Atque omnino de his vulneribus ita ſentiendum eſt: nam ſi læſa ſit tantum exterior tunica; facilè ſaneſcit: ſi verò ad unum interiorem vulnus perueniat; difficilior curatio eſt: item quæ circa fundum ſunt, minus habent periculi: at in ore, quod maximè neruoſum eſt; inſigne vulnus multis de cauſis deſperatum eſt: nimirum propter partis præſtantiam: ſingularem quamdam ſympathiam cum corde, & cerebro, & naturam exanguem.

Pulmonis vulnera, ſiquidem magna ſint: quæ ſcilicet profunda continui ſolutione, & carnem visceris diſſipent, & magna vaſa, inſigneſq; ramos venæ arterioſæ, ac venoſæ arteriæ offendant, neceſſario, ac ſubito vitam adimunt: primo ex diſſipatione ſpiritus vitalis, ac ſanguinis profuſione: illius etiam grumo ſpirituum conceptacula intercipiente: quod ſi mediocria ſint, aut exigua: ſed ſerius, vel minus artificioſè tractentur, idem de illis iudicium ferendum eſt: cum verò magna illa vaſa ſanguine à percuſſa non ſunt: ſed tantum aſperæ arteriæ, vel bronchia notabili vulnere affecta deprehenduntur: hæc vulnera non equidem ſubito: neceſſario tamen poſt aliquod tempus occidunt: multæ enim mortis cauſæ conſpirant: cordis ſympathia, ſpiritus vitalis diſſipatio, pulmonis putredo, curandi difficultas, continuus motus, & tuſſis vulnus amplificans. Si verò minora vaſa ſanguinea rupta fuerint, vel caro ipſa pulmonis diuiſa: hæc uulnera nec ſubito, nec neceſſariò hominem necant: ſed tantum ſi particula inflammetur: quamquam plus periculi ex ſubſtantia quàm ex vaſis vulneratis immineat: nam vix firma induci in ea poteſt ci-

g Cap. 2. catrix. Sed illud ſilentio prætereundum non eſt, quod quinto [g] methodi ſcriptum reliquit Galenus: nimirum vulnera pulmo-

nis,non propterea quod in perpetuo motu eſt viſcus,curari non poſſe: quod tamen, qui ante ipſum fuerant, ſenſerunt: ſed propter ſaniei, & puris uacuationem: nam ægrè ea excrementa ex ſpatijs pulmonis expelli poſſunt. Præterea uerò viſi *h* ſunt, quibus pulmonis fibræ, nec illæ quidem exiguæ per uulnus reie-ctæ ſint, nulla tamen uitæ diſcrimine. Celſus *i* uerò inſanabile eſſe,ait,dumtaxat uulnus, cum medius pulmo præciſus eſt.

h Cornel Gema 1.coſmot. cap.6.
i Lib.5.c.26.

Septi tranſuerſi uulnera (diaphragma appellant) ex eius ſubſtantiæ uarietate uarios quoque habent euentus: nam ſi in eius neruoſa accepta ſunt parte, quæ in centro eſt: neceſſariò lethalia ſunt: iugi illius motu conſolidationem impediente. Si uerò in parte carnoſa,quæ undique internum attingit thoracem: hæc ſubinde coaleſcere ſunt uiſa, inquit Galenus, *l* eius motu non obſtante: quamquam difficilem hanc curationem ſemper putauit,quocunque tempore phlegmone occupauit.

l 5.Methor. cap.9.

Ex tenuibus inteſtinis diſciſſo aliquo, lethale eſt, inquit Hippocrates: *m* & ſiquidem ad eorum cauitatem peruenerit uulnus: rariſſimè, ait Galenus, conſolidari: neque hoc tantum propter illorum ſubſtantiam: ſed quoniam non poſſumus æquè intrinſecis, ſicut extrinſecis imponere uulneribus medicamentum. Reuerà autem ieiunum inteſtinum omnium maxime inter tenuia inſanabile eſſe experimur, ſi uulnere offendatur: nimirum propter uaſorum magnitudinem, tunicæ tenuitatem, nerueam naturam, iecoris uiciniam, bilis ſuſceptionem, & curandi difficultatem. Aliquando tamen uiſum eſt ſaneſcere uulnus, quod in ſumma parte acceptum fuit: reliquorum uerò leuior uulneratio agglutinatur: quia plurimum carnoſa ſunt: nec ad mortem perducit: niſi phlegmone,& ileus ſuperuenerint. At magna uulnera, & per tranſuerſum inflicta lethalia ſunt: tum quia magna eſt partium ſeparatio, quæ continuo uitioſarum humiditatum tranſitu diſiunguntur: tum etiam, quod nec medicamenta conuenienter admittunt. De his autem uulneribus uide etiam Marcellum Donatum loco iam ſæpius citato: nam quendam inter alios memorat, qui tenui inteſtino præciſo,diu uixerit: quod tamen ego inter rara poſuerim exempla.

m 6.Aph.18.

Veſica etiam diſciſſa,lethale eſt,inquit Hippocrates: *n* uerum diſtinctione hic opus eſt: nimirum ut tota ipſius tunica ad interiorem uſque capacitatem diuiſa, diſſectaq; ſit, & quidem notabili uulnere: nam exiguum tum coaleſcere carnis interuentu,

n 6.Aph.18.

cum exactè ſanari experientia confirmat. Hoc etiam uulnus in neruoſa parte accipi debet: nam collum ipſius, quod maximè carnoſum eſt, quotidie ſanari uidemus, in his ſcilicet, quibus ueſicæ calculi extrahuntur: obſeruatum tamen eſt à nonnullis, rarius uulnera ſanari, ſi qua parte ueſica oſſi ſacro alligatur, infliguntur.

Spinalis medulla ſi uulnus accipiat, æquè, atque in cerebro lethale eſt: dictum eſt enim ex Galeno, o ipſam uelut alterum quoddam cerebrum his omnibus particulis eſſe, quæ ſub capite ſunt. Tale igitur fuerit, tum propter particulæ nobilitatem, tum etiam propter nerueam naturam: multa etiam, ac grauia ſymptomata inde proficiſci ſolent: multaq; illi cum cerebro, ac uicinis partibus ſympathia eſt: quibus omnibus accedit, quod ægrè curari poteſt: præterea tanto lethalius eſſe hoc uulnus deprehenditur, quanto in ſublimiori ſpinæ parte acceptum fuerit: nam, ut ueriſſimè docet Galenus, p ſi ſpinalis medulla in aliqua uertebrarum integrè læſa ſit, omnes partes inferiores reſoluuntur: ſi uerò in altera tantum parte, altera manente illæſa: partes dumtaxat, quæ illi è directo reſpondent, reſolutio infeſtabit: ſed hæc quantum ad partium ſtructuram ſpectat, ueriſſima eſt ſententia: quamquam ſi particulæ naturam ſpectes: quæ in inferiori ſpinæ parte accipiuntur uulnera, longè deteriora ſine dubio eſſe deprehenduntur: nam hoc in loco nerue a ferè medulla eſt: cum tamen in ſuperioribus partibus mollior ſit, ac planè medulla. Quod Columbus q diligentiſſimus anatomicus adnotauit. Verum ut hæc uulnera neceſſariò lethalia ſint, magna eſſe oportet: nam ſeruari quiſpiam poterit, ubi telum dorſalem ſubſtantiam altè non diuiſerit. Præterea ſi tranſuerſim medulla diuidatur, neceſſariò mortem affert: nam ſtatim partes omnes inferiores reſoluuntur; nec remedia promptè adhiberi poſſunt. Atque hoc modo intelligendus eſt Celſus, r qui percuſſæ in ſpina medullæ inſanabile eſſe memoriæ prodidit.

Venas etiam craſſiores, arteriaſque, quæ in intimis partibus abditæ ſunt, ſi uulnere offendes, lethale eſt. Huiuſmodi ſunt uena caua, magna arteria, grandes illæ uenæ, arteriæque circa ſ fauces, uel in crure, ac fœmore; item uenæ maiores in alis, ac poplitibus: in his enim magna uulnera neceſſariò lethalia ſunt, propter immoderatum ſanguinis profluuium; unde eò citius deficit animal, quo minus extra corpus exit effluxus; tunc enim & prom-

o 11. De uſu part. 11.

p 1. Loc. aff. 6.

q 8. De re anatom. cap. 4.

r Lib. 5. c. 26.

ſ 3. De uſu part. 2.

promptiſſimè exoluitur, & ſuffocatur. Curandi autem difficultatem arguit neruea natura, & ſitus profundior: nam nec integris viribus eò peruenire medicamentum poteſt. Venæ autem minores inciſæ non adeò multa ſanguinis profuſione vitali ſpiritu hominem exhaurire poſſunt. Proinde veriſſimè Celſus *a* inſanabile eſſe vulnus affirmat, circa grandes faucium venas, vel arterias: in præcipiti autem eſſe, in quibus vſque ad grandes intuſq; conditas venas in alis, vel poplitibus mucro deſcenderit: ea etiam vocat periculoſa, vbicunque venæ maiores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione ſanguinis poſſunt. Idque in his etiam venis euenire, quæ ad anum, teſticuloſq; perueniunt. At verò illud etiam compertum habemus: nimirum arteriarum vulnera longè eſſe, quàm venarum grauiora: nam & maior iactura eſt ſpiritus, quam ſanguinis. *a Lib. 5. c. 26.*

Aſperæ arteriæ leuia vulnera percurata interdum ſunt; magna verò planè lethalia exiſtunt. Atque hi non equidem moriuntur, quod ſpiritus cauo thorace clauſus exitet per vulnus: ſed quod & chartilaginea natura, & continuus motus conſolidationem non patitur. Ergo niſi magna ſint hæc vulnera, nequaquam ſunt neceſſariò lethalia. Obſeruatum tamen eſt, grauiora eſſe, ſi circa gulæ, ac gutturis partes ſummas conſiſtant, vbi nerui, venæ arteriæq; periculum augent: nam alibi præciſa ſæpè bonum ſortiuntur euentum. Atque in his, qui lethali angina ſuffocantur, grauiſſimi quidam medici excindi arteriam ſalubriter præceperunt.

Renum etiam vulnera, quoniam multa ibi diſſeminata ſunt vaſa, ac perpetuum excrementi illapſum excipiunt: vſumque habent vitæ conſeruandæ neceſſarium, vt plurimum lethalia ſunt. Quamquam incurabilia eſſe arbitretur Cornelius Celſus. *u* Atq; obſeruant peritiſſimi quidam Chirurgi: *x*, ſi profunda ſint hæc vulnera, difficillimam habere curationem: nam ſi in ſola ſubſtantia, quæ denſa eſt, ac carnoſa, leuiter accepta ſint, interdum conualeſcunt. *u Vt ſupra.* *x Andr. de Cruce.*

Lienis vulnera plerique lethalia eſſe crediderunt: illi enim vſum eſſe toti corpori famulantem: atq; eſſe quaſi alterum hepar. At quia obſeruauimus aliquando, nonnullis animalibus totum ſplenem exectum fuiſſe: ac nihilominus integros illos ſuperfuiſſe: memoriæq; prodiderit Ariſtoteles, *a* liene carens interdum animal naſci poſſe: ideò niſi magna aliqua vaſa in eo diſſecta ſint, nequaquam illa arbitror ſua natura lethalia eſſe. *a 4. De gener. animal. 4.*

Quibus

multum tempus erat. Neque id quidem mirabere: nam calor putredinalis nihil prohibet, quin cadauera aliquando concalefacere poſſit: ac præſertim ad cordis viciniam: ad quem locum omnis ſpiritus, ac calor corporis vniuerſi in vitæ extremis conueniunt, ac retrahuntur. Quin etiam quicunque ex conuulſiuo aliquo affectu moriuntur, diutiſſimè calidos permanere, teſtatur Galenus: [n] quocirca hoc indicium, quod à tactu deſumitur, leue omnino, ac nullius momenti eſt.

n ... præſag. ex pulſ. 4.

Tridui expectatio in mortuis explorandis, an vnquam ex vſu ſit.

o 1. 3 Tract. 5. cap. 12.

SEd hoc etiam prætereundum nõ eſt, quod Auicennas, [o] nonnulliq; alij peritiſſimi viri memoriç prodiderunt. Aliquando accidit, inquit ille, vt homo apoplexiam incurrat: & non ſit differentia inter ipſum, & mortuum: & non apparet in ipſo aliquid anhelitus: deinde reuiuiſcit, & ſanatur. Et nos plurimos eorum vidimus: & in iſtis quidem anhelitus non apparet: ſed ipſorum pulſus non integrè cadit: & videtur, quod calor innatus in eis non vehementer indigeat euentatione, & expulſione vaporis fumoſi propter frigus: & ideò volunt, vt tardetur ſepultura ambigui ex mortuis, donec perpendatur ex eis diſpoſitio: & neque ſit minus ſeptuaginta duobus horis. Gentilis etiam apopleticum vidit, qui inter exequias, ac propinquorum eiulatus, quaſi ab inferis redijt. Nicolus ſe apopleticam mulierem nouiſſe teſtatur, quam nemo non mortuam crederet: in ipſo autem funere parum ſeipſam primo commouit, ac tandem locuta eſt: verum tertia die interijt. Plinius [p] multa illorum exempla commemorat: qui elati reuixerunt: aitq; præterea fœminarum ſexum huic malo maximè eſſe opportunum, conuerſione vuluæ: quæ ſi corrigatur, ſpiritus reſtituitur: mirumq; narrat de fœmina, quæ ſeptem diebus exanimis, ad vitam reuocata fuit. Scripſit etiam Amatus, [q] puellam Ferrarienſem, apoplexia apprehenſam, cunctis mortuam fuiſſe deploratam: cumq; illam mater triduo domi inſepultam lugeret: poſt id tempus ex inſperato quaſi rediuiuam factam eſſe. Aiunt præterea id, quod ego non raro ab his accepi, qui mortuis humandis quæſtum faciunt: multos, qui immaturius fuerant ſepulti, loco dimotos, aut etiam ſedentes repertos fuiſſe: vt credibile propterea fuerit viuentes illos

p Lib. 7. c. 52.

q 4. Cent. curat. 23.

illos fuiſſe ſepultura donatos. Hac fortaſsè de cauſa apud nonnullas nationes, in more poſitum erat, vt mortuos aliquo tempore ſeruarent inſepultos. Etenim Naſamones* Lybiæ populi diebus ſeptem ita ſeruabant: Græci ſeptendecim. Quod autem trium dierum ſpatium exigunt aliqui, vt certum obitum deprehendant: licet neſcio quam rationem reddiderit conciliator, quæ in integra humorum euentatione: quam ille triduo abſoluit, poſita eſt: mihi tamen infirma eſſe illa omnia videntur: nec ſemper ſi deficiat apoplecticus, aut hiſterica, tamdiu expectandum, reor, vt triduum prætereat. Attamen non equidem nego eueniſſe interdum, vt viuentes aliqui ita ſepulti ſint: præſertim ſi imbecilli natura fuerint, frigidoq́; temperamento, ac fœminæ omnium maximè. Sed hoc aio: ſi ea diligentia adhibeatur, quam nos paulò antè ſatis propoſuimus, ſuperuacuam illam tridui expectationem fore: nam etſi nulla in his perſpicua ſit reſpiratio: eſt tamen aliqua: & quæ prædicto artificio deprehendi poſſit. Attamen hoc admoneo: vt ſi cæteri inſtent, inſepultum, & tu quoque cadauer aſſeruari minimè repugnabis: donec ſcilicet fœtor interitus certitudinem præbeat: modo tamen quidquid ingenuè ſenſeris, palam facias. Verum quidquid de reſpiratione hactenus dixi: idem quoque de arteriarum pulſu mihi dictum eſſe intellige: æqua enim vtriuſque neceſſitas: ac neutrum ipſorum, vt doctè monſtrat Galenus, [r] in totum perire poſſibile eſt, donec animal viuit: hunc tamen ipſum periiſſe putare propter paruitatem, nil mirum. Nam quod aiunt, cum pulſuum priuatione, quam aſphyxiam vocant, aliquandiu vixiſſe aliquos: de apparente intellige: non de vera: quæ nunquam in viuente eſſe poteſt.

* *Alexan. ab Alex. libro 3. cap. 7.*

[r] *De diffic. reſp. 8.*

Quæ in mortuis viuentium ſimilia conſpiciantur.

AD hoc etiam argumentum ſpectat, vt nonnulla proponamus, quæ ita in mortuis conſpiciuntur: vt etiam viuentium propria eſſe nihilominus ſoleant. Illis enim augentur pili, creſcunt vngues, ſæpè penis erigitur. Narratur [ſ] etiam, virginem monialem cum alterius demortuæ manum illachrymans apprehenderet, vt exoſcularetur: ter mortuam viuentis manum adeò fortiter ſtrinxiſſe, vt viua ob id eſſe crederetur. Ergo ſi quid vnquam huiuſmodi inciderit: ne ſtatim tu quoque cum vulgo obſtupe-

[ſ] *Marc. Donat. lib. 2. c. 3.*

ſtupe-

Digitized by Google

ſtupeſces: ſed grauiter potius omnium cauſas explicabis. Pili enim, inquit Alexander, *t* atque vngues videntur quidem mortuis augeri: reuerà autem minimè augentur: ſed carne tabeſcente, conſumptaq;, partes illæ, quæ iam opertæ latebant, deteguntur, & patent. Quamquam nihil etiam prohibet: illas augeri: nam hæ corporis particulæ, non alimento, vt cæteræ: ſed excrementi impulſu excreſcunt: quod mortuis per foramina, atque extrema corporis promptè valet effluere. Quocirca ſilendum illud non eſt, quod Paræus *u* memoriæ prodidit: ſe multis annis integrum cadauer domi conditum aſſeruaſſe: cui cum ſæpè vngues excreſcerent, crebro etiam reſecabat, cum tamen non multò pôſt ad priorem magnitudinem redirent. Penis autem erectio ſine dubio à flatuum eſt copia: qui tabeſcente cadauere plurimi excitantur: à quibus etiam ſpongioſa, & poroſa illa ſubſtantia in tumorem attollitur. Monialis autem manus à flatu ſimiliter contracta, ac conuulſa tunc fuit, cum illa apprehenderetur. Quamobrem mirandum quoque non fuerit, ſi mortuo interdum homini, caput faciem, aliamuè particulam moueri videas: eadem enim horum omnium eſt ratio. Sed de propoſita diſputatione hæc ſatis.

t 1. *Probl.* 345.

u *Tractat. de emblemat. in fine.*

Vtrum accepto vulnere quiſpiam interierit: an alia fuerit mortis occaſio. Cap. II.

Scribendi occaſio.

COMPLVRES ſunt, qui leuibus acceptis vulneribus: aut certè minimè exitioſis, non rarò tamen præter opinionem intereunt: quæ res ad iudices delata, non modicè illorum animos verſat: vnde nimirum potiſſima extiterit mortis origo. In quo quidem iudicio, ſi percuſſores incertæ necis crimine damnentur, ius, & fas omne peruertitur: ſi verò iniuſtè ſoluantur: iniquum fuerit, nullam de occiſore pœnam ſumere. Quamobrem iure illi in his anguſtijs nos adeunt conſultores: noſtraq; tandem adiuti ſententia integrè de rebus decernunt. Hoc igitur conſilio peculiarem de hac re tractationem faciam: in qua viam, ac rationem oſtendam: qua deprehendi poſſit: illatinè vulneris cauſa: an alterius mali

inter-

internentu,is, de quo quæritur,interierit. Quæ quidem perquiſitio, vt abſolutior fiat, nonnihil prius de lethalibus vulneribus, ac cæteris differentijs dicam. Poſtea verò qua ratione ab exiguis percuſſionibus mori homines contingit: ac denique quomodo non tàm in vulnus: quàm in multas alias rerum occaſiones necis culpa iure referri poſſit.

Vnde lethalium vulnerum ratio in vniuerſum ſumenda ſit: ac quæ tuta, mediaq; vulnera ſint iudicanda.

PRimò igitur triplicem vulnerum differentiam, quæ mihi ad præſens inſtitutum faciat, propono: vt alia ſcilicet lethalia ſint: alia,quæ tuta nuncupentur: vltima autem,quæ medio conſiſtant loco, ac periculoſa dicenda ſint. Lethalia quæ ſint,& vnde talia conſtituantur, quamquam Hippocrates, *a* ac Galenus non obſcure explicarint: quia tamen nonnulli ſunt: nec hi quidem incelebres viri,qui ſuperuacuas neſcio quas huiuſmodi vulnerum differentias attulerunt: quibus aliqui forſitan perſuaſi, alienè de rebus ſentiant: ideò pluribus de hac re agendum puto. Scribunt iſti, *b* lethalia vulnera non ſolum à vulneratæ partis natura,ſed etiam ab eſſentia vulneris,ab eiuſdem magnitudine: item à complexu ſymptomatum, atque à proprijs ſolutæ vnitatis differentijs proficiſci. Mihi autem, dum ſummos medicinæ magiſtros conſulo,ac res ipſas diligenter intueor,ab vna tantum partium natura lethalia vulnera cenſeri, nuncupariq; non alienè videtur. Et quidem ſatis conſtat,eſſentiam vulneris,quæ in mollis particulæ recens ſoluta vnitate conſiſtit,eandem vbique eſſe: neque enim magis vulnus eſt,quod in corde,quàm quod in nate infligitur: ſed eandem ſemper naturam, ac characterem ſeruat. Quocirca ſi verum eſſet, vulnus aliquod ſua eſſentia lethale eſſe: vulnera omnia ſemper eſſent lethalia,nulla ſalubria. Neq; etiam ab affectus magnitudine vllum vulnus lethale eſt: ſed magnum dumtaxat, ac paruum: quæ longè alia ſunt à lethali: nam quod magnum eſt, tutum: & quod paruum, perniciofum eſſe ſæpènumero poteſt. Attamen neſcio quid veriſimile habet, quod aiunt,à ſupernenientibus ſymptomatibus lethale vulnus nuncupari: nam ſi grauia accedant ſymptomata,nemo eſt,qui neſciat, lethaliter quoque affectum hominem eſſe. Reuera autem nullum vulnus à ſymptomatibus habet, cur lethale ſit. Neque enim ſi quis

a 6. Aph. 50. 5. Aphor. 2.

b Fran. Valler. 3. enarra. med. cap. 8.

Digitized by Google

ſi quis accepto in digito vulnere, oborta deinde inflammatione, aut ſpaſmo intereat, lethale propterea illud fuerit appellandum: ſic enim vulnera omnia eſſe poſſent lethalia: nam, vt veriſſimè ſcripſit Hippocrates, *c* moriuntur homines ab omnis generis vulneribus, quamuis in vilibus locis, & nulla re grauia eſſe videantur. Ergo quæ ſymptomata ſuperueniunt, exitium quidem afferre: at non propterea naturam vulneris immutare vnquam poſſunt. Eadem quoque ratione ſi quis lethali vulnere in cerebro accepto, euadat tamen ac conualeſcat: nunquam illud tamen tutum propterea fuerit: ſed ſemper lethale: tametſi mors inſecura non fuit. Quamobrem ſatis mihi perſuadeo, nec per præſentiam ſymptomatum lethale vnquam ſua natura vulnus conſtitui: nec tutum per illorum remotionem. Ergo partium dumtaxat ratione lethalis vulneris naturam definio: Et cum Hippocrates, qui vnus mihi inſtar omnium fuerit, tum in ſecundo *d* prædictionum libro: tum in ſexto *e* aphoriſmorum; tum etiam in coacis *f* prædictionibus, multa de lethalibus vulneribus diſſeruiſſet: horum differentias à vulneratæ tantum partis natura; nec vnquam aliunde deſumpſit. Ergo diligenter explicandum eſt nobis, quæ particulæ noſtri corporis huiuſmodi ſint: vt in his accepta vulnera lethalia eſſe dicantur. Quocirca quod ego ab ipſa rei natura, atque authorum teſtimonijs, proprijſq; obſeruationibus accipere hactenus potui, ad hunc modum ſe habet. Particulæ omnes, quæ in corpore principatum tenent ac fontes ſunt facultatum: nimirum cor, cerebrum, ac iecur, ſiquidem vulnerentur, lethale vulnus efficiunt: inter has etiam merito ventricolum poſuerim: propter magnam illius actionis neceſſitatem: vnde etiam regem corporis veteres *g* medici illum nuncuparunt. Neque ab hoc ordine ſpinalem medullam ſecluſerim: quippe quæ eiuſdem notæ cum cerebro eſſe cenſeatur: eſtq; *h* velut alterum quoddam cerebrum partibus omnibus, quę ſub capite ſunt. Secundo loco illas etiam particulas pono, quæ ſemel diuiſæ coaleſcere non poſſunt: cum tamen neceſſariam vitæ actionem exerceant: cuiuſmodi eſt ſeptum tranſuerſum, tenue inteſtinum, atque vrinaria veſica: tertio illas quoque, quæ eximio donatæ ſunt ſenſu: læſæq; promptiſſimam afferunt ſyncopen: quale præſertim eſt os ventriculi: vltimo autem quæcunque larga ſanguinis, ac ſpirituum effuſione vitam perdunt: vt magnæ arteriæ, ac venæ. Sed eſt, quod hoc in loco nonnihil dubites:

c 2. *Prædict.*
d *In medio.*
e *Aphor.* 50.
f *Ante finem.*
g *Q. Serenus.*
h 12. *De vſu part.* 11.

bites: nimirum in his particulis aſcopta vulnera vix vnquam
mortem afferre abſque ſymptomatum interuentu: vt iam pro-
pterea à ſymptomatibus lethalium vulnerum differentias ſu-
mendas eſſe, putes. Ad hæc ego, ſymptomata illa, quorum in-
teruentu vulnerati interire videntur, ſemper læſæ particulæ na-
turam conſequuntur: etenim cæſo ore ventriculi, ſyncope, ne-
ceſſaria quadam ſequela ſuperueniens occidit: ſic etiam ſi cere-
brum vulneretur, conuulſione, apoplexia, ac ſimilibus necem af-
fert: arteriæ, & venæ effuſione ſanguinis. Quamobrem omnis
lethalium vulnerum ratio ab ipſa particularum natura ſemper
pendet: & quæ ſymptomata in earum percuſſionibus grauia
ſunt, certam earundem proprietatem ſequuntur. Sed de lethali-
bus vulneribus illud etiam opportunè hic dicam: bifariam ſcili-
cet ex Hippocrate, *i* ac Galeno illa diſtingui: vt alia nimirum *i 6. Aph. 5c.*
ſint ex neceſſitate lethalia: alia magna ex parte, quæ adhuc di-
ſtinctio ex ipſa partium natura, ſi rectè aduerteris, deſumpta eſſe
intelligitur: nam illa neceſſario lethalia erunt, quæ nobilioribus
particulis, aut maximè ſentientibus: aut quarum vſus plurimum
animali expediat, infliguntur: magna autem ex parte quæ minus
nobilibus. Sed cum huiuſmodi ſint lethalia vulnera: tuta ea fue-
rint, quæ periculo carentia vocare ſolet Galenus: *l* quæ ſemper *l Finit. medic.*
ad ſalutem, quantum in ipſis eſt, vergunt: ſuntq; cum euaſorijs,
quæ nunquam peremptoria idem appellat, poteſtate eadem.
Sed hæc latiſſimam habent differentiam pro maioris minoriſq;
ratione. Quæ autem medio loco conſiſtunt, periculoſa nuncu-
pauit Galenus; eaq; eſſe, ait, quæ ad pernitiem, atque ad ſalutem
æquale habent momentum: huc vulnera cacoethe referuntur:
quæ *m* ſcilicet ad ſanandum ſunt contumacia: quæ itidem in dif- *m 4. Meth. 5.*
ferentia, mediaque, ac natura docti quidam medici *n* nuncupa- *n Guido. trac.*
uerunt. Ad hoc etiam genus ea reduci ſolent, quæ magna qui- *3. doc. 1. c. 1.*
dem ex parte lethalia eſſe ex Galeno meminimus: ſed quibus
tamen affectus paruitas aliquid de periculo detraxit: cuiuſmodi
ea ſunt, quæ extremam iecoris partem, aut etiam menynges le-
uiter attigerunt. Sed hæc ſatis: nam de ſingulis vulneratis parti-
culis, vbi hæc omnia fient lucidiora, iam dicere aggredior.

Quarum corporis partium lethalia ſint vulnera.

CORdis vulnera lethalia eſſe, vnum ex his eſt, inquit Gale-
nus, *o* quæ in confeſſo habentur; & ſi ad ventrem eius vul- *o 6. Aph. 18.*

nus pertingat, protinus magno cum ſanguinis fluore hominem mori neceſſe eſt; idque præcipuè ſi ſiniſtræ partis venter fuerit vulneratus; ſi verò non ad ventrem vſque penetrauit; ſed in cordis ſubſtantia conſiſtat vulnus; ex ita affectis aliqui non ſolum eadem die, qua vulnerati fuerunt, ſed ſequenti quoque nocte viuere potuerunt; qui etiam inflammationis ratione extinguuntur. Ex hoc autem vulnere non tantum qui in cordis ſinibus continentur ſpiritus educuntur; ſed qui in vniuerſo etiam corpore: nam cum natura opem ferre principi laboranti particulæ enitatur, ſanguinem vndique, ac ſpiritum illuc demandat: quibus *p* veluti inſtrumentis ſemper vti ſolet, ſi quoniam rem moleſtam violenter expellit. Sed mirum illud eſt, quod Beniuenius *q* narrat, quempiam gladio ictum in ſede cordis: effuſo plurimo ſanguine, langueſcentibus illico viribus, pallente facie, atque oborto ſudore frigido, benè conualuiſſe: putat ille tamen, non ipſam cordis ſubſtantiam, ſed eius tantum tunicam fuiſſe perſtrictam: quam quidem Galenus quinto libro *r* de locis affectis inter ignobiles partes reputauit: ac quomodocunque afficiatur, nullum afferre, ait, periculum; exemplo ſcilicet reliquarum omnium partium, quæ ad cuſtodiam, & tegumentum cæterarum nobiliorum factæ ſunt.

p 5. Apho. 52.

q De admir. rerum cauſ. cap. 65.

r Cap. 2.

Cerebri vulnera duplici nomine lethalia ſunt: tum quia princeps eſt pars, ac facultatis animalis origo; tum quia plura, ac grauia ſymptomata afferri ſolent: nam quia pars eſt princeps, celerrimè exhauritur ſpiritu: noxaque toti corpori impertitur: ſymptomata autem ſuperueniunt grauia ex inflammatione, atque intercepta facultate animali. Verum cerebri vulnera ea eſſe intelligimus, quæ tum illius ſubſtantiam, tum etiam quæ ſolas menynges attingunt. Sunt que eius omnino generis: ſiquidem non adeò magna fit plaga, vt non neceſſario, ſed magna ex parte hominem tollant. Quæ res ne ſine authorum fide pertranſeat; nonnulla ex multis huc afferam loca; quæ noſtram ſententiam confirment. Cerebrum vulneratum, inquit Galenus, *ſ* ſæpè ſanatum vidimus: ſemelq; in Smyrna Ioniæ, è vulnere eſſatu digno: hoc tamen rariſſimum eſt. Hunc ipſum alibi *t* ſcripſit, ac cepiſſe vulnus in anteriorem cerebri ventriculum: quod ſi in vtriſque illatum fuiſſet, nullo pacto potuiſſet euadere. Plura etiam huiuſmodi poſt Galeni tempora obtigerunt, quæ ferè hominum fidem excedere videntur: Nam Marcellus Donatus libro quinto de

ſ 6. Apho. 18.

t 8. De vſu part. 10.

eo a de medica hiſtoria mirabili; multa vulneratorum exempla recenſet: in quibus non ſolum inciſi, vulneratiq; cerebri panniculi: ſed in ipſam etiam ſubſtantiam vulnus penetrarit: &, quod mirabile eſt, vſque ad os baſilare. Quid? ipſius etiam ſubſtantiæ nonnihil fuiſſe aliquando deperditum: idque tam multum, vt etiam gallinacei oui magnitudinem æquaret. Tu verò omnium horum hiſtorias à grauiſſimis authoribus excerptas, apud ipſum per otium leges. Ex his enim hoc planè ſtatuendum puto, vulnera panniculorum eſſe quidem lethalia; vix a enim horum incommoda ſubiecta cerebri ſubſtantia non participat: non tamen neceſſariò: ſed magna ex parte: ſæpeque obſeruatum eſt, non paucos vulneratos inde euaſiſſe, niſi in malos incidant chirurgos. Subſtantiæ verò cerebri lethalia ſimiliter ſunt: quamquam vt magis periculoſa: ita ab his pauciores euadunt: quod ſi magnum admodum ſit vulnus, ac cum multæ ſubſtantiæ iactura: tunc aut nemo, aut certè ſi quiſpiam euaſerit: inſtar naturæ miraculi fuerit. Narrat etiam Amatus a (digna notatu hiſtoria eſt) iuuenem accepto in fronte vulnere: magnoque iam ad ventriculos cerebri penetrante, optimè tamen, ac nullo exorto ſymptomate conualuiſſe: quod nimirum inter ipſos cerebri ventriculos enſis fuiſſet inflictus: ipſius illæſa ſubſtantia. Membranæ enim, quæ cerebrum operiunt, ſub recta cranei ſutura duplicatæ in medium cerebrum deſcendunt: dextram illius partem à ſiniſtra manifeſto interſtitio ſeiungentes: vt mirum non ſit, ſiquidem inter has membranas iuſtè ferrum adigatur, vulnus lethale non eſſe. Atque has plagas eiuſdem notæ ille eſſe arbitratur, ac illas, quæ tantum meninges afficiunt, cerebro illæſo.

Hepatis b non ſolum profundè vulnus in fibris eius inflictum: ſed etiam fibram abſciſſam, aiunt fuiſſe ſanatam: verum hæc vulnera plurimo manant ſanguine; idcirco prius moriuntur, qui ita ſunt vulnerati, quàm agglutinari vulnus poſſit: nam qui in ſumma eius parte conſiſtentia vulnera agglutinari aiunt: & fibras etiam fuiſſe ablatas, verum videntur dicere. Ideoq; & Celſus c hepatis vulnera in portis tantum lethalia eſſe affirmauit: vixq; ad ſanitatem peruenire, quibus illius craſſum ſit vulneratum. Veriſſimum ergo ſit, iecoris tantum connexa, concauaq; vulnerata lethale vulnus conſtituere: nam quod fibras tantum, aut lobos attigerit: ſeu potius, quod extremas tenueſq; viſceris oras læſerit; (nam lobos reuera non habet humanum iecur) periculoſum

a Cap. 4.

a 4. De præſagat. ex pulſ. 9.

a Cent. 3. curat. 83.

b 6. Apho. 18.

c Lib. 5. c. 26.

loſum eſt tantum: & quod niſi in corpore nimis cacochimo: aut in quo quiſpiam error commiſſus ſit, haud ægrè ſaneſcat.

d 6. Aph. 18. Ventriculo diſciſſo, inquit Hippocrates, [d] lethale eſt: quamquam hoc quibuſdam eſſe ambiguum ſcripſit Galenus: nam quoſdam in eo vulneratos, dicunt aliquando: ſed rarò fuiſſe ſanatos: ac denique ſaucium ventriculum, in ſumma eius parte ſæpè agglutinari ait. Vide etiam Marcellum Donatum, [e] qui nonnullos memorat fauciato ventriculo, optimè conualuiſſe.

e Lib. 5. c. 4.

f Lib. 5. c. 26. Verùm Cornelius [f] Celſus, percuſſi ſtomachi lethale eſſe vulnus memoriæ prodidit; cuius tamen ſententiam moderabere: atq; ad Galeni placitum, quod verius eſſe obſeruatur, accommodabis. Atque omnino de his vulneribus ita ſentiendum eſt: nam ſi læſa ſit tantum exterior tunica; facilè ſaneſcit: ſi verò ad unum interiorem vulnus perueniat; difficilior curatio eſt: item quæ circa fundum ſunt, minus habent periculi; at in ore, quod maximè neruorum eſt; inſigne vulnus multis de cauſis deſperatum eſt: nimirum propter partis præſtantiam: ſingularem quandam ſympathiam cum corde, & cerebro, & naturam exanguem.

Pulmonis vulnera, ſiquidem magna ſint: quæ ſcilicet profunda continui ſolutione, & carnem visceris diſſipent, & magna vaſa, inſigneſq; ramos venæ arteriosæ, ac venoſæ arteriæ offendant, neceſſario, ac ſubito vitam adimunt: primo ex diſſipatione ſpiritus vitalis, ac ſanguinis profuſione: illius etiam grumo ſpirituum conceptacula intercipiente; quod ſi mediocria ſint, aut exigua: ſed ſerius, vel minus artificioſè tractentur, idem de illis iudicium ferendum eſt: cum verò magna illa vaſa ſanguine a percuſſa non ſunt: ſed tantum aſperæ arteriæ, vel bronchia notabili vulnere affecta deprehenduntur: hæc vulnera non equidem ſubito: neceſſario tamen poſt aliquod tempus occidunt: multæ enim mortis cauſæ conſpirant: cordis ſympathia, ſpiritus vitalis diſſipatio, pulmonis putredo, curandi difficultas, continuus motus, & tuſſis vulnus amplificans. Si verò minora vaſa ſanguinea rupta fuerint, vel caro ipſa pulmonis diuiſa; hæc uulnera nec ſubito, nec neceſſariò hominem necant: ſed tantum ſi particula inflammetur: quamquam plus periculi ex ſubſtancia quàm ex vaſis vulneratis immineat: nam uix firma induci in ea poteſt cicatrix.

g Cap. 2. Sed illud ſilentio prætereundum non eſt, quod quinto [g] methodi ſcriptum reliquit Galenus: nimirum uulnera pulmonis,

nis,non propterea quod in perpetuo motu eſt viſcus,curari non poſſe: quod tamen, qui ante ipſum fuerant, ſenſerunt: ſed propter ſaniei, & puris uacuationem: nam ægrè ea excrementa ex ſpatijs pulmonis expelli poſſunt. Præterea uerò viſi [h] ſunt, quibus pulmonis fibræ, nec illæ quidem exiguæ per uulnus reiectæ ſint, nulla tamen uitæ diſcrimine. Celſus [i] uerò inſanabile eſſe,ait,dumtaxat uulnus, cum medius pulmo præciſus eſt.

h Cornel Gemma 1.coſmot. cap.6.
i Lib.5.c.26.

Septi tranſuerſi uulnera (diaphragma appellant) ex eius ſubſtantiæ uarietate uarios quoque habent euentus: nam ſi in eius neruoſa accepta ſunt parte, quæ in centro eſt: neceſſariò lethalia ſunt: iugi illius motu conſolidationem impediente. Si uerò in parte carnoſa,quæ undique internum attingit thoracem: hæc ſubinde coaleſcere ſunt uiſa, inquit Galenus, [l] eius motu non obſtante: quamquam difficilem hanc curationem ſemper putauit,quocunque tempore phlegmone occupauit.

l 5.Method. cap.9.

Ex tenuibus inteſtinis diſciſſo aliquo, lethale eſt, inquit Hippocrates: [m] & ſiquidem ad eorum cauitatem peruenerit uulnus: rariſſimè, ait Galenus, conſolidari: neque hoc tantum propter illorum ſubſtantiam: ſed quoniam non poſſumus æquè intrinſecis, ſicut extrinſecis imponere uulneribus medicamentum. Reuerà autem ieiunum inteſtinum omnium maxime inter tenuia inſanabile eſſe experimur, ſi uulnere offendatur: nimirum propter uaſorum magnitudinem, tunicæ tenuitatem, nerueam naturam, iecoris uiciniam, bilis ſuſceptionem, & curandi difficultatem. Aliquando tamen uiſum eſt ſaneſcere uulnus, quod in ſumma parte acceptum fuit: reliquorum uerò leuior uulneratio agglutinatur: quia plurimum carnoſa ſunt: nec ad mortem perducit: niſi phlegmone,& ileus ſuperuenerint. At magna uulnera, & per tranſuerſum inflicta lethalia ſunt: tum quia magna eſt partium ſeparatio, quæ continuo uitioſarum humiditatum tranſitu diſiunguntur: tum etiam, quod nec medicamenta conuenienter admittunt. De his autem uulneribus uide etiam Marcellum Donatum loco iam ſæpius citato: nam quendam inter alios memorat, qui tenui inteſtino præciſo,diu uixerit: quod tamen ego inter rara poſuerim exempla.

m 6.Aph.18.

Veſica etiam diſciſſa,lethale eſt,inquit Hippocrates: [n] uerum diſtinctione hic opus eſt; nimirum ut tota ipſius tunica ad interiorem uſque capacitatem diuiſa, diſſectaq; ſit, & quidem notabili uulnere: nam exiguum tum coaleſcere carnis interuentu,

n 6.Aph.18.

tum

tum exactè ſanari experientia confirmat. Hoc etiam uulnus in neruoſæ parte accipi debet: nam collum ipſius, quod maximè carnoſum eſt, quotidie ſanari uidemus, in his ſcilicet, quibus ueſicæ calculi extrahuntur: obſeruatum tamen eſt à nonnullis, rarius uulnera ſanari, ſi qua parte ueſica oſſi ſacro alligatur, infliguntur.

o 11. De uſu part. 11. Spinalis medulla ſi uulnus accipiat, æquè, atque in cerebro lethale eſt: dictum eſt enim ex Galeno, o ipſam uelut alterum quoddam cerebrum his omnibus particulis eſſe, quæ ſub capite ſunt. Tale igitur fuerit, tum propter particulæ nobilitatem, tum etiam propter nerueam naturam: multa etiam, ac grauia ſymptomata inde proficiſci ſolent: multaq; illi cum cerebro, ac uicinis partibus ſympathia eſt: quibus omnibus accedit, quod ægrè curari poteſt: præterea tanto lethalius eſſe hoc uulnus deprehenditur, quanto in ſublimiori ſpinæ parte acceptum fuerit: p 1. Loc. aff. 6. nam, ut ueriſſimè docet Galenus, p ſi ſpinalis medulla in aliqua uertebrarum integrè læſa ſit, omnes partes inferiores reſoluuntur: ſi uerò in altera tantum parte, altera manente illæſa: partes dumtaxat, quæ illi è directo reſpondent, reſolutio infeſtabit: ſed hæc quantum ad partium ſtructuram ſpectat, ueriſſima eſt ſententia: quamquam ſi particulæ naturam ſpectes: quæ in inferiori ſpinæ parte accipiuntur uulnera, longè deteriora ſine dubio eſſe deprehenduntur: nam hoc in loco ruea ferè medulla eſt: cum tamen in ſuperioribus partibus mollior ſit, ac planè q 8. De re anatom. cap. 4. medulla. Quod Columbus q diligentiſſimus anatomicus adnotauit. Verum ut hæc uulnera neceſſariò lethalia ſint, magna eſſe oportet: nam ſeruari quiſpiam poterit, ubi telum dorſalem ſubſtantiam altè non diuiſerit. Præterea ſi tranſuerſim medulla diuidatur, neceſſariò mortem affert: nam ſtatim partes omnes inferiores reſoluuntur; nec remedia promptè adhiberi poſſunt: r Lib. 5. c. 26. Atque hoc modo intelligendus eſt Celſus, r qui percuſſæ in ſpinæ medullæ inſanabile eſſe memoriæ prodidit.

Venas etiam craſſiores, arteriaſque, quæ in intimis partibus abditæ ſunt, ſi uulnere offendes, lethale eſt. Huiuſmodi ſunt ſ 3. De uſu part. 2. uena caua, magna arteria, grandes illæ uenæ, arteriæque circa ſ fauces, uel in crure, ac fœmore; item uenæ maiores in alis, ac poplitibus: in his enim magna uulnera neceſſariò lethalia ſunt, propter immoderatum ſanguinis profluuium; unde eò citius deficit animal, quo minus extra corpus exit effluxus; tunc enim &

prom-

promptiſſimè exoluitur, & ſuffocatur. Curandi autem difficultatem arguit neruea natura, & ſitus profundior: nam nec integris viribus eò peruenire medicamentum poteſt. Venæ autem minores inciſæ non adeò multa ſanguinis profuſione vitali ſpiritu hominem exhaurire poſſunt. Proinde veriſſimè Celſus *a* inſanabile eſſe vulnus affirmat, circa grandes faucium venas, vel arterias; in præcipiti autem eſſe, in quibus vſque ad grandes intuſq; conditas venas in alis, vel poplitibus mucro deſcenderit: ea etiam vocat periculoſa, vbicunque venæ maiores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione ſanguinis poſſunt. Idque in his etiam venis euenire, quæ ad anum, teſticuloſq; perueniunt. At verò illud etiam compertum habemus: nimirum arteriarum vulnera longè eſſe, quàm venarum grauiora: nam & maior iactura eſt ſpiritus, quam ſanguinis. *a Lib. 5. c. 26.*

Aſperæ arteriæ leuia vulnera percurata interdum ſunt; magna verò planè lethalia exiſtunt. Atque hi non equidem moriuntur, quod ſpiritus cauo thorace clauſus exitet per vulnus: ſed quod & chartilaginea natura, & continuus motus conſolidationem non patitur. Ergo niſi magna ſint hæc vulnera, nequaquam ſunt neceſſariò lethalia. Obſeruatum tamen eſt, grauiora eſſe, ſi circa gulæ, ac gutturis partes ſummas conſiſtant, vbi nerui, venæ arteriæq; periculum augent: nam alibi præciſa ſæpè bonum ſortiuntur euentum. Atque in his, qui lethali angina ſuffocantur, grauiſſimi quidam medici excindi arteriam ſalubriter præceperunt.

Renum etiam vulnera, quoniam multa ibi diſſeminata ſunt vaſa, ac perpetuum excrementi illapſum excipiunt: vſumque habent vitæ conſeruandæ neceſſarium, vt plurimum lethalia ſunt. Quamquam incurabilia eſſe arbitretur Cornelius Celſus. *u* Atq; obſeruant peritiſſimi quidam Chirurgi: *x* ſi profunda ſint hæc vulnera, difficillimam habere curationem: nam ſi in ſola ſubſtantia, quæ denſa eſt, ac carnoſa, leuiter accepta ſint, interdum conualeſcunt. *u Vt ſupra. x Andr. de Cruce.*

Lienis vulnera plerique lethalia eſſe crediderunt: illi enim vſum eſſe toti corpori famulantem: atq; eſſe quaſi alterum hepar. At quia obſeruauimus aliquando, nonnullis animalibus totum ſplenem exectum fuiſſe: ac nihilominus integros illos ſuperfuiſſe: memoriæq; prodiderit Ariſtoteles, *a* liene carens interdum animal naſci poſſe: ideò niſi magna aliqua vaſa in eo diſſecta ſint, nequaquam illa arbitror ſua natura lethalia eſſe. *a 4. De gener. animal. 4.*

Quibus indicijs particulæ, quarum vulnera ſunt lethalia, vulneratæ eſſe deprehendantur.

QVarum partium lethalia ſint vulnera, pro viribus explicatum eſt: nunc certæ etiam earundem afferendæ ſunt notæ, quæ affectus ante oculos ponant. Etenim ſi in capite, verbi gratia, aut pectore acceptum ſit vulnus: nec ea tamen conſpicua ſint ſigna, quæ vel cerebrum, vel pectus percuſſum arguant: tunc equidem aliunde, quam à vulnere, agnoſcenda eſt interitus cauſa. Ergo illud in vniuerſum ignorandum non eſt, locorum *b* affectorum notas ab actione læſa, à ſitu partium, ab excretis, à doloris proprietate, atq; à proprijs ſymptomatibus deduci ſolere. Sic ſi illato vulnere læſa ſit reſpiratio: prudens medicus, aut pulmones, aut thoracem, aut huius vertebras læſas eſſe affirmabit: at ſi per vulnus effluat vrina; nemo non veſicam, aut vreteres, aut renes conuulneratos agnoſcet: ſi ſtercus craſſiora inteſtina: ſi chilus tenuiora. Quod verò ad ſitum pertinet: ſi fiat, vt in dextro hypochondrio acceptum ſit vulnus, læſi hepatis ſuſpitio eſt: in pectine, veſicæ; ac ſimiliter in cæteris locis de ſubiecta particula ſemper eſt ſuſpicandum. Verùm certa etiam doloris proprietas nihilominus te etiam de re ipſa certiorem faciet: nam grauis eſt dolor, caro hepatis, aut lienis, aut pulmonis magis afficitur: ſi tenſiuus, ac pungens, illorum vaſa, ac tunicæ: quòd ſi vehemens ſentiatur, ventriculum inteſtina, ac neruoſas partes conuulneratas dices. Sed non minus etiam propria cuiuſq; particulæ accidentia contemplanda ſunt: nam cerebri vulnera, phrenitis, epilepſia, ac ſimiles caſus comitantur: ventriculi, nauſea vomitus, ac ſingultus: pectoris, reſpiratio læſa. Sed iam ſingula *c* præſtantius ſic in medium prodibunt.

b 2. De loc. affect.

c Vide Celſ. lib 5 c.26. & Paul libro 6. cap. 48.

Corde percuſſo, ſanguis multus effertur, ac præſertim ſi dexter ventriculus vulneretur: vnde etiam niger exibit ſanguis, ac feruens: nam ex ſiniſtro flauus profunditur. Arteriæ langueſcunt: color eſt pallidiſſimus, ſudores frigidi, & mali odoris: ac tandem extremis partibus frigidis matura mors ſequitur. Cerebrum, membranaue eius ſi vulnus accipiat, ſanguis per nares: quibuſdam etiam per aures exit: fereq; bilis vomitus inſequitur; quorundam ſenſus obtunduntur: aut tunc vultus fit: aut oculi quaſi reſoluti huc atq; illuc mouentur: fereq; tertio, aut quinto

die

die delirium accedit: multorum etiam nerui diſtenduntur. Peculiaris autem in membrana læſa validus ſubſequitur dolor capitis; & qui manſu, adductiſq; maxillis, & ſpiritus contentione exacuitur: oculi feruent; lingua agitatur; mens deſipit; percuſſo autem cerebro ægri concidunt, uox nihil ſonat, facies peruertitur, bilis vomitus; per aures humor albus, pulticulæ ſimilis emanat. Hepate vulnerato, multus ſanguis profunditur ſub dextra parte: præcordia ad ſpinam reducuntur: in ventrem cubandi dulcedo; punctiones, doloreſq; uſque ad iugulum; os intentum: & nonnunquam bilioſus vomitus accedit; pallet ægrotus, tuſſit, febricitat: atque urina, egeſtioq; non raro redditur cruenta: & his tandem corpus quaſi atrophia liqueſcit, & abſumitur. Ventriculus ſi vulneretur, ſingultus, & bilis vomitus inſequitur: ſi quid cibi, vel potionis aſſumptum eſt, id redditur citò: animus etiam deficit; arteriarum motus langueſcunt: ſudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt: intenſiſſimus dolor: ac præſertim ſi ad ſuperiora euaſerit.

Pulmo ſi vulnus accipiat: ſpirandi difficultas eſt; ſanguis ex ore ſpumans, ex plaga ruber; ſimulq; etiam ſpiritus cum ſono fertur: in vulnus inclinari iuuat; quidam ſine ratione conſurgunt: multi in ipſum vulnus inclinati loquuntur: in aliam partem obmuteſcunt. Si ſpacioſa laxitas eſt, ait Paulus, ſanguis ex plaga ſpumans euacuatur: cum non eſt, ore magis per vomitum redditur. Ceruicis vaſa attolluntur: lingua alium colorem aſſumit: & multum ſpiritus attrahunt; ægri frigidi appetentes; & ſi diuturnus ſit morbus, tum febris, tum marcor hominē conficit. Septo tranſuerſo percuſſo, præcordia ſurſum trahuntur: ſpina dolet, ſpiritus rarus; ſanguis ſpumans fertur: aſſerit Paulus, magnam eſſe ſpirationem, cum gemitu, & dolore, per totam humeri partium compaginem. Inteſtinis vulneratis, cibus, & potio per vulnus exeunt: præcordia intumeſcunt; nonnunquam bilis per os redditur: infima autem inteſtina cita, vel ſtercus, vel odorem eius exhibent. Veſica percuſſa, dolent inguina: quod ſuper pubem eſt, intenditur; pro urina ſanguis, aut ex ipſo vulnere vrina deſcendit, ſtomachus afficitur: itaque aut bilem vomunt, aut ſingultiunt; frigus, & ex eo mors ſequitur. Medulla, quæ in ſpina eſt, ſi vulneretur, nerui reſoluuntur, aut diſtenduntur: ſenſus intercidit; interpoſito tempore aliquo ſine voluntate inferiores partes vel ſemen, vel urinam, vel ſtercus excernunt.

Ss Venæ,

Venæ, aut arteriæ, quæ in imo ſunt corpore, ſi vulnus accipiant, illæ nigri ſanguinis ingentem copiam, à dorſo vt plurimum verſant; idq; à latere dextro: pallent ægrotantes, & promptiſſimus eſt interitus. Iſtæ autem tenuem, flauum, & ſpumantem ſanguinem à ſiniſtro præſertim latere effundunt: arteriæ ſtatim immutantur: ac non multò pòſt mors ſequitur. Icta aſpera arteria exiguum ſanguinem mittit: ad dorſum plurimus dolor: fauces paulatim ſanguine replentur: vox rauca, & linguæ ariditas. Renes vulnerati dolorem ad inguina, atque ad teſticulos: difficulter urina redditur: eaq; eſt aut cruenta, aut cruor fertur. Liene percuſſo, ſanguis niger à ſiniſtra parte prorumpit: præcordia cum ventriculo ab eadem parte indureſcunt: ſitis vrgens: dolor ad iugulum, ſicut iecinore vulnerato, venit. Atque hæc ferè ſunt ſigna: ex quibus facile deprehendes, an particulæ corporis, quarum lethales eſſe plagas diximus, fuerint vulneratæ: nam ſi hæc minimè appareant: nec illas percuſſas eſſe affirmabis: atque alias interim morbi origines quæres.

Quæ tuta, quæuè periculoſa eſſe vulnera dicantur, particularius exponitur.

TVta autem vulnera, quæ etiam ſua natura periculo carentia eſſe diximus, ea in vniuerſum ſunt, quæ longè à prædictis partibus accipiuntur: cuius generis à Celſo *a* memorantur, quæ carnem dumtaxat vulnerant: ſed & hæc ipſa interdum peiora, interdum meliora eodem authore euadunt. Periculum enim facit quodcunque magnum eſt: peiuſq; eſt quod colliſum, aut ex quo aliquid exciſum eſt; aut vbi caro alia parte abſciſſa eſt, alia dependet: peſſimaq; plaga in orbem eſt; tutiſſima, quæ lineæ modò recta: præterea facilius ſaneſcit puer, vel adoleſcens, quàm ſenior: valens, quàm infirmus: neque nimis tenuis, neque nimis plenus: quam ſi alterum ex his eſt; integri habitus, quam corrupti, exercitatus, quam iners; ſobrius, ac temperans, quam vino, veneriq; deditus: opportuniſſimumq; curationi vernum tempus eſt: aut certè neque feruens, neque frigidum: ideoque pernitioſiſſimus autumnus eſt. Atque hæc ſunt, à quibus, quæ tuta per ſe vulnera exiſtunt, grauiora interdum fiant: quamquam reuerà nunquam ſuam naturam immutant: modo enim carnoſa tantum particula vulneretur, ſemper vulnus ſua natura

a Lib. 5. c. 26.

tutum

tutum fuerit: nunquam periculoſum: nam ſi quod vnquam periculum obtingit, aliquid aliud præterea in cauſa eſt. Quæ autem vulnera medio loco conſiſtunt: ea ſunt, ſi Guidoni *e* credimus, quæ in capitibus muſculorum, in craneo, in thorace, ac ventre accipiuntur. Et Galenus *f* nôn equidem lethalia: ſed tantum periculoſa eſſe, ait, vulnera omnia, quæ in neruis, ac neruoſis partibus ſunt inflicta. Periculoſa etiam eſſe alibi *g* dixit, quæ nimi rum ad pernitiem, & ſalutem æquale habent momentum: & hæc etiam ancipitia nihilominus appellat. Obſeruatumq; eſt à peritiſſimis viris, *h* formidanda eſſe vulnera, ac periculi plena, quæ ſub clauiculæ, internoq; ſcapulæ proceſſu infliguntur: ibi enim præter venam baſilicam, & axillarem arteriam, ſubeſt etiam conſtitutio illa quinque partium neruorum: qui ex colli vertebris ad brachia contendunt. Huius etiam generis ſunt ex his multa, quæ Celſus *i* difficilem habere curationem ſcripſit: in alis ſiquidem ac poplitibus: circa anum, & teſticulos: item in fœminis, vel inanibus locis, vel inter digitos: item quodcunque muſculi caput, vel finem, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut chartilaginem læſit. Hoc etiam nomine periculoſa ſunt vulnera, quæ in ceruice accipiuntur: ſæpè enim inſignem aliquem neruum, aut tendinem lædi inde contingit: eoq; magis, ſi ad ſpinalem vſque medullam vulnus penetrauerit. Obſeruatum etiam * eſt, vulnera, quæ propè vmbilicum ſunt: (ibi enim ſubſunt perforati tendines muſculorum obliquorum, ac tranſuerſalium) non ſine periculo eſſe: tametſi altè non penetrarint. Item quæ in poſtica thoracis parte accipiuntur: hæc enim quamquam cauitatem minimè attingant: quia tamen per ea loca venæ, arteriæq; non exiguæ, multiq; itidem nerui conſperſi ſunt, periculoſa eſſe affirmauit. Quicunque etiam articuli vulnerantur, periculum ſemper important, propter tendines ſcilicet, ac ligamenta, quæ ibi reperiuntur. Iſtæ enim particulæ vulneratæ maligna producere ſolent ſymptomata: præſertim ſi in brachio internam, ac domeſticam dictam partem occupat vulnus: huiuſmodi ſunt alæ, flexus cubiti, carpus interior: item ſi externam partem in crure: ſunt enim in his locis inſignes venæ, arteriæ, nerui, ac tendines: quæ & hæmorrhagiam, & dolorem vehementem, ac mala alia complura excitare ſolent. Quod autem partes neruoſæ vulneratæ ſint, (ſæpè enim doctam hoc exigit coniecturam, nec mediocrem medici diligentiam) hoc

e Trac. 3. doc. 1. cap. 1.

f 4. Meth. 6.

g Finit. medi.

h Columb. 8. de re anat. 3.

i Lib. 5. c. 26.

* Ioan. de Rigo lib. 3.

modo facilè dignoſces. Neruo enim ſeu punctim, ſeu cæſim vulnerato, motus interdumq; ſenſus perit, aut certè offenditur: torporq; accidit partibus vulneri ſubiectis: dolor excruciat; inflammatio partem exercet; cerebriq; conſenſu ſæpè delirium ſuccedit: conuulſio quoque inſequitur; idq; frequentius puncto, aut quadantenus ſecto, quàm præciſo neruo: vulneratis tendonibus, aut membranis, quæ tum caluariam, tum reliqua oſſa conueſtiunt, eadem ſigna: at obſcura tamen obtingunt: multoque magis cæſis articulorum vinculis. Dictum etiam eſt, multa vulnera, ex his, quæ magna ex parte lethalia nominantur, in hunc numerum referri poſſe: cum ſcilicet exigua ſunt. Ergo [l] ſi vlla parte pulmo, aut iecoris craſſum, durior menynx, aut lien, aut vulua vulneretur, non adeò quidem profundo vulnere, huc loci referas velim. Sed quod dixi, neruorum vulnera lethalia non eſſe: quoniam nonnulli ſunt, qui de hac re plurimum ambigere videntur: lubet propterea ſententiam noſtram ſic rationibus amplius illuſtrare. Illud ex Galeno [m] prius eſt adnotandum: neruorum nomine tum neruos ipſos à cerebro, ac ſpinali medulla exortos, tum ligamenta, ac tendines comprehendi: quorum omnium vulnera, & maligna, & periculoſa etiam ab eodem vocari ſolent: nunquam lethalia. Ac tantum abeſt, vt maxima ex parte intereant, qui ita percuſſi ſunt: vt ſæpiſſimè potius ſaneſcant. Mihi, inquit ille, [n] ne vnus quidem ex neruorum vulnere mortuus eſt: quamobrem, qui inter affectus, & partium experientiam ex inciſione cognitam, & methodum confectionis, vſuſq; medicamentorum coniunxerit: is ſemper neruorum vulnera, vti nos, ſine omni periculo curaturus eſt: vt nec principalis vlla pars condoleat: nec vulneratus neruus, aut contuſus inflammatione laboret: atque vbi hæc ſunt, multò minus, vel putredo, vel claudicatio, vel conuulſio, vel ipſa mors comitabitur. Præterea probatum eſt antea, lethalia vulnera in his tantum particulis infligi debere, quæ vel principes ſunt, vel neceſſarium vſum præbent animali: aut quæ exquiſitiſſimo ſenſu donatæ ſunt: aut quæ larga hæmorrhagia vires diſſoluunt: modo autem nerui, ſi ſingula intuebere, nihil horum ſunt: nam ne tam acri quidem ſunt ſenſu: niſi vbi plurimus ſentientium neruorum concurſus fuerit. Videas etiam & manum, & brachium, & crus, neruoſq; alios ſine vitæ diſcrimine non raro abſcindi: vt propterea ambigendum non ſit, neruorum vulnera inter lethalia minimè eſſe reponenda.

[l] Celſ. libbo 5. cap. 26.

[m] 15. De vſu part. 1.

[n] 6. Meth. 3. Medic. ſ. g. ante finem.

Ergo cùm periculoſa tantum ſint neruorum vulnera: illud etiam notandum eſt, maioris minoriſq; diſcrimine non parum inter ſe differre: nam nerui, *o* qui ſcilicet ex ipſo cerebro, aut ſtatim, aut ſpinali intercedente medulla ortum habent, promptè conuulſionem accerſunt: minus autem tendines, quoniam compoſita eorum eſt ſubſtantia ex neruo ligamentoq;: ligamentum verò vulneratum, ſi id eſt, quod ab oſſe ad os permeat, maximè ſine periculo eſt: ſin id quod in muſculum ſe inſerit: quanto eſt neruo, & tendine minus periculo opportunum: tantò vtique niſi ritè curentur, reliquis ligamentis magis terrere debet. Quamquam fateor inueniri interdum aliquos, qui tam exquiſitè, atq; vltra modum ſentientes neruos habent: vt etiam exiguo *n* accepto vulnere, præſertim initio rhachitidis, non ſolum lethaliter habeant: ſed repente etiam moriantur.

o 6. Metheor. cap. 4.

n Sylu. 3. Iſag. anat. cap. 23.

Capitis vulnera cuius notæ eſſe cenſeantur.

DE vulneribus capitis, quæ aut in cutanea parte conſiſtunt, aut os ipſum denudant, perfringuntque, illæſa tamen menynge, aliquis ambigat, qualia nimirum ſint: tutanè prorſus, ac ſine periculo: an ex his potius, quæ medio loco collocauimus, ac periculoſa tantum exiſtunt. Nam tuta eſſe argumento eſt, quod in carnea particula, aut in ipſa certè cute infliguntur: nulla inde aut principe, aut neruea, ſimiliuè percuſſa particula: eſſe autem periculoſa, id docet, quod propè cerebrum ſunt: ac multa ſolent pericula afferre: quæ non peræque cæteræ partes vulneratæ patiuntur. Ego autem id mihi firmiſſimè perſuadeo, capitis vulnera neſcio quid peculiare, ac diuerſum à pleriſque alijs præſeferre: vt propterea diligens opera adhibenda ſit: ſi quando de his iudicium feratur. Multa enim, ac grauia produci ſolent ſymptomata, quæ rarò ſimiliter in alijs occurrunt: vt iam meritò magnus Hippocrates integrum volumen de capitis vulneribus nobis reliquerit. Multa autem ſunt, quæ, data in reliquis paritate, deteriora hæc vulnera, ac magis, quam cætera periculis expoſita eſſe demonſtrent. Nimirum partis natura: errandi facilitas, curandi difficultas. Cutis enim, vt de hac primò dicam, quæ, vt ſcripſit Ariſtoteles, *p* craſſiſſima eſt, ac plurimum habet humoris, & rara eſt admodum: externis aeris iniurijs plurimum eſſe ſolet expoſita: aer enim nos ambiens cum ſua natura ſemper

p 5. De gener. anim. 3.

ſemper humidior, ac frigidior ſit capitis cute, & ipſo ſubiecto oſſe: nil mirum intus per vulnus obuerſans, ſi naturale partium temperamentum ad immodicam humiditatem conuertere poſſit: quod adhuc promptius fiet, ſi in locis humidioribus, ac minus propterea ſalubribus vulneratus degat: ac præſertim ſi detecto, aut aperto cranio menynx in conſpectum ponatur. Præterea capitis cutis cum pericranio manifeſtam habet connexionem: ideoq; neruos excipit à prima, & ſecunda ceruicis vertebra, & à tertia cerebri coniugatione: qui per omnem eius ſubſtantiam diſſeminantur: ob quam cauſam putat Paræus, *q* huius cutis vulnera, contuſiones, & apoſtemata diligentius tractanda eſſe. Verùm ita etiam conſtructum eſt caput: vt quicunque in cute contrahitur affectus, facilè etiam per proximas commiſſuras, aut facto foramine, & ſubiectis menyngibus, & ipſi etiam cerebro communicetur. Præterea ea eſt capitis conſtitutio, vt, quemadmodum ſcripſit Hippocrates, *r* alia parte os findi poſſit, quàm vbi percuſſum fuit: quem cranei reſonitum vocant. Præterea ipſe Auicennas, *ſ* ſæpè cranium abrumpi, integra cute remanente profeſſus eſt: & Celſus *t* interdum euenire ait, vt os totum integrum maneat: intus verò ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid ſanguinis mittat. In quibus quidem anguſtijs diligens quiuis medicus, quid agat, quid moliatur, vix quidquam norit. Sæpè etiam in his plagis curandis pluſquam mediocriter errare ſolent chirurgi: niſi equidem literis, & diligenti obſeruatione plurimum præſtent. Nam illud multis ſolemne eſt, vt dum ambientis frigiditatem alterare contendunt, non ſolum laneis cœnopœis vndique cubile obſtipent: ſed intus media licet æſtate prunas accendunt: nihilq; prætermittunt, quod ad æſtum inferendum pertinere poſſit: vnde & febris, & inflammatio promptè excitetur. Nec norunt Hippocratem, *u* cum cæteris vlceribus calidius tempus commendaſſet: his tamen, quæ in capite ſunt, æquinoctij tempus præſertim collaudaſſe. Præterea vulnus ipſum ſæpè pluribus ſectionibus temerè dilatant: venulas, arterias, ac neru eos ramos ferro, vnguibus ſcindunt, ac lacerant pericrànium: cuius plurimus vſus eſt. Eſt hæc *x* neruea quædam membrana, ex vinculis ab ipſa menynge enatis, ac tenuibus quibuſdam membranis per ſuturas exeuntibus concepta: quæ duram menyngem cum cranio contexta. Errores etiam circa ſuturas non rarò fiunt: dum rimulas à telo

reli-

q Lib. 4. c. 2.

r De vulner. capitis.

ſ 5. 4. Tract. 1. cap. 1.

t Lib. 8. c. 4.

u Lib. de vlcer.

x 8. De vſu part. 9.

reliſtas, naturales tamen commiſſuras eſſe arbitrantur, ac minimè aperiunt: cum id tamen neceſſarium ſit opus. Sed huius culpæ comitem ſibi habent Hippocratem: *a* vt minus turpe erratum propterea videri poſſit: illud tamen magis reprehendendum: ſi quandò commiſſuras ipſas rimulas eſſe arbitrantes, temerè os perforant: atque vltrò ægrotantes in diſcrimen adducunt. Sed & cęteri alij errores, qui cum alijs vulneribus illis communes ſunt, plus in his etiam periculi afferre ſolent. Curandi autem difficultas non minus facit, vt hæc vulnera periculo expoſita ſint: nam deligaturam, inquit Galenus, *b* quam in alijs membris, ceu maximè phlegmonas arcentem ratio inuenit, capiti adaptare non poſſis: itaque nec quod affluit reprimere: nec quod in ægris partibus continetur, exprimere queas. Præterea cum caluariæ os ſicciſſimum ſit: cæteræ autem vicinæ particulæ humidiores: difficile eſt naturale omnium temperamentum peræquè ſeruare: ob quam etiam cauſam difficilis ſemper quæſtio inter medicos habita *c* eſt, vtra ſcilicet curatio vulnerato capiti magis conueniat: illanè, quæ exiccantibus: an quæ potius lenibus remedijs procedit. Ex quibus omnibus veriſſimè ſtatuit Hippocrates, *d* nullum vulnus capitis leuiter contemni debere: ſæpè enim ſola cutis contuſa, niſi diligenter, & cautè curetur, febrem inducit: & medico quidem negotia: ægroto autem periculum affert. Conſtituo igitur, vt iam me colligam, capitis vulnera ſuâ natura nequaquam tuta eſſe: ſed planè periculoſa: ac præſertim quæ ad os vſque pertingunt, ac menyngem detegunt: locumque aio, ſibi aſſumere, poſt cætera alia, quæ eiuſdem generis ſunt: nam quæ in nerueis particulis accepta ſunt: ac quæ multa alia ſuo loco meminimus, magis eſſe periculoſa identidem obſeruamus. Quamquam regionum, ac locorum naturas, certaſq; proprietates diligenter in tua ferenda ſententia aduertas moneo: aliter enim in populoſa, humiliq; in regione expoſita ciuitate: & vbi ab his vulneribus multi ſolent periclitari: aliter in ſublimi oppido, ac cœlo ſalubri ſtatuendum eſt: nam, vt ibi perfracto cranio: aut aliquando etiam oſſe tantum detecto, vulnus inter prima eſſe periculoſum dicam: ita hic tametſi periculoſum quoque eſſe pronuntiauero: attamen longè mitius dicam.

a 5. Epid. in hiſt. Eutonomi.

b 6. Metheor. cap. 6.

c Gal. vt ſup.

d Lib. de vulner. capitis.

Quomodo ſtatuendum ſit, vulneriſnè, an aliarum rerum culpa hominem interijſſe.

HIs ergo ad hunc modum conſtitutis, non erit admodum difficile id deprehendere, quod iam ab initio propoſuimus: num ſcilicet quiſpiam ex accepto vulnere occiſus ſit: an aliquid præterea acceſſerit, vnde homo interierit. Nam ſi vulnus, de quo quæritur, lethale agnitum ſit: ſiuè ex neceſſitate, ſiuè magna ex parte tale fuerit: ſine dubio vulneri culpa eſt imputanda. Si verò tutum ſit: & quod periculo vacans paulò antè nuncupauimus: in aliud præterquam in vulnus nex eſt referenda. At ſi eius generis ſint plagæ, quas periculoſas nuncupauimus, ac medio ſtatuimus loco: iſtæ vt mediæ ſunt: ita ancipitem quoque habent naturam: & anceps de ſe iudicium præbent. Nam ſi magna fuerint vulnera: iam necis culpam ipſa per ſe præbent: ſin parua, ab alijs nex eſt illata. Sic ergo ſi magnum in articulo vulnus accipiatur, quod & tendones, neruoſq; , ac vaſa ſecuerit, aut etiam dilacerarit: quamquam illud per ſe lethale non ſit: quia tamen periculi plenum eſt, & nullos errores impunè admittit: atque exactiſſimam exigit curationem: omnique cura, ac ſtudio abſolutam: quam non vbique præſtare medici ex officio tenentur, (nunquam enim errare ſupra captum hominis eſt) nec languentes tam exquiſitam victus rationem ſeruare vbique poſſunt: ideò ſi quis intereat, minimè aberrabis, ſi vulnus mortis cauſam præſtitiſſe referes: niſi tamen notabilis error in curatione commiſſus ſit: ſiuè illum medici, ſiuè ægrotantes, ſiuè res aliæ præſtiterint: tunc enim magna excuſatione dignus erit percuſſor: nam tametſi abſque hoc errore interire vulneratus poterat: quia tamen dubia res eſt: atq; in ambiguis ſemper pro feriente fauorabilis coniectura fieri debet: ideò quidquid erratum fuit, id ipſum interitus cauſam præſtitiſſe affirmabo. De vulneribus autem capitis, quæ peculiare aliquid habere pluribus antea docuimus, ita ad magiſtratum referes. Aerem prius, atque vrbium ſalubritatem, quemadmodum ad hæc vulnera ſeſe habeant, tecum ipſe verſabis: atque vbi multis experimentis, coniecturiſq; peſſimè ab his vulneribus ægrotantes quouis tempore haberi deprehenderis: vulnera omnia, quæ pericranium detegunt: atq; his magis, in quibus aperire caluariam opus fuit,

inter

inter valdè periculoſa numerabis: atque eiuſmodi, vt niſi error notabilis, ac manifeſtus contingat, ipſa necis culpam præſtitiſſe videri poſſint. Alia verò quamquam & ipſa ſint etiam pericu-loſa, magis tamen ad tutorum naturam accedent. Vbi verò cœli ſalubritas horum vulnerum periculum minuit: tunc quodcunque capitis vulnus, modo membranæ affectæ non ſint, etiam oſſe perfracto, ac perforato, nequaquam inter multum periculoſa repones: niſi tamen vbi multum caluariæ detractum eſt: tunc enim quoniam impoſſibile eſt membranam non lædi: ideò hæc cauſa periculoſa ſemper exiſtimabis. Hinc igitur conſtitutum ſit, quod grauiſſimis etiam Iuriſperitis *e* placere video: vt ſi ſeruus non mortiferè vulneratus interet, (mortiferum etiam intelligo valdè periculoſum: cuiuſmodi ſunt magna articulorum vulnera) actionem de vulnerato tantum eſſe: non de occiſo. Quocirca vanam illorum opinionem putat Guido, *f* doctiſſimus, atque antiquiſſimus medicus: cui etiam de more ſubſcripſit Pagnultius: *g* qui hominem nunquam aiunt interiturum fuiſſe, quamuis in vitæ regimine deliquerit: niſi ille vulnus accepiſſet: vt videantur propterea ſemper necis culpam in vulnus tutiſſimum licet, ac ſine periculo referre voluiſſe. Sed horum ego errorem mox ſtudioſius redarguam.

e Tex. in l. ſi ex plag. ff. ad leg. Aquileam.

f De vulner. ſimpl. tract. 3. doc. 1. cap. 1.

g Lib. 2. c. 3.

Quomodo ab exiguis vulneribus, ac minimè lethalibus interire homines contingat.

QVomodo autem qui vulnerati intereunt, non tàm vulneris, quàm aliarum rerum culpa emori ſoleant: quæ res maximè in controuerſiam cadit, nunc dicere aggredior. Sex ego huius infœlicis euentus cauſas inuenio: cur ſcilicet exiguo, tutoq; accepto vulnere aliquando tamen intereant. Prima eſt, cum is, qui vulneratur, corpore eſt cacochimo, ac prauis ſuccis vitiato. Secunda cum vulnerata particula quocunque modo valdè ſit debilis, atque imbecilla. Tertia, ſi in victus ratione peccetur. Quarta praua eſt quædam aeris conſtitutio. Quinta medici incuria. Sexta incerti quidam caſus, qui ſub methodum reduci non queant. Atq; hæc omnia ita ſingulatim demonſtro. Quantum ad primam ſpectat: finge in malehabito corpore, ac prauis humoribus referto: cuiuſmodi ſunt cachectici, elephantici, lue venerea laborantes, hydropici, phthiſici, ac ſimiles alij, inſligi

vulnus: non illud quidem in principe particula: ſed planè incarnoſa, ac periculo minimè expoſita: nemo ignorat, quam ſæpè acerrimi dolores, magnæ inflammationes, febres, conuulſiones, prauaq; alia ſymptomata excitari inde ſoleant: vndique ad vulneratam particulam conuocatis alienis humoribus. Neque etiam de eo quis ambigat, quod ſecundo expoſuimus loco: nam ſi quiſpiam exempli cauſa, in articulis, quibus nòn multo antea ex fluxione laborauerit, vel exiguum vulnus accipiat: aut ſi ſemel ſauciata particula, denuo ſimiliter offendatur: occultauè aliqua ſubſit corporis diſpoſitio, ac conſtitutio, quæ in certo morbi genere imbecillos à natura reddat ægrotantes: nonne vel exigua tunc cęſio in magnum diſcrimen adducere hominem valet? Errores etiam in victus ratione commiſſi quid non peruertere, ac deprauare ſolent; vt ſi quis ab accepto vulnere crapulis, vinoq; indulgeat: ſi venere intemperanter vtatur: ſi ſollicitas ſecum verſet animi curas: corpuſq; intempeſtiuis exagitet motibus? Sed quam ſæpè etiam infeſta temporis conſtitutio vagatur: quæ etiam exiguum vulnus irritet, atque exacerbet? ſiue illa manifeſta intemperies, ſiue infœlicis aſtri aſpectus pariat. Ab his enim etiam leuiſſima occaſione, inflammationes, malignæ febres, metuendaq; alia ſymptomata expromuntur. Hoc enim & noſtris temporibus ſæpè eueniſſe memini: & nulla præterea non vidit ætas: ob quam cauſam rectè nos monuit Hippocrates, [b] conſiderandum in morbis eſſe impetum populariter graſſantium morborum: nec non tenendam eſſe temporis conditionem. Hanc fortaſsè inter latentes occaſiones, numerauit Paulus: [i] nam cum inflammationem in vulneribus, ex linamentorum grauitate: aut perfrictione, aut multo eſu, aut vini potione identidem euenire dixerit; ſubdit poſtea: aut alia quapiam occaſione latente: quod de certa cœli conſtitutione, quod diuinum appellauit Hippocrates, [l] non alienè dictum puto. De medici autem inſcitia, incuriaq; nihil eſt, cur dicam: deplorandæ potius noſtrorum temporum vices: in quibus ad vulnera curanda ferè indoctorum hominum genus, atque imperiti barbitonſores accerſuntur: qui eò magis in medicina facienda præſtare ſe putant, quo minus literas ſciunt: quas etiam ſuo muneri egregiè exequendo impedimento eſſe impudenter affirmant. Vltima autem cauſa: quæ vel leuiſſimum malum augere plurimum ſolent, in multis, ac promiſcuis ſucceſſibus poſita eſt.

b 3. *Prognoſt. tex.* 38.

i *Lib.* 6. *c.* 40.

l 1. *Prognoſt. tex.* 4.

Talis

Talis eſt, ſi ferrum fortaſsè, quo quis cæſum fuit, multa ferrugine obſitum fuerit, ſi filamenta, quæ ad medicum vſum adhibentur, aut menſtruo ſanguine, aut mala alia qualitate infecta ſint: aut ſi noxij aliquid incidat in vulnus: item ſi adulterata afferantur medicamenta: atque id genus multa: quæ non rarò deterrimam vulneris conditionem reddidiſſe ſat ſcio. Has ergo occaſiones ferè ego exiſtimo, cur exigua etiam inciſio magnum afferre periculum poſſit. Sed hoc ipſum etiam non obſcurè innuiſſe Hippocrates m viſus eſt: ait enim, moriuntur homines ab omnis generis vulneribus: multa enim vulnera in locis vilibus, & non malis eſſe videntur: quæ tamen mortem intulerunt, neq; id, inquit, mirum: nam & animæ, & corpora hominum plurimũ differunt, & vim maximam habent. Atque hæc cum vniuerſim dicta ſint: lubet modò quorundam exempla: qui ab exiguis acceptis plagis interierunt hunc in locum adducere. Philis n filius, inquit Hippocrates, exigua nudatione in fronte facta: nona die febris accidit, & mortuus eſt. Præterea o virgo pulchra Nerei filia à muliercula amica ludente lata manu percuſſa eſt in ſinciput: nona die mortua eſt. Item magnæ * nauis gubernator cum digitum anchora confregiſſet, inde mortuus eſt. Et puer Metrophanti cum ab alio puero in capite fuiſſet teſta percuſſus, interijt, quoniam ſcalpens vicinans vlceris partes perfricuerit. Quos quidem doctiſſimi omnes Hippocratis interpretes affirmant, nunc medici errore, nunc ob peſſimum corporis apparatum, nunc ob morboſæ tempeſtatis occaſionem interijſſe. Verùm huius calamitatis complures adhuc adhuc meminit Marcellus * Donatus, ex grauiſſimis ſcriptoribus exempla colligens: qui iam nobis plura de his ſcribendi laborem ademit.

m 2. Prædict.

n 5. Epi. ante finem.

o Vt ſupra.

* 4. Epid.

* Lib. 5. c. vlt.

Explicatur quidam Galeni locus: & nonnulla noſtræ opinionis teſtimonia adducuntur: & vulgares quidam confutantur.

SVpereſt modo, vt quandam Galeni ſententiam, quæ noſtris placitis aduerſari videtur, paulum examinemus: ac germana interpretatione donemus. Ille enim libro p de cauſis procatarticis cum aduerſus Eraſiſtratũ, qui procatarticas cauſas in cauſarum numerum habendas non eſſe exiſtimabat, pluribus diſputaret: fingit pugilem quendam, robuſtum illum, ac validum virum, vetulam percuſſiſſe: atque ex percuſſione illam interijſſe:

p Cap. 2.

cumq; pugil homicidij reus factus eſſet: eiuſq; cauſa à quibuſdam oratoribus ita ageretur, vt in hanc ſolum probationem incumberent: nimirum vetulam non ex percuſſione mortuam: ſed ſua ipſius imbecillitate: nam ſæpè ille alios percuſſerat, & quidem vehementius: qui tamen quoniam non ita fuerant imbecilli, nihil inde læſi fuerunt. Irridet Galenus tam friuolum patrocinij genus. Aitq; eſſe tandem neceſſe, fateri: quòd anus percutiente iuuene mortua ſit. Hac ergo Galeni ſententia quiſpiam fiſus, qui noſtra hæc euertere velit: nullum eſſe dicet, leuiſſimum licet vulnus: cuius occaſione mori homines non poſſint: nam ſi quis ita leuiter ſaucius intereat: dicet neceſſe eſſe fateri: illum tandem vulnerante aliquo interijſſe. Quocirca ſi quidquam Galeni valet authoritas, fruſtra aut particulæ imbecillitatem, aut cætera alia cauſari aliquis poterit. Ego verò ad hæc paucis. Nego vetulam leuiſſima aliqua percuſſione interemptam fuiſſe: nam quamuis credam non valdè in vulnus irruiſſe pugilem illum: attamen nequaquam fieri potuiſſe arbitror: quin id vulnus illi vetulæ lethale fuerit: ac tale, vt interna aliqua particula minimè offenſa ſit, vt illa interiret. Quapropter ſi oratores, qui pugilis cauſam agebant, hanc potius probationem ſuſcepiſſent, vt vulnus nunquam lethale fuiſſe oſtenderent; tale patrocinium nequaquam reprobaſſet Galenus: illos tantum irridebat: qui cum conſpicuam necis culpam intuerentur, ipſam ſcilicet lethalem percuſſionem: illam tamen in vetulæ infirmitatem nulla probationis efficacia referebant. Ergo nihil obſtat Galeni oratio, quò minus, quæ diximus, firma, ac ſtabilia ſint. Sed cum ſatis hæc eſſe poſſent: lubet tamen præterea, Manardum, Augeniumq; præſtantes ambos medicinæ ſcriptores hic mihi teſtes adducere: qui quorundam necem, qui leuibus ex plagis interierant, non tam in vulnus, quàm in longè alia reiecerunt. Manardus ſexto q epiſtolarum libro, cum quidam Aloiſius duobus in capite acceptis vulneribus: altero ſupra ſupercilio ſiniſtro: altero propè ſuturam coronalem: in quo exigua caluariæ pars tantum erat detecta: nihil paſſa præterea interijſſet: ad hunc modum ille ſententiam tulit: credendum eſt, inquit, ea accidentia, quæ octauo, & duodecimo die euenerunt: & ſubſequenter mortem ipſam: quæ ex illis eſt ſubſecuta: non magnitudine vulneris: ſed malitia potius humorum; & capitis debilitate contigiſſe. Augenius etiam nono r epiſtolarum libro:

q Epiſt. 1.

r Epiſt. 2.

quòd

Digitized by Google

quòd quidam in vertice capitis à lapide percuſſus mortuus fuerit: obortis interim ſæuiſſimis ſymptomatibus: concludimus, inquit, febrem non fuiſſe vulneris cauſa ſubſecutam: ſed morbum per ſe ſubſiſtentem extitiſſe: atque omnia ſymptomata propria acutarum febrium ſigna prognoſtica dici debere: atq; à vulneribus capitis minime eſſentialiter profecta fuiſſe. Hanc etiam veritatem agnoſcunt Iuriſconſulti: ſ nam ſi quando illis conſtiterit, illatum vulnus non fuiſſe lethale: tunc aliunde quam ex vulnere deceſſiſſe eum, qui vulneratur: nec vulnerantem de occiſo teneri veriſſimè ſtatuunt. Atque in hoc caſu ſiue medici arguatur inſcitia, ſiue aliud quidpiam: non exiguam percutientis excuſationem eſſe iure arbitrantur. t Et quidem, ſicuti dicendum non eſt, validum vulnus, quod in caput maniaci, atque epileptici altè deſcendens, valetudinem fortaſsè attulit, (hoc enim euenit aliquando) reuerà tutum, ac ſalubre fuiſſe: tale enim eius naturam eſſe: vt quantum in ſe, ſemper hominem lædat: ita leue, & exiguum vulnus, ſi quando exitium affert, nequaquam mortis cauſam ſui ratione præſtitiſſe putandum eſt. Sed hoc etiam in loco quorundam uenit in mentem: qui exquiſitam hanc noſtram de lethalium uulnerum cenſura diligentiam, nimis moroſam, atque inutilem putant: ac ſi quando in eas diſceptationes incidunt, breuibus omnino ſe inde explicant; atq; ita ſententiam ferunt; ſi a principio ſemper uulnerati habeant deterius; uulnus fuit mortis cauſa; ſin meliuſculè quandoque habeant; deinde moriantur; alijs cauſis mors debet adſcribi. Hanc autem opinionem planè uulgarem ego arbitror, nec egregio dignam medico. Demus enim leue aliquod uulnus acceptum ab homine fuiſſe; qui prauis toto corpore ſcateat humoribus; ac præ dolore inibi excitata phlegmone, ac ſæuis ſymptomatibus tandem intereat. Aut fortaſsè, quæ particula uulnerata eſt, ultra communem conditionem imbecillam eſſe: hanc ego ueriſſimè dicam; ſemper cauſam adeſſe, cur à principio ſemper in deterius labatur; quod illis quoque ſimiliter obtingit; quibus à principio uenenoſa aliqua qualitate uulnus extrinſecus inficiatur; etenim in his omnibus & quotidie ſæuiet, & recrudeſcet uulnus; & nulla tamen in uulnus culpa referri debet. Quod autem ſi melius quandoque habeat ægrotus; ac pereat inde; alijs cauſis ubique mortem adſcribunt; ne id quidem perpetuum eſt; nam multas, ac graues inuenias ægritudines, ac præſertim malignas,

ſ Bal. in l. qui occidit, §. fin. ff. ad l. Aquiliam.

t Ange. de maleſi. tit. de maleficijs.

gnas,

gnas, quarum aliquando ſæuities intermittat; mortem tamen propria natura afferunt. Quid? quod remitti aliquantum; citoq́; rurſus ex intermiſſione inuadere malignitatis proprium eſſe indicium, ſcripſit Galenus. *u* Ergo infirma hæc eſt obſeruatio; aut de his tantum erroribus illos locutos eſſe intellige: qui extrinſecus tantum corpori occurſant; in quibus quidem conſtare illorum ſententia non alienè poteſt.

u 1. Epid. 2. com. 25.

Quibus morbi diebus occulta vis vulnerum lethalium manifeſtari ſoleat.

NE quidpiam ſit, quod in hac materia deſiderare unquam poſſis; iuuat te etiam certos obſeruare dierum terminos; intra quos ſi intrinſeca ex uulnere læſio alquot fortaſsè diebus latuerit, promere ſeſe tandem neceſſe eſt, ac conſpicuam fieri. Quod ſi lethalia ſigna diutius tardent; iam non amplius uulnus; ſed alios errores iure culpaueris. Guido *x* magni uir experimenti, in uniuerſa uulnerum natura dignoſcenda tres planè terminos ſtatuit; quibus lethalia ſigna ſe manifeſtent; ſeptimum nimirum diem, nonum, ac quadrageſimum. Eundem, ut ſemper ſolet imitatur Tagaultius; niſi quod medium terminum non nonum diem, ſed decimumquartum eſſe mauult. Ex recentioribus peritiſſimi *a* quidem à primis uulneris diebus iudicium ſuſpendunt; nec ante nonum diem exactum elogio ſuo uulneris qualitatem teſtificantur; intra enim id tempus, aiunt illi, promere ſe ſolent ſymptomata leuia, uel horrenda; pro vulneris & corporum læſorum, aeriſq́; ambientis conditione. Nec quidem immerito; nam nonus dies, teſtante etiam Plutarcho, *b* de morbis potiſſimum iudicare ſolet; aitq́; Achillem cognouiſſe, peſtilentiam in exercitu non habente uulgarem cauſam; quoniam nonum diem tranſierat. Sed hæc quamquam uera eſſe aliquando non negem; attamen ſcientiam non pariunt; ideoq́; præſtiterit, methodum aliquam impræſentiarum ſtatuere; per quam de lethalibus uulneribus perpetuò, certaq́; coniectura decernere medicum liceat. Hippocrates *c* libro de uulneribus capitis, aliquos affirmat, rupto caluariæ oſſe, ſiquidem per errorem deliquerit; neque raſum, ac perforatum ſit os, ante decimumquartum diem febris corripit ut plurimum hyeme; in æſtate uerò poſt ſeptimum diem; à quo deinde ſi praua omnia perſeuerent;

x De vulner. ſimp. membr. cap. 1.

a Paræus de renunciat.

b De audienda poetica, poſt medium.

c Propè fint.

rent; æſtate ante ſeptimum diem, hyeme decimum quartũ pereunt. Ex quo quidem loco videor mihi veram iudicandi rationem elicere poſſe: ait enim praua vulnerum ſymptomata tardius incipere, ac mortem ſimiliter euenire in hyeme: citius in æſtate. Quod quidem cum veriſſimum ſit; ego eius rei nullam aliam rationem afferre valeo: quàm quod hyeme viuacior noſter eſt calor, atq; validior: ideoq; nocentibus cauſis magis reſiſtit; nam ventres [d] hyeme natura ſunt calidiſſimi. Contra autẽ æſtate, cùm ab ambiente calore vires noſtræ facilè diſſoluantur, fit, vt tunc promptè morboſis iniurijs ſuccumbamus. Ergo eadem ratione ſi quando res in peius eſt ſucceſſum: dicam tardius in ægrotante valido lethalia ſymptomata eſſe apparitura, quàm in imbecillo: nam vt mortis aduentum magis retardant valentes vires: ſic & grauiũ ſymptomatũ. Quicũque igitur ætate, tẽperamento, ſexu, ac anni tẽpore firmius eſt viriũ robur: lõgior etiã, & ſymptomatum, & mortis eſſe terminus ſolet. Sic ſi iuuenis optimi temperamenti, ac ſalubriter ſeſe habens, hyeme vulnus accipiat: de cuius natura fortaſſe ambigatur: ego quidem vt iuſtum iudicium feram, ad decimũ quartum diem initiũ ſymptomatum expectabo: quæ ſi perſeuerent: aut ſequenti decretorio, aut alio quopiam futuram mortem prædicam: prout aut lentè, aut acutè malum progrediatur. Contra verò ſi anus ſacia ſit; frigidiore fortaſſe ac ſicciore temperamento, maloq; habitu vulneretur: haud equidem vltra ſeptimũ diem praua ſymptomata vulneris ratione euentura crediderim, & quamquam dixerit aliquando Hippocrates [e] quibuſdam in morbis citius iuuenes, quam ſenes interire verum quidem eſt in ſpõtaneis ac vehementibus affectibus: nam ſenes potius ex longitudine morbi, ac recidiua, quàm ex vehementia interire plurimum ſolent. At in vulneribus res habet, vt diximus. Atque hæc ſunt, quæ de certo dierum numero, quibus vulnerum ſymptomata apparere ſolent, afferre potui: in his ſcilicet, quæ cũ pauca ſint, minus metuenda eſſe videntur. In his enim intus latet periculum: quod deinde poſt aliquot dies ſeſe prodat, ac manifeſtet: nam quorum comperta natura eſt, nihil medici iudicium fallunt: nec periculi notas in longius protrahunt tempus: ſed vel à principio ſemper recrudeſcentia expectatum exitium afferunt: vel ſi quando melius habent: firma inde concipi ſpes poteſt. Atq; hæc de vulnerum iudicio dicta ſufficiant.

d 1. aph. 15.

3 progn. 24
2. progn. 69.

Vtrum

Vtrum aſſumpto veneno: an potius interno corporis vitio quiſpiam interierit. Cap. III.

Scribendi occaſio.

NON pauci ſunt, qui nullo vulnere, nulla corporis percuſſione conſpicua: mortui tamen deprehenduntur, vt interno aliquo, atq; acutiſſimo vitio deceſſiſſe videri poſſent. Sed eſt etiam, cur vim externam, ac venenum nihilominus ſuſpicere: quòd ſcilicet, & repente mortui: & notæ aliquæ id ipſum teſtari inſuper valent: & ſubdola quorundam odia nonnullam criminis ſuſpitionem ingenerent. Præterea aliquos fuiſſe non ignoro, qui cum poſt graues ægritudines mortui eſſent, aliqua etiam aſſumpti veneni ſigna in corpore præ ſe tulerunt: vt non immerito hæreant iudices, ambigantq; de mortis genere. Quãobrem hoc etiam in loco nos illi conſultores adeunt, vt de rebus omnibus certiores fiant. Ergo, vt palam fiat, quatenus hoc in genere apud iudices nobis aſſerendum ſit: de his quoq; ex profeſſo aliquid dicam. Et quoniam vis omnis in ſignorum obſeruatione poſita eſt: ideo ne nihil lateat: communia quædam illorum ſigna antea proponemus, qui ſcilicet venenum aſſumpſerunt: deinde ita ſingulorum propria adnotabo, vt quòad licet non ſolum veneno quempiam interijſſe: ſed quo etiam veneni genere referre poſſis.

Quæ ſint communia venenorum indicia ante obitum, quæuè cuiuſque propria.

COmmunia illorum ſigna, qui venenum hauſerunt: ſiquidem ante obitum adſis: hæc ferè ſunt ex Dioſcoride: *f* nimirum ſtomachi, alui, inteſtinorum, iecoris, renum, ac veſicæ dolor: item ſingultus, eroſiones, tremores, refrigeratio, obmuteſcentia, conuulſio, pulſus languidi, ſpirandi difficultas, vertigo, ſenſus caligatio, ſtrangulatio, ſitis, ſanguinis eruptio, febris, lotij retentio, tormina, vomitiones, nauſeæ, rubores, liuores pallores, deſipientiæ, ſtertor, atq; ante alia lipothimiæ, magnæq; virium deiectiones.

f lib. 6. in prohem.

deiectiones. Prætereà hauſto veneno obſeruant periti ſſimi quidam; *g* ſi quidem cum cibo aſſumptum ſit, ſtatim toto corpore onus perſentiri: euomunt etiam, atq; ea præſertim, quæ horribilem præbeant ſaporem: moleſtiſſimis nauſeis infeſtantur, ac inſolitas oſcitationes patiuntur: præterea natiuus calor diuersè permutatur, vt aut liueſcant, aut etiam palleſcant: quæ etiam mutatio in labijs adhuc magis, ac vnguibus conſpicua eſt. Idem arguunt magnæ iactationes, nulla quies, ſanguinei oculi, pulſus perturbati, ac frigus extremarũ partium. Docet etiam Paræus *h* impotionatum veneno hominem arguere ingentem totius corporis grauitatem, triſtem atq; horribilem ſaporem à ventriculo ad linguam vſq; perceptum: item ſi repentinæ fiant in vultu coloris mutationes. Atq; hæc ſigna omnibus venenis communia ſunt, ac cuncta illorum genera magna ex parte conſequuntur. At quoniam hoc ſatis non eſt: præſtatq; etiam propria cuiuſq; indicia internoſcere. Sciendum eſt, ex Dioſcoride, *i* qui venena hauſerunt, quæ erodendo occidunt, quales præſertim cantharides ſunt, erucæ, bupreſtes, & ſalamandra, experiri ante alia oris, ac linguæ eroſiones: ſtomachi, ventris, veſicæ, ac renum inflammationes: vehementem vrinæ difficultatem: & interdum mictum cruentum. Prætereà & lancinationes, & in pluribus partibus aduſtionis ſenſum. Si vero ea quiſpiam hauſerit, quæ ſtupefaciunt: nimiaq; refrigeratione ſpirituum motum retardant: quale eſt mæconium, mandragora, ac cicuta: tunc veternus hominem apprehendit, ac ſuperſtertit, liuore ſugillatur, torpet, refrigeratur, ſtupeſcit, ac toto corpore pruritum ſentit, & ſenſu priuatur. Si vero id venenum aſſumptũ eſt, quod ſtrangulando occidit: quales ſunt fungi malefici, ſanguis taurinus, lac, aconitum, ceruſa, gypſum aſſum, ac pili felis: iam manifeſta deprehenditur ſtrangulatio. Præter hæc ſi ea deuorentur, quæ facultatem impetunt animalem, quale eſt toxicum, hyoſciamus, aut aconitum: iam deliria; mentiſq; perturbationes excitantur. Atq; hactenus Dioſcorides venenorum differentias non à primis qualitatibus: ſed, quod cognitu erat facilius, à modo interficiendi deſumptas, nobis ante oculos poſuit. Cum hæc igitur multa ac diuerſa ſymptomata varias venenorũ ſpecies arguant, ignorandum etiam non eſt: quocunque tempore aſſumuntur ea, quæ non à manifeſtis qualitatibus: ſed à tota ſubſtantia hominem necant: cuius generis præcipuum eſſe napellum perhibent a

g Doct. Ma-nar. in proem. lib. 2.

h Lib. 20. cap. 20.

i Vt ſupra.

tunc non tam multa ſymptomata : ſed quæ magis exitialia ſunt, h 6.4.meth. I. cap.3. caſum h virtutis, ſudores frigidos; ac ſyncopen in homine obſeruabis. Sunt qui nouum genus veneni ſe inuexiſſe putent : quod nimirum roſcindendo, vulnerandoq; exitium afferat: huiuſmodi eſſe adamantem dicunt, qui in fruſtula redactus, ac in cibo aſſumptus, cum omnem caloris actionem contemnat, atq; aſpernetur, permeans ventriculi, atq; inteſtinorum tunicas, ferit & latè dilacerat; nec multo poſt miſerè occidit. Ego autẽ, quoniam nullos huius aſſertionis graues authores inuenio : nec cauſam excogitare hactenus potui: quæ id mihi perſuadere vnquam poſſit; idcirco vana eſſe hæc omnia, quæ de adamante circumferuntur, exiſtimo; nam ſi is in paruula fragmenta minuatur: Sed quæ tamen ſecare ventriculum poſſint; aſſumentem minimè latebũt: Si verò atteras minutius, vt dolũ effugere poſſe videatur (quamquam adamas ferri contemptricem habet naturam, authore Plinio:) Lib.37.c.4. * neſcio tamen qua ratione ita comminutum interiora ferire valeat : nam tametſi canes deuoratio in cibo vitio enecentur (ferè enim aſsimilis eſt vtriuſque ratio) grandiuſcula quidem fruſta ad id opus parantur quæ canibus, qui cibum deuorant, facilè obeſſe poſſunt: hominibus verò, qui diu in ore verſant, ac dentibus mandunt, non ſimiliter poſſunt. Iſtis igitur credant, qui volent : ego quidem nunquã temerè credam. Sed cùm hæc hactenus propoſita ſint aſſumpti veneni indicia : dabit etiam operam diligens medicus, vt ea, quæ vomitu reiecta ſunt, ſedulò inſpiciat : quæ etiam canibus præbeat deuoranda, quorum periculo res omnis patefiat. Verum de ſimplicium venenorum notis ſatis hæc fuerint : quòd ſi quis multorum ſ. miſcelam exhibeat: ſ Paul. lib.1. cap.7. quamquam hauſta hæc compoſitio exactam ſui notitiam minimè præbeat : attamẽ, quæ venena ingeſta ſint, ex ſuperante ipſorum vi non obſcurè apparebit. Sciendum etiam eſt, non ore tantùm aſſumpta venena enecare homines poſſe : ſed etiam non rarò in ænemate ſupponi ſolent; ſæpè vulneribus, vlceribusque ſub ſpetie remedij admouentur. Horum etiam non eſt tela veneno illiniri: atque incendiario, etiã puluери commiſceri. Memini enixæ aliquando pannorum inuolucra veneno aſperſa citiſſimum interitum ſuppoſita attuliſſe. Sed horum omnium certitudinem hoc ipſo habebis : quod ſemper affectam particulam dolore, inflammatione, ſyderatione, maliſque alijs ſymptomatibus ante alias variè infeſtari animaduertes; pro varia ſcili-

cet ve-

Digitized by Google

cet veneni natura. Atque hæc cùm multa ſint: ſatis tamen ad vſum tantùm adhiberi poſſunt, cum dignoſcendi hauſti veneni à viuente ægroto facultas datur: adueruntque aliqua ex enarratis indicijs, quæ nos rem omnium certiores reddant. At ſi nullæ ante obitū nobis oſtenſæ ſint huiuſmodi notæ: neceſſe autem ſit, ſententiam noſtram proferre: hoc opus, hic labor eſt.

Quæ poſt obitum aſſumpti veneni ſigna præbeantur.

CElebris fuit, etiam antiquiſſimis temporibus apud medicos diſceptatio [t] vtrum propriæ ſint notæ veneni, necnè. *t 6.loc. affect. cap.vlt.* In qua quidem re qui maximè videntur ſuper hac ambiguitate diſputaſſe: hi eoſdem fieri affectus concedunt, & à læthalis veneni potione, & à corruptione, quæ à corpore ortū habet. Præterea & Pelos [u] ipſe, quem Galenus præceptum laudat, nihil mirandum eſſe dicebat, *u 3.loc.affect. cap.7.* validam vim eſſe humori, qui in affecta parte præter naturam genitus fuiſſet, qualis pernitioſarum ferarum venenis ineſt. Nec eſt, cur in hac antiquorum aſſertione quidquam dubites: atque arguas, calorem præter naturam, qui in humoribus concitatur, imbecilliorem eſſe, quàm qui tam potentem effectum, quale eſt venenum præſtare valeat: ac nihil eſſe, quod vltra propriam ſpeciem, propriaſque vires operetur. Nam [x] conſtare omnibus puto, debile agens validiſſimos interdum effectus, ac longè ſeipſo maiores, modo apta ſit materiæ *x Auer.2.me theor.2.* diſpoſitio, poſſe producere: ſic enim exigua fauilla magnū incendium excitare ſolet: ſic attritio, ac motus. Ergo vbi morboſus latitat apparatus, ſatis eſt exigua ad putreſcendum occaſio, vt ingens, ac venenata putredo emergat. Attamen cū hæc ita habeant: ipſe tamen Galenus, qui illorum medicorum ſcripta, quibus modo caremus, diligenter euoluerat: concludit [a] *a 6.loc.affect. cap.5.* tandem ex illorum placitis facilè poſſe diſcerni, qui venenum ſumpſerunt, ab ijs, qui aliunde affecti ſunt. Cum enim inquit homo ſua natura probis humoribus abundans, ac ſanorum more educatus, de repente moritur, vel læthali aſſumpto veneno ſolet: deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium, aut diffluens, aut putredinem moleſtam olens, hunc venenum ſumpſiſſe aiunt. In quibus quidem locis, & ſi ex aliorum ſententia loqui viſus eſt Galenus: admittit tamen, ac laudat authores illos: nihil aduerſatur, nihil induat, accerrimus alioquin eorum

reprehenſor, qui falſa placita ſtatuere voluerunt: vt iam nihil interſit, Galenum ita ſcripſiſſe, an eundem his adhæſiſſe, qui ita ſcripſerunt: quin, & alibi etiam eadem poſitione, quaſi propria

b 3. epi. 3. cō. 75. eſt vſus. [b] Sed tamen hoc in loco euellendus, qui multum hac in materia faceſſere negotium videtur. Nam quod ait Galenus, qui probis humoribus ſuaptè natura abundans, ac ſanorum more educatus moritur, illum venenum aſſumpſiſſe videri: hoc ipſum haud ita perpetu veritate conſtare demonſtro. Fieri enim poteſt, vt internum aliqui principium diu lateat in corpore: atque interea ſalubriter homo degere videatur: qui tamen vitio illo ſeſe repente prodeunte, mox etiam intereat: quem quidem, ſi Galeni præceptum ſequare, ex aſſumpto veneno dices inte-

3. ep. 3. cō. 75. riiſſe: cum tamen interno corruerit vitio. Quærit Galenus,* quonam pacto in beneualentes morbi aliqui inuadant: aitque eſse quidem ſubitam illorum morborum generationem: non tamen ſubitā generationis cauſam: etenim pedetentim in corpore cauſæ, quæ ſunt excitandis huiuſmodi malis, creſcunt: quod morſis vſu venit à rabidis canibus: nam apertum eſt, quod canis venenum, licèt in morſis non otietur, nec conquieſcat, nullā ſui ipſius notam prodit multis interim proximis menſibus: ſubito autem illis, cum viderint aquā, formido inceſſit: poſteaq; breui moriuntur: longo enim tempore cauſa, quæ morbum efficit, augetur: quæ vbi eo tandem peruenerit, mortem affert repentinam. Vide ergo poſse ſimiliter quempiam, nullo corporis vitio conſpicuo, repente mori, furtim interim creſcente affectus cauſa: cum tamen nullum extrinſecus acceſserit venenum. Et

d De par. art. med. cap. 5. alibi, [d] qui inquit, à cane rabido demorſi ſunt, aut venenū hauſerunt, quod poſt tempus aliquod interficit: hi quidem etſi manifeſtam habent intemperiem, nondum tamen ægrotant, nec vllo adhuc malo tenentur, quod ſenſibile ſit: quippe cùm poſſint adhuc ſolitas obire actiones. Ergo poteſt quiſpiam nullā ægritudine præmonſtrans, nihil in actionibus læſus, repente tamen interire, nullo accepto veneno. Sed his ego ita ſatisfacio. Fieri ſcilicèt nequaquam poſse, vt quiſpiam ſuaptè natura probis abundet humoribus, repente tamen, niſi ab aſsumpto veneno intereat: Nam quamquam diu intus latere poſſit venenū: ſemper tamen humores, qui praua affecti ſunt qualitate: quæq; improba præceſſit victus ratio aliquid mōſtrat, vnde metuere ſemper futuras ægritudines poſſis. Vixque fieri crediderim: vt, qui

ita

ita affecti ſunt, non quidpiam interdum triſte, ac moleſtū ſentiant, quod aliqua ex parte minus proſperam valetudinem arguat. Vera igitur ſententia ſit: illum ſcilicet, qui ſuaptè natura probis ſuccis abundat, ac probum valetudinis habitum præſetulerit: ſiquidem repente intereat ab extrinſeco cōcidiſse veneno: nam in eo probi vndequaque humores eſse non poſsunt, quibus proxima eſt ad male valendum promptitudo. Verò igitur & Aetius, e vbi, inquit, in aliquem placidæ, & benè compoſitæ prius mentis: & bonæ itidem habitudinis: accedente etiam iuſta ciborum concoctione, ſtatim & de repente variꝫ acceſſiones irruant: præſertim ab accepto ſtatim cibo, aut potu: veluti ſi accedat tuſſis, aut fœtida ſanguinis per os reiectio, aut moleſta lotij excretio: aut dolor in alto nitens, aut ardor iuuenilis, aut vehemens ſenſus enſionis, aut ſtuporis perculſio: punctum item, tremor, ſingultus, contractio, eruptio bullarum, liuor, tumor, coarctatio, quarundam partium putrefactio, vomitus fętidus: ex his omnibus ſi quid repente ab accepto cibo ſano homini accidat, veneno infectum eſse hunc ipſum exiſtimandum eſt. Quamquam cautè hoc in loco referas velim: vix enim tale vnquam propinari venenum ſolet, quod homine repente tollat: ac nullum ſui indicium præmonſtret: nam qui ita extinguuntur: hos fere, aut fortis apoplexia, aut ſyncope, vteriuè inſignis ſtrangulatus occupauit. Proinde in citiſſimo interitu: & in quo maximè pendere iuditium ſolet: aut internum omninò arguendum eſt vitium: aut certè ſi qua externa eſt uiolentia: longè alia ab aſsumpto ueneno eſse debet ſuſpicio. Sunt qui inſectione cadauerum certius indicium ponant: ideoque ſi quando ambigua res eſt, imum uentrem, ac thoracem aperiunt, ductuſque omnes, ac uiſcera perſcrutantur: nam ſi eroſiones putredines, peſſimi ſucci collectiones, maligni tumores, ac alia huiuſmodi apparuerint, de ueneno certiores ſe factos putant. Ego uerò nequaquam ignoro, cæteris etiam, quos interni affectus, alij quæ à ueneno ſuſtulerunt uiſcera multis modis inquinata, fœdataq; ſæpè numero apparere: ut iam in huiuſmodi corporum inſpectione nequaquam perpetua eſse poſſit ueneni coniectura: attamen, quemadmodum ſi quiſpiam ſalubriter agens, repente concidat, atque inſolitam putredinem exterius præſeferat, hunc uenenum ſumpſiſse ueriſimile eſt: non diſſimilis ratio in internis partibus eſse mihi uidetur: nam ſi quis integra uſus ualetudi-

e 4. tetr. lib. 1. cap. 47.

letudine, repentino intereat: poſtea autem diſſecto corpore, certa aliqua vitia in viſceribus diſpicias, quæ non vulgarem arguant putredinem: non æquidem errabis, ſi quidpiam de veneno afferes.

Quorum venenorum internoſci notæ non poſſint.

DIximus quidem diligentem medicum licere aliquando de veneno exhibito certam relationem afferre. At quoniam ſæpius ambigua res eſt: ideo quibus in caſibus hærere, atque incerta proponere liceat, hoc etiam explicandum eſt mihi. Si quis igitur improſpera antea vſus valetudine: & qui in vitæ regimine etiam peccarit, repente moriatur: dubia veneni coniectura eſt. Præterea ſi in prauiſſima, ac peſtilenti conſtitutione, quicunque ille ſit repente concidet, nihil de exhibito veneno affirmare certò licet: etenim vſque adeo lethalis ambientis aeris inſpiratio eſſe tunc ſolet: vt vel potentiſſima quæque equet, ac ſuperet venena. Ergo cum medica coniectura vix vnquam in peſtilenti conſtitutione diſcerni epoti veneni dolus poſſit: non minor adhuc eſſe difficultas ſolet: cum quis illo veneni genere emoritur, quod in diem certam, ac conſtitutam paratur: aut potentiſſimo illo etiam: cuius ſolo dumtaxat contactu certus affertur interitus. Hoc enim tam potens eſt, tam vltra aſſuetas naturæ vires aſcendit: vt quaſi ſine certamine occidat. Atq; ideò vix vllam epoti veneni notam exhibet. Quæ verò ad conſtitutum tempus præbentur, quoniam refracta admodum ſunt: atque ita ſub ſpecie alimenti proponuntur, vt nec ſaporem, nec quicquam aliud alienum præferant ſenſim, lentoq; marcore homines necãt: dum ſolidas particulas lethali alimento perfuſas, paulatim proprio temperamento labefactant, atque ad interitum ducunt: in qua remotiſſima deuorati veneni eſſe ſolet ſuſpicio. Sed in his illud euenire memorat Theophraſtus, *f* vt qui robuſti ſunt, ac benè valentes, itemque diutius malo reſiſtunt: hi deterrimè, ac cum ſæuiſſimis ſymptomatibus intereunt: cæteri verò alij, vt ſtatim, ita placidè etiam decedunt, nullam veneni ſuſpitionem præſeferentes: nam quoniam grauia ægrotantium ſymptomata ex naturæ conatu, & reſiſtentia fiunt, veriſimile eſt, nihil huiuſmodi euenire, vbi potentiſſima eſt vis veneni, & cui impares hominum vires eſſe exiſtimentur, ac congredi ineptæ. Ideoque memoriæ prodi-

f 9. De hiſt. plant. c.16.

proditum * eſt, Magnum Alexandrum, ac Cleopatrã Reginam, veneno iam conſumptos nullas tamen veneni notas præſetuliſſe, quòd ſcilicet potentiſſimum illud fuerit, quod necem attulerat. Quamquam hoc in loco non paruam dubitationem facit, quod à Plutarcho * ſcriptum legimus: nimirum Cleopatram ipſam, cum vires omnium venenorum in his, qui morti fuerãt deſtinati diligenter perquiſiſſet: depræhendiſſe tandem grauiores labores, ac cruciatus ab illis venenis produci, quæ citius occidunt: metiores ab alijs, quæ lenitè: ſed vtra verior ſententia ſit, mihi nondum ſatis liquet: experti determinent: nam ſi diſputationibus ſtatuenda res eſt probabiles vtrinque ſunt rationes. Ergo, vt me tandem colligam, quibus in caſibus certæ ſint venenorum notæ: ac quibus incertæ, ſatis explicatum puto: nec minus illud quoque, quod à principio inſtituimus: nimirum, non prorſus impoſſibile eſſe, illos, qui hauſto veneno interierunt, aliquando dignoſcere: ſi quidem Galeni doctrinam ſequaris: ac præter alia abſfuerit etiam peſtilentis aeris conſtitutio. Interenim, tunc parum omninò eſſe, quod medici diligentia præſtare poſſit: niſi tamen contagij experimentum velis conſulere: monſtratum enim eſt à peritiſſimis * medicis, venenata contagioſa non eſſe. Sed ex experiundi ratio periculi plena eſt, ac etiam incerta: nam ſi quis peſte euagante iam mortuus, nihil tamen contagij præſeferat, dum à quibuſdam tractatur: non propterea peſte illum non eſſe correptum dicam: enim peſtilẽs contagiũ non æquè omnes corripere poteſt. Sed ſilendum non eſt, quod memoriæ prodidit Plinius: *l* veneno ſcilicet defunctos, non volucres, non feras attingere. Atque alibi, * negatur, inquit, cor cremari poſſe, veneno interemptis: quo argumento Vitellius Piſonem eius ſceleris coarguit: palam teſtatus, non potuiſſe ob venenum cor Germanici Cæſaris cremari. Quamobrem ſi eius rei vlla vnquam fuerit experiundi occaſio, atque opportunitas, indicium haud planè contemnes: quemadmodum & illud quoque, quod Seneca * ſcriptum reliquit, in venenatis ſcilicet corporibus vermẽ non naſci.

Atque hæc de venenorum indicijs.

* *Plutar. in vita Alex. & Antonij.*
* *In vita Antonij.*
* *Fracaſt. 1. de contag. 2.*
l Lib. 2. c. 63.
* *Lib. 11. ca. 37.*
* *2. de natur.*

Quo

Quomodo depræhendi hi poſsint, qui ſuffocati interierunt. Cap. IIII.

Scribendi occaſio: & quam varijs modis homines ab externo principio ſuffocentur.

MVLTOS eſſe, qui cum ab inimicis clam ſuffocentur: nullum tamen violentæ mortis indicium facilè præbeant, non ſemel perſpectum eſt. Quocirca ſi qui ad hos dignoſcendos adhibetur, parum diligenter in hoc genere verſatus ſit: ille quidem aut ad internũ vitium temerè confugiet: aut multa effutiat inania neceſſe eſt. Itaque de hac re breuiter nunc agam. Suffocatio is mihi interitus in præſentiàrum inauditur, qui externa aliqua violentia reſpirationis manus impediente conficitur. Hæc autem vel ſubmerſione fit: vel violenta oris, nariumque occluſione, vel laqueo, vel calidiſſimi, atque alieni aeris inſpiratione. Sed hæc ſingula ita dignoſcas.

Quæ ſint externæ ſuffocationis indicia.

SVbmerſos ferè in litus eiectos videas: aut in puteis ſtagniſq; proſtratos: in quibus quidem cognoſcẽdis ferè nullus eſt labor. Attamen ſi ſagax hominum dolus omnem criminis ſuſpicionem remouerit: Nihil tamen occultari poterit inſolens quidam tumor vniuerſi corporis: ac madida mollities: aluus etiam intumeſcit: è naribus mucoſa quædam excrementa prodeũt, ab ore defluũt ſpumoſa: extremi digiti detriti ſunt: nam qui aquis ſubmerguntur, tanquam effugium contendentes, arenam effodiunt: ideoque ea parte laceri deficiunt. Quod autem dixi, tumida eſſe ſubmerſorum cadauera: non tam fit, hauſta aqua, aut aliter intus contenta: ſed à vapore, etiam in quem humores à putrido calore conuerſi ſunt: ideoque hic tumor non niſi poſt aliquod tempus ſe ſe attollit. Alia vero eſt ſuffocatio, & quidem frequentior: cum naribus, oreuè pro vim occluſo, aut arcto laqueo perpatratur: qui dolus ne te lateat, illud in vniuerſi ſciendum eſt commune [a] eſſe ſymptoma his omnibus, quibus inſpiratio-

[a] 3. aph. 43.

rationis vſus intercipitur, vt ſpumam ex ore emittant: nam fuliginoſi excrementi expiratio, aut laqueo, aut aliter intercepta, tota violenter impellitur: quò fit, vt pars propriæ humiditatis vnà expellatur eo modo, quo fieri in ſanguinis eductionibus depræhendes. At ſi quiſpiam fune ſit ſtrãgulatus, in hoc præterea funis apparebunt veſtigia, aut liuentia, aut rubentia, præſertim in extremis finibus: ſæpè contritum eſt caput aſperæ arteriæ: aut ſecunda ceruicis vertebra luxata. Liuent brachia, crura, facies: tumet thorax, & plerumque lotium profuſum eſt. Quorum omniũ hæc ratio afferri poteſt. Thoracis tumor multo vapore fit, ſpiritus vehementia intus concitato: vrinæ exitus inæquali muſculorum conatu: qui in communem ſalutem conſpirantes ad ſuum initium contrahuntur: ac propterea illius exitum laxant. Item facies non equidem pallet: ſed violacei, & tanquam purpurei eſt coloris. Quod ſi penitus adhuc explorare rẽ omnem velis: diſſecti pulmones ſpuma ceu purulẽta turgent: reliquis interim viſceribus inculpatis obſeruantque anatomici in huiuſmodi corporibus diſſeccandis, caput & thoracem ſanguine plena eſſe obſeruationibus nonnulli anatomici: ſi verò aliter viæ ſpiritus extrinſecus occluſæ ſint: exceptis funis veſtigijs, eadem ſigna ſimiliter ſpectabis. In his etiam omnibus diuerſis in locis exoriri maculæ ſolent: tam ingens enim ſtrangulatus vis eſt: vt omnium corporis partium expulſiua facultas irritetur: ideoque & ſanguinem, & ſuccos alios ad cutaneas regiones diffundit, exprimit: ac per ea præſertim loca: quæ latiora, & capaciora vaſa habent: veluti dorſum, vultus, & huiuſmodi alia.

De his, qui ob calidioris, atque alieni aeris inſpirationem ſuffocantur.

DE his vero, qui calida, ac ſuffocante inſpiratione extinguuntur, quales hi ſunt, qui in cubiculo iacent, recẽs calce, aut gypſo illito, ſiquidem intus ignis occludatur: aut vbi etiam accenſi carbones, nec halitu euaporato includũtur: quales etiam qui in barathris, ac fœtidis cauernis, puteiſque, aut in magnis ẽt foueis ſteterint, vbi aſſeruari triticum ſolet. Horum omnium, ſi prius qualis interitus ſit, explicauero, indicia tandem proponam: vt non ſolum ſigna attuliſſe: ſed ex arte etiam

videaris. Eraſiſtratus, g enarrante Galeno, exiſtimabat, propterea perire eos, qui in Charonijs ſunt barathris: tum eos, qui domos incolunt calce nuper illitas: aut qui ex carbonum vapore, aut alijs generis eiuſdem extinguuntur: quod nimirum ſpiritus prætenuitate contineri in corpore nequeat. Satius autem, inquit ille, fuiſſet, veluti in alimenti familiaris quidam leguminum olerum, panis, & aliorum nobis qualitas: aliena verò cantharidis, leporis marini, & ſimilium: ita putare qualitatem aeris quandam, aliam quidem familiarem, & amicam ſpiritui ipſius animalis: aliam verò alienam, ac corruptricem. Ergo hæc videtur fuiſſe Galeni ſententia: illos omnes ex inimica nobis, atque aliena attracta aeris ſubſtantia interire. Sed alibi *b* vbi exactius de re ipſa perquirit. Qui, inquit, in balneis diutius verſantur, exoluuntur, ac tandem moriuntur: quia calor naturalis non poteſt conſeruari: conſeruatur autem ex ventilatione principij ipſius inſiti caloris, & ex moderata refrigeratione, & ex defluxione eius, quod fumoſum eſt: non enim ob vacuatum ex toto corpore ſpiritum in balneis exoluimur: ſed propter caliditatem: nam quod etiam in graue olentibus ſpecubus, & recens calce oblitis domibus, & ab extinctarum prunarum fœtore extinguantur: fit, quia non attrahitur aer frigidus: quæ maxima eſt reſpirationis neceſſitas. Hæc igitur ex Galeno. Quod ſi adhuc quæras, quo genere mortis iſti deficiant. Celebres quidam medici, apoplecticos hos omnes interire arbitrantur: atq; affectum in his eſſe cerebrum, ſuis ventriculis fœtido, ac craſſo vapore oppletis, ac ſua mala qualitate illorum parietes vellicante: nam aiunt & motu, & ſenſu animal priuari, ac ſpumam ex ore emitti. Mihi autem verior videtur Galeni, *i* ſententia: qui eos omnes, qui in barathris, ac graue olentibus ſpecubus, ac ſimilibus in locis commoriuntur, nequaquam, ait, cerebri vitio: ſed penuria aeris frigidioris: à quo inſitus calor ventilatur, refrigeraturque, deficere: nam quod aiunt aliqui in ſuffocationibus cerebrum laborare: quoniam ſpiritus animalis minimè tunc à vitali nutriri poſſit: Negat hoc Galenus: môſtratque ad nutritionem ſpiritui animali non valdè eo ſpiritu opus eſſe, qui à corde affertur: ſed ſatis eſſe, vt vaporatio tantum ex ſanguine: aut, quæ potior habetur, per nares inſpiratio fiat. Cumque duo ſint, quæ reſpirando attrahimus: nimirum ſubſtantia aeris, ac qualitas: atque inſpirato calido aere, ſatis quidem

g 7. *De vſu partium* 8.

b De vtilit. reſpirat. c. 4. & vlt.

i Lib. de vtilit. reſpira per totum.

deni ſubſtantiæ attractum eſt, nihilo tamen minus animal ſuffocatur, ac ſi nihil omninò inſpiraret: ideò ſupereſt, vt frigida aeris qualitas ad reſpirationem potiſſimum requiratur: cuius poſtea defectu, quia refrigerari, ac ventilari calor naturalis non poteſt: ideò vltra modum auctus incenditur, atque animal diſſoluit. Spumæ autem ſymptoma, dictum eſt ex Galeno, [l]his omnibus commune eſſe, quibus inſpirationis vſus intercipitur. Sed de horum indicijs, quod vnum hoc in loco potiſſimũ quærimus, præter commune hoc ſpumæ ſignum, quod omnes ſuffocati præſeferunt, nihil compertum habeo: niſi quod nec tumor in pectore, nec vrinæ profuſio in hoc genere apparet: nam reuera minus violenta mors iſtis obtingit: quàm quibus laqueo collum torquetur: aut quibus os ac nares occluduntur. Sed de ſuffocatis agnoſcendis hæc ſatis.

l 3. Aph. 43.

Qui dignoſcere illos liceat, qui verberibus cæſi, aut aliter contundente telo interierunt. Cap. V.

Scribendi occaſio, & quorundam opinio.

QVAM ſæpè, qui verberibus cæſi, aut telo aliquo contundente percuſſi, inculcatiq; repentino intereant, nihil eſt, cur pluribus dicam: ſatis iam multis tales euentus innotuerunt. Attamen ſi modus hic interitus lateat, qua ratione indagari, veſtigariq; poſſit: nõ ſatis adhuc conſtat. Vulgaris opinio eſt, vibices, ac liuores, qui ſparſim per corpus apparent (fiunt hæ notæ, dum venulæ, quæ ſub cute diſſeminantur, abruptæ, ſciſſæque ſanguinem fundunt, qui poſtea extra naturalia vaſa ſepoſitus liuidum attrahit colorem) certiſſima eſſe verberum, ac percuſſionum indicia. Verum longè hos ſua falli opinione arbitror: neque enim quæcunque pars percuſſa ſemper liuorem oſtendit: niſi venis, iiſq; non admodum altè poſitis prædita ſit. Ergo ſi in neruoſis particulis (ſic docet Auicennas) [a] percuſſio incidat: aut cæteris etiam alijs, præter quam in carnoſis, nec ruborem, nec vllam echimoſim animaduertes. Præterea non raro in his, qui veneno extincti ſunt. aut multis etiam qui interno, & ſpõtaneo malo opprimuntur, liuores per corpus intuebere. Ipſeque Hippocra-

a 4. 4. tra. 1. cap. 4.

Digitized by Google

b Tex. 36. pocrates b primo libro de acutorum regimine ſic, inquit, Pleuriticis, qui ex importuna ptiſſanæ cibatione moriuntur, ſolet
c Tex. 80. apparere latus liuidum, plagæ ſimile: atque idem quarto c epidemiorum, quendam ex hydrope mortuum, habuiſſe, inquit hypochondria rubrefacta, vt verberibus totum corpus. Itemque
d 5. Epidem. tex. 85. Nicolai puer d cum febre ardente laboraſſet, ac ſeptima moreretur: mortuo, inquit, poſteriora rubra fuerunt. Cauſa autem huius ſymptomatis (neque enim ſcitu hoc indignum fuerit) in magnis naturæ conatibus poſita eſſe mihi videtur: quos illa in extremis violenter, ac magno exercet opere. Illuc enim trudit ſanguinem natura: qui deinde viuido ſpiritu deſtitutus liuet, &
e Lib. 21. c. 28. alienam ſpetiem aſſumit. Obſeruauit etiam Paræus, e eruptiones illas, & maculas, quas peticulas dicimus, poſt mortem quibuſdam apparuiſſe: nondum ſcilicet reſtincto humorum feruore, qui putredinis eſt ſoboles: quare tunc maximè putredinoſus calor, qui ſub mortem plurimus eſt, in cutem excrementitios humores excernit, macularum materiam. Ergo in hoc notitiæ genere incerta eſſe ſolet vbi cum, ac macularum inſpectio. Sunt etiam qui ſanguinis excretionem perpetuum huius interitus iudicium eſſe arbitrantur: nam ex valida percuſſione promptè vaſa difrumpi poſſunt: quo circa per vacua, ac magis vicina effluat ille tandem neceſſe eſt. Verum ne hi quidem rectè ſentiunt: memini enim nonnullos interno vitio emortuos, etiam in ipſo funere ſponte ſanguinem excreuiſſe: Quamobrem aliunde, ſi qua vnquam eſt, certitudinem aliquam perquiras oportet.

Quæ potiores ſunt illorum notæ; qui percuſſi, nulloque vulnere conſpicuo interierunt.

f 4. 4. tra. 2. cap. 4. QVid igitur de re propoſita ſentiendum ſit, nunc eſt explicandum. Auicennas f caſum, offenſionemque (hic cæteras percuſſiones reducas licet) duobus modis corpora hominum lædere, atque exitium afferre memorauit: nimirum aut quia dilacerãt viſcera: horum ſcilicet panniculos, neruos, & venas magnas: aut quia vehementem dolorem inferunt: quibus tamen ego tertiam cauſam adijcere ſoleo, quæ capiti percuſſo propria eſt: quoniam ſcilicet grauiſſimas quaſdam cerebri paſſiones inducunt: apoplexiam, cathocum, aut ſi quid aliud ſimile eſt,

le eſt, quod concuſſo, compreſſoque cerebro, ac ſpirituum ductibus interclaſis commoueri ſolet. His igitur ita conſtitutis, ea mihi ſententia eſt: at ſi violenta in his locis percuſsio fiat, quibus ingens vas aliquod ſubſtratum ſit: quale eſt epigaſtrium: in quo magnæ venæ, arteriæque continentur: promptiſſimũ eſſe arbitror, vt in ijs, aut vomendo ex naturalibus conceptaculis: aut excreando ex pectore, aut per vrinæ meatus, ſanguis excernatur. At vero ſi eueniat, vt os ventriculi percuſſionem excipiat, quoniam ex vehementi dolore enecare homines eius particulæ ſolet offenſio: ideò ſanguinem tũc profundi nihil eſt neceſſe: quemadmodum nec ſemper etiam in quacunque capitis percuſſione huiuſmodi indicium expectabo. Fieri enim poteſt, vt tam debile caput proponatur: vt vel ex leui percuſſione extrema afferantur pericula. Talem capitis conſtitutionem præſetulit, qui accepta *g* tantum alapa, apoplecticus interijt: atq; apud Hippocratem * virgo illa pulchra, quæ percuſſa à muliere amica ludẽte lata manu ad ſinciput, oborta vertigine, & reſpiratione priuata occubuit. Aliter autem ſi quiſpiam in capite validam percuſſionem accipiat: facilè eſt, nec nego, per os, atque aures ſanguinem fundi. Quamobrem ex his facile conſtare arbitror, eos, qui ex percuſſione moriuntur, magna quidem ex parte ſanguinem profundere: non hoc tamen ſemper neceſſarium eſſe: nam & vẽtriculi percuſſio, & ſincipitis; quod teſte Hippocrate, *b* omnium capitis partium eſt maximè imbecillum: ac propmptiſſimè perniciem affert: item ipſorum temporum, quæ poſt ſinciput, reliquis eſſe debiliora, idem edocuit: non tam ſanguinis profuſione: quàm alia ratione hominem occidere conſueuerunt. Sed nec ſi profundatur: ſemper tamen arguenda percuſsio eſt: nam & alijs etiam, vt diximus, quos internæ ægritudines, ac malignæ præſertim febres ſuſtulerunt, idem non rarò eueniſſe obſeruauimus. Ergo quoniam nec vibicibus, nec ſanguinis profuſione, vera illius, qui percuſſus moritur, indicia haberi poſſunt: reliquum eſt, vt nihil certi in hoc genere aſſerere poſsit medicus. Quamquã vbicunque hæc duo ſigna conſpiciuntur: nec vlla tamen alia mortis occaſio fuerit manifeſta: magna tunc eſſe ſolet percuſsionis ſuſpicio.

g Beniuen. de admir. morbo. cauſ. 110.

** 5. Epid. 47.*

b De vulnerib. capitis.

Quæ ſint eorum notæ, qui à fulmine icti moriuntur. Cap. VI.

Scribendi occaſio: & varij effectus fulminum vnde ſigna deſumantur.

H[IN]TER extra vrbem ſimul ſodales faciebãt: oborta tempeſtate vnum ex his fulmen confecit: huius propinqui, miſerum illum à ſuis ſodalibus perditum, enectumque fuiſſe ſuſpicati, iure egerunt: vt digna de eis pœna ſumeretur: nec antea illi iudicio ſoluti ſunt, quàm per medicorum relationes conſtitit, fulmine illum, neque aliter fuiſſe percuſſum: Ergo ne in hoc vno dicendi genere aliquando ambigas: de hoc quoque iuniores medicos certiores à me fieri iuuabit. Vt igitur varios effectus fulminum teneas: vt inde ſcilicet certa interitus indicia deſumas: lubet huc Senecam doctiſſimum Philoſophum afferre: à quo multa ad rem noſtram facientia ante alios elicere poteris. Mira, inquit, [b] ſunt fulminis opera: atque illa mira, & ſubtilis eſt potentia: localis integris, ac illæſis conflatur argentũ: manẽte vagina gladius liqueſcit: & inuiolato ligno circa pila, ferrum omne deſtillat. Stat fracto dolio vinum: nec vltra triduum rigor ille durat. Fulminum verum genera ſunt illa: quod terebrat, quod diſcutit, quod vrit. Quod terebrat ſubtile eſt, & flammeum: cui per anguſtiſſimum fuga eſt, ob ſinceram, ac puram flammæ tenuitatem. Quod diſſipat conglobatum eſt, & habet admiſtam uim ſpiritus coacti, ac procelloſi: itaque illud fulmen per id foramen, quod ingreſſum, & redit, & euadit: huius latè ſparſa vis rumpit ita, non perforat. Tertium illud genus, quod vrit, multum terreni habet, & igneum magis eſt, quam flammeum: ita relinquit magnas ignium notas, quæ percuſſis inhæreant. Nullum quidem ſine igne fulmen venit: ſed propriè igneum dicimus, quod manifeſta ardoris ſigna imprimit. Quod vrit, aut fuſcat, tribus modis vrit: vrit, fuſcat, aut afflat: & leui iniuria lædit, aut comburit, aut accendit. Omnia iſta vrunt: ſed genere, & modo differunt. Quodcunque combuſtum eſt, vtique et uſtum eſt: at non omne, quod vſtum, vtiq; & com-

[b] 2. Lib. de naturalib.

& combuſtum eſt. Item quod accenſum eſt: poteſt enim illud ipſo tranſitu ignis vixiſſe. Quis neſcit, vri quidem, nec ardere? nihil autem poteſt ardere, quod non vritur: vnum adijciã: poteſt aliquid eſſe combuſtum, quod non ſit accenſum: poteſt accenſum eſſe, nec combuſtum. Nunc ad id tranſeo genus fulminis, quo ita fuſcantur: hoc autem decolorat: vtrique diſtinctionem ſuam reddam. Decoloratur id, cuius calor vitiatur, non mutatur: coloratur id, cuius alia ſit, quam fuit facies: tanquam cærulea, vel nigra, vel pallida. Fulmina autem non eodem modo omnem materiam vexant. Valentiora, quæ reſiſtunt, Valentius diſſipant: cedentia nonnunquam ſine iniuria tranſeunt: cum lapide, ferroque duriſſimis quibuſque conſurgit: quia viam neceſſe eſt per illa impetu quærat: itaque facit viam, quà effugiat: ac teneris, & rarioribus parcit: quamquam & flammis opportuna videantur: quia tranſitu patente minus venit. Atque hæc Seneca, cuius ſententia, quamquam peritioribus minimè ignoratur: attamen quia non deſunt, qui ſuccinctam illius orationem non tam facilè tenent: ideò lubet authoris ſenſa, vbi fulminum genera, ac differentias explicat, quaſi periphraſi quadam illuſtrare. Tria igitur ſunt fulminum genera: nam tribus & iam modis nos illa offendere depræhenduntur: primum eſt, quod terebrat, ac quaſi foramen quoddam ad interna corporis facit: Secundum, quod diſcutit, hoc eſt diſſipat, atque in varias partes corpus diſijcit, diſſoluitq;: tertium vero, quod tantum vrit. Ac primum rurſus: cuius eſſe proprium diximus terebrare, ſubtile eſt, atque in ſeipſum collectum, minimèque expanſum: ac tam puræ, tenuiſque ſubſtantiæ, vt nullo propterea obijce effracto, per idem foramen, quo fuerat ingreſſum, egreditur, euaditque. Secundum verò, quod diſſipat, ſpiritus habet coactos, ac cõglobatos: & in æqualiter impetu facit: ac quaſi procella, latè rumpit, confringitque. Tertium vero, cui propria eſt uſtio: terrenam habet ſubſtantiam: vtriuſque ignitæ materiæ, quàm flammæ aſſimilatur: ideòque manifeſtas ardoris notas inurit: & quamquam cætera fulmina nihilominus vrant: hoc tamen ideò præſertim igneum dicimus, quoniam plus cæteris ignis, & ardoris indicia commõſtrat. Huius autem duplex eſt differẽtia: aliud enim præcipue vrit: aliud fuſcat: ideſt ſubnigrius reddit corpus. Illud verò, quod vrit, tres adhuc ſub ſe continet differentias: nam alia leuiter vrunt,

ac tan-

ac tantum afflant: hoc eſt, quaſi ſpiritus quidam corpus attingunt: ideoque leui etiam lædunt iniuria: alia verò comburũt: ideſt profundiore vſtione conſumunt, ac tabefaciunt. Tertia verò accendunt: ideſt flammam excitant. In his autem vides, vrere, comburere, atque ardere, manifeſto inter ſe diſcrimine diſtare, nam vrit, quod leuiter, atque in ſuperficie agit: cõburit, quod penitius conſumit: ardet quod flammam emittit. Hæc autem poſtrema duo ideò, & comburere, & ardere dicuntur: non quod etiam non vrant, vt quæ priori poſuimus loco: ſed quod præterea peculiariter illa comburant, hæc ardeant. Proinde vrere omnibus fulminibus erit commune: quemadmodum & fuſcare etiam: ideſt fuſcum, ac fumeum colorem inducere. Sed hæc etiam, quæ fuſcant, dupliciter hoc faciunt: nam alia ſunt quæ decolorant: ideſt priorem tantum colorem paulo aliter immutant: alia verò, quæ colorant: hoc eſt alium à priori colorem inducunt: puta cæruleum, nigrum, pallidum, aut quemuis alium.

Variæ eorum notæ, qui à fulmine occiduntur.

CVm hæc igitur multa ex Seneca didicerimus: conſtetque multis modis hominum corpora à fulminibus iactari: duo tamen communia ſunt omnibus (quod quidem ſcire plurimum ad inſtitutum facit) nimirum, vt fuſcum contrahant colorem, qua nimirum parte fulmen percuſſerit: & quod etiam alicubi vſta ſint: Præterea *vero, quod odorem ſulphuris præſeferant: nam, vt doctè memorat Plinius, *i* vel lux ipſa eorum ſulphurea eſt. Item qui icti ſunt, in contrarias incubant partes: &, vt etiam Seneca obſeruat, eorundem caput ſpectat ad exitum fulminis: perſtat item vigilans conniuentibus oculis: dormiẽs vero patentibus reperitur, ac fulmine etiam confecta cadauera, qua parte tacta ſunt, vt quidam experimentatores obſeruant, frigidiora reliquo corpote ſunt. Scriptum etiã aliqui reliquere, corpora icta fulmine, exiccari quidem: nunquam tamen putreſcere: quare non immeritò poeta ille damnatur, qui Phaetontem * cecinit, de cælo tactum quibuſdam in conuallibus cõputruiſſe. Sed neſcio, an hoc admiſerit Seneca, qui ſecundo libro de naturalibus fulmine icta intra paucos dies verminare affirmat. Ergo ſi his omnibus, quæ multa quidem ſunt, animum

* Seneca vſ.

i Lib. 2. c. 59.

* Plutarch. ſymp. cap.

mum aduerteris: omnes, quos fulmen occiderit, etiam aliquo interpoſito interuallo, haud difficilè depręhendes. Quod autem aliqui putant, fulmina ſemper contundere debere: eoſq; qui ita cóciderunt, effractis vbique membris deprahendi: longè mihi ſua opinione falli videntur: nã ſi naturam fulminis ſpectes, omnia inquit Ariſtoteles, *m* ſpiritus ſunt: qui aut tenuis eſt, aut clarus: ideoque minimè adurens: aut ſpiſſus, ac fumidus: quiq́ue propterea incendio conſumit. Hæc autem in loco, vbi Ariſtoteles affirmat, omnia fulmina ſpiritus eſſe, atque ex talibus: adiecit Alexander Aphrodiſæus: non autẽ lapidem, aut ſolidum quid, vt aliqui volunt. Attamen quod ferrum, & ſolidiſſima quæque à fulmine ſæpiſſimè eſtringi, ac diſijci videmus: non ex ſolida effectum id eſt materia: ſed quoniam ea eſt fulminis vis, atque impetus, vt quæ reſiſtunt, atque obicem faciunt, ſolum offendat, opprimatque: quæ verò cedunt, quaſi magnanimus quidam bellator, leuiter attingit: aut nihil curat. Ergo hominem quoniam carnea mollitie, vndique obtegitur, rariſſimè contundi animaduertes: vri autem, atque afflari ſemper. Quo circa meritò ſibi perſuaſeerat Seneca, fulmini ineſſe peſtilentem potentiam: quòd ſcilicèt non tantũ icta cadant: ſed etiam afflata. Sed illud etiam obſeruatum eſt: leuia magna ex parte ea eſſe, quæ à fulmine confecta ſunt corpora: humore ſcilicet omni magna, ac cæleſti illa exuſtione conſumpto. Sed de fulminum notis hic finem facio.

m in 3. meteor. cap. 1.

Quæ repentinæ mortes ab interna eueniant cauſa.
Cap. VII.

HABES, quibus indicijs varia mortis genera cognoſci valeant: ſi quidem ab externa violentia prouenerint. At quia nulla interdum huiuſmodi ſuſpitio, etiam ex eo, qui in eam curam diligenter incumbat, aduerti poteſt. Reliquum eſt, tunc ab interno vitio repente hominem occidiſſe profiteri. Sed hoc ſatis nõ eſt: niſi etiam qua de cauſa ea mors obtigerit, probabiliter ſaltem referas. Ergo operæ pretium me facturum puto: ſi, vnde ſubitæ ac repentinæ mortes homines appræhendãt, particulatim proponam: ne illud ignores, in quod fortaſſe du-

biæ mortis occaſio tibi ſit referenda.

a 1. Aph. 3. Repentè [a] moriuntur nonnulli, qui optimo corporis habitu, magnaque plenitudine vltra vires expleti ſunt: Si enim facilè diſrumpuntur, & natiuum calorem in his & ſtrāgulari, & extin-*b 7. 4. tra. 4. cap. 5.* gui contingit. Moriuntur [b] etiam ſimiliter, qui nimis pingues obæſique ſunt: exiguo nimirum illorum calore (frigidiſſimi enim natura ſunt) à nimia mole obruto, extinctoque. Nec ab-*c 3. p. doct. 2. cap. 8.* ſimile mortis genus experiuntur, [c] qui ſæpe inebriantur: nihil enim magis neruoſum genus, atque adeo etiam cerebrum ipſum quam immodicus vini vſus replet, obſtruitque: quāobrem conuulſioni, apoplexiæ, ac propterea repentinæ morti facili ne-*d 2. Aph 41.* gotio expoſiti ſunt. Item [d] qui frequenter, ac fortiter abſque cauſa manifeſta deficiunt, de repente moriuntur: nimirum ob *e Gal. vt ſup.* virtutis vitalis imbecillitatem. Nec [e] aliter intereunt, quibus dum exoluuntur, fortiter cor palpitat: atque hi etiam, qui a-** Trallian. lib. 7. c. 11.* cutiſſimis cordis affectibus, quas ſyncopas vocant, corripiuntur: à quibus, vt notiſſimas alias cauſas prætercam, non ſolum affici illos ſæpè animaduertimus, quibus os ventriculi à lumbri-*f De ægritud. cord. c. 1.* cis* mordetur: ſed obſeruatū eſt aliquando: & à Meſue [f] etiam memoriæ proditum, vermes ad cor vſque penetrantes ſubitæ mortis cauſam præſtitiſſe. Quamobrem & cordis dolores, vt *g In coac. prædict.* ait Hippocrates, [g] ſeniori ſæpius conſueſcentes repentinam ſignificant mortem. Repente etiam diſſoluuntur, ac cōcidunt, qui nimio ac ſubito gaudio aliquando efferuntur: aut magno *h 5. de loc. affect. 1.* occupante timore: etenim [h] quibus vitale robur infirmum eſt: animi verò affectiones ob imperitiam fortes, his animæ eſſentia facilè diſſolui poteſt. Non pauci etiam in ipſo venereo congreſſu defecerunt: ingenti voluptate ſpiritus euaporante, corrumpētèque quorum exempla, (ſi hoc quoque ſcire deſideras) *i Lib. 1. c. 53.* multa à Plinio [i] referuntur. Sed in vniuerſum cordis imbecillitas: quæ ex frequenti animi deliquio arguitur, ſubitæ morti plurimum expoſita eſt: cui etiam proxima eſt oris ventriculi minus valens conſtitutio: quam etiam adeſſe frequens arguit cardialgia. Quamquam debilis ſtomachus non tam huius mortis cauſa eſt, quam occaſio: ipſo ſi licet corde ad ſympathiam conuocato. Validæ etiam apoplexiæ ſubitam aſſerunt necem reſpirationis munere pœnitus intercepto: hāc uerò uertigines, atque incubi frequētes, inſultuſque epileptici, ac certa quædam alia cerebri uitia facilè futuram præuuntiant. Sed hoc in loco

præter-

prætereunda non eſt Raſis doctiſſimi medici ſententia: qui repentinas mortes plurimum ex apoſtemate cordis euenire affirmat: ſic enim in ſeptimo *l* continentis libro memoriæ mandauit. Mors ſubitanea, & velox in maiori parte accidit ex naſcituris, & apoſtematibus in corde: ſed ſignificatio ſuper hoc habetur ex inflammatione, & caliditate accidentibus in corpore vltra modum accidentem ex alijs: etiam ex magno anhelitu, & ex paucitate ſufficientiæ: ex magnitudine eius, & expulſu in mirabili mutatione: quibus vaſis, velociter notũ habeas, quod paſſio eſt in corde. Sed illud etiam præſtat nouiſſe: cum quiſpiam repente moritur, qua nam ſcilicet ex his, quæ enarratæ ſunt ægritudines, ille correptus fuerit. Ergo diligenter antea percontaberis: quarum partium imbecillitate, morbiſue viuẽs laborauerit, cerebrinè, an cordis, an ventriculi: aut quid omnino ſpontaneæ moleſtiæ antea pertulerit. Veriſimile enim eſt, promptius quempiam ex ea ægritudine interire poſſe, quæ hominem, aut ſæpè, aut grauiter alias læſerit: aut cui aliqua ratione expoſitus ſit: quàm ex quauis alia. At quoniam duo ſunt repentinæ mortis genera, quæ omnium frequentiſsimè obtingunt: apoplexia, & ſyncope: optimè Galenus *m* viam mõſtrat: qua vtraque diſcerni poſſit: etenim qui ex conuulſiuo aliquo affectu moriũtur: quo in numero principem locum apoplexia: hoc diutiſſimè permanere calidos affirmat: qui verò ſyncopi correpti ſunt, adeò frigidos eſſe mortuos, vt etiam viuentes refrigerentur. Sed hæc omnia, quæ ſparſim allata ſunt: lubet, vt plenior habeatur notitia, ad pauciores quidem, ſed tamen communiſſimas cauſas ita contrahere. Ariſtoteles *n* violentæ mortis cauſas in vniuerſum duas eſſe conſtituit: extinctionem ſcilicet, ac marcorem: illam, qua opprimatur, ac ſuffocetur corporis calor: hunc, quo idem attenuetur, diſſoluaturque. Verùm Galenus libro *o* de rigore, innati caloris interitum non à duobus, ſed à quatuor principijs deducit: nimirum à defectu materiæ, vnde ille nutritur: vt ſi lucernæ oleum ſubtrahas: à propria illius diſſipata ſubſtantia: vt cum exigua flamma à ſole diſſoluitur: tertia eſt, cum ille à nimia opprimitur copia: vt ſi plus olei affundas, quam ſit neceſſe: vltima verò, cum à contraria qualitate expugnatur: vt ſi in frigidam aquam flamma inciderit. Quamquam hæc omnia non ineptè ad duas illas Ariſtotelis cauſas reduces: nam & pabuli defectu ità ferè extin-

l Cap. 1. lit. A.

m 1. de præſa gat. ex pulſ. 4.

n De iuuent. et ſeneſt. cap. 4

o Cap. 6.

guitur calor, ac ſi propria eius ſubſtantia diſſipetur. Frigoris autem occurſus ita & ipſe opprimit, & calorem cogit, ac ſi nimia ille ſuffocetur. Sed quocunque modo naturale calidũ deficiat: ſiquidem ſenſim id fiat: ſenſim quoque animal moritur: ſi repente: repentina mors etiam ſequatur neceſſe eſt. Diſcurre igitur per omnes affectus, à quibus ſubito concidere homines ſolent: in omnibus calor ipſe naturalis aut opprimitur, aut

p Ad thraſib. cap.37. diſſoluitur: Opprimitur *p* in athletis, in nimis pinguibus: dum ipſa alimenti moles inſitum calorem premit, obruitque, ac liberum ſpiritui tranſitum intercludit. Aſſimilem etiam interitum ingens nobilium partium dolor inducit: vniuerſo ſanguine initio ad viſcera affatim irruente. Nec aliter etiam ab aſſũptis admotiſque venenis intereunt homines: dum nimirum inimicam illorum vim effugiens ſanguis, ſeſe colligit, ac vitæ interim obſtruit ſpiracula. Opprimit quoque ingens timor, dum

q 2. de ſympt. cauſ.5. totius *q* ſanguis vnà ad interna refugit, atque ad principiũ defertur: cuiuſmodi etiam ſunt vehemẽtes omnes cordis affectus,

r 5. De locat. affect.2. qui nimirum ad inſtrumentarias pertinẽt partes: nam *r* intemperies, quamquam magnæ ſint, ſubitam mortem minimè inducunt. Contra autem diſſoluitur calor in apoplexia, atque in omnibus morbis, in quibus intercipitur reſpiratio: etenim niſi

ſ de dem. &c. cap.6. *ſ* calor innatus, quæ ſubſtantia eſt ſemper, & per ſe mobilis ab inſpirato refrigerio intus contineatur: foras ille tãdem exiliat,

t 2. de ſympt. cauſ.5. ac diſſipetur: ſimiliter etiam deficiunt, qui *t* nimio gaudio efferuntur, dum extrorſum animalis facultas reſoluta digeritur. Vides ergo, cùm multæ repentinæ mortis cauſæ, occaſioneſq;

u 5. De locat. affect.1. enarratæ ſint: omnes *u* tamen immodicas cordis intemperãtias ſequi: nam ſimul cum ipſo omnes vitiantur partes: cum enim ipſæ peculiari cordis temperie actiones ſuas perficiant: hanc percunte actiones quoque illarum perire neceſſe eſt: ac proinde cerebri quoque, & iecoris. Horum autem intemperie deperdita, non ſimiliter optimo cordis ſimul actionem perire: ſæpè enim aliqui neque ſentiunt, neque intelligunt, neq; mouentur: diuque ſine alimento permanent: attamen viuere cernas. Verùm quamquam proxima ſubitæ mortis cauſa à corde eſt. Cerebri etiam, atque oris ventriculi acutiſſimi affectus illud promptiſſimè ad ſympathiam trahũt: nam iecur ſola atrophia hominem tollit: ideoque longiori temporis ſpatio perdurat. Ex his igitur, quantum in medici diligentia poſitum eſt,

depræ-

deprǣhendet, quo mortis genere quiſpiam ab interna cauſa repente occubuerit.

Admonitiones, ac præcepta in contexendis relationibus acutiſſima.

QVæcunque medicarum relationum materiæ conuenientia excogitare hactenus potui, pro viribus explicata ſunt mihi. Reliquum eſt, vt nonnulla inſuper adiungam: quæ medicum in hoc notitiæ genere non tamen doctrina, ac literis eruditum, quam moribus inſtitutum, atque in agendo peritum, planèque artificem reddant. Neque enim quam doctè dumtaxat: ſed id etiam, quam circumſpectè, prudenterque agas intueri oportet: huic enim rei niſi animum diligenter aduerteris, incultam tuam doctrinam, ac parum profuturam omnes exiſtimabunt. Ergo huc vnum ante alia te admonitum velim: vt cum primum magiſtratus, te ad relationem ferendam adhibebit: ne præceps ſis, atque inconſultus in iudicando, dicendoque maturè omnia, ac prudenter agas velim: & præſertim ſi de eadem re diuerſam proponi aliorum ſententiam ſenſeris: tunc enim nihil dices, quod non ſatis digna meditatio, iudiciq; maturitas elaborabit. Neque enim in graui, ac difficili quæſtione: & quæ forſitan à vulgari intelligentia remotior ſit, dedecebit medicum, doctum licet, vſuque ac literis præſtantem, iuſtum aliquod temporis ſpatium expoſcere, vt cõſultis authoribus de re propoſita ſententiam ferat. Ergo in ſchedula ſic omnia adnotabis: oblataque occaſione, aut memoriter referes: aut, ſi illi minimè fidas, de ſcripto recitabis. Sed ante alia ſemper te veri amatorem eſſe, atque amicum conſulo: nam cum turpe vbique ſit, medicum mentiri: omnium tamen maximè indignum eſt, cum iuſiurandi interponitur fides, quàm violare ſummum eſt nefas. Sed hoc in loco non poſſum imprudens quorundam conſilium non improbare: qui affirmant quidem, iuſiurando magnam ſemper reuerentiam deberi: verùm, cũ ita, aiũt, referimus, ut nulla ſollemnitas, nulla formula præſentibus nobis conſtituitur: ſed ſcripto tantum adhibetur fides: licebit tum aliquid ſupplicibus amicis condonare, atque his præſertim, à quibus honeſtam nobis mercedem expectamus. Quibus ego: mendacium in re quacunque ſemper euitandum,

ac deteſtandum eſſe arbitror: tametſi nullum iuſiurandum obſtiterit: ſed tum maximè, cum accepto pretio mentimur: ut merito propterea uileſcant medici, ac deſpectui habeantur, qui mercede propoſita, contra fas, iuſque omne ueritatem ſubuertunt. At in medicis relationibus: quæ tametſi longè à curia aliquando fiunt: nec ullum nobis religionis præſcriptum offertur: ſemper tamen nos ipſi tacitè deuincimus: ac ſemper quaſi Deo teſte referimus: ſi quid, inquam, illo tempore mentimur, nihil dubium non eſt, non ſolum contemnere non honeſtatis officia: ſed ſemper quoque iuſiurandi fidem uiolare. Videant ergo hi medici, qui tam facilè, tam temerè ſuam ſententiam de re quacunque pronuntiant: ne dum amicis ac lucro ſtudent: interim Dei odia contemptæque religionis ſupplicia iuſtè mereantur.

Præterea nunquam illorum inſtitutum commendare ſoleo: qui læuiſſimas quaſque ægritudines ita uerbis exaggerant, amplificantque: ut nihilo grauiſſimis læuiores putes. Hi præter loquendi uanitatem: nunquam etiam hãc infamiam apud uulgus euitare quærunt: dum ſcilicet, quem modo grauiter habere palam, profeſſi ſunt: eundem non multo poſt publicè incedere, atque in omnium conſpectu eſſe animaduertunt. Nec minus quoque falſas illorum ratiocinationes, ac calumnias fero: qui dum referunt, ambiguis quibuſdam uerbis, quæ iniqua interpratatione ueritatem obducant, iudicibus, quos fallere hac in re promptum eſt medicis, imponunt: dum exiguos morbos grauem exitum facilè habituros probant. Sic enim quem febricula in carceribus occupauit, aiunt, inde illum ſolui oportere: quoniam ob inſalubrem loci conditionem, praui ſucci, quorum effectus, indiciumque eſt febris, ita poſſent in corpore cumulari, ac fieri grauiores: ut facilè uitæ periculum iminêret. Equidem fateor, putridam febrem uitioſos corporis ſuccos arguere: ac poſſe illos uitio aeris tam praue affici, ut ægrotantem interimant. Attamen plerumque exigua febris omni uacat periculo: nec eſtatu dignam arguit putredinem: ſoletq; etiam in carceribus diu, atque innoxiè perferri. Proinde nihil erit neceſſe, hominem emitti. Neque enim id à nobis exigunt iudices, num illa ægritudo fieri aliquando deterior poſſit: ſed num ita fieri plerunque ſoleat: nam ſi quod fieri interdum ualet, illud in relatione proponas: quis neget, etiam integrè ualentes,

lentes,

lentes, in carcerem coniectos & ægrotare, & interire nihilominus poſſe.

Præterea hoc in loco non me latet, quàm facilè auaritia, ac lucri cupiditas ſerpat: quàm promptè multorum animos obſideat: eoque imprudentiæ deducat, vt mendacium etiam, atque periurium certa mercede paciſci non dubitent. Nec deſunt, qui ab vtroque diſceptante aduerſario, dum medici relationem ſibi quiſque fauorabilem ambit, pecuniam accipiant: nam vt iuſtam vnius mercedem medico minime recuſandã puto: ita etiam à quacunque alia manum obtinere ſemper ſuaſerim: Doli hi ſunt aduerſariorum, ac machinæ: quibus medicorum conſtantiam, virtutemque expugnare, atque euertere enituntur. Sed hæc ad medici mores, ac probitatem ſpectant. Hoc magis ad dicendi moderationem facit: vt ſcilicet in referendo ſemper iudicis animum, mentemque nobis ante oculos proponamus: atque ita aptè ad illius poſtulata dũtaxat reſpondeamus: ex quibus etiam noſtræ relationis argumentum deſumetur. Ergò hac in re plurimum peccare illos puto: qui ſæpè longius, quam res poſtulat, digrediuntur: ac leuiculas neſcio quas quæſtiones nequidquam agitant: vnde iudicum animos defatigari, ac tædio affici contingat. Simpliciter poſtea, quæ tua ſententia fuerit, explicandum: ac breuiter communibus quibuſdam rationibus comprobanda ſunt omnia: niſi tamen in controuerſiam res veniat. Fit enim plerunque, vt iudex vnius medici ſententiam ſuſpectam habens, alios etiam ad cauſam adhibeat. Et tunc paulo longiori oratione opus eſſe non dubito: nam & reſpondendum ad contrarias rationes, & exquiſitius de rebus agendum. Sed & hæc etiam quam breuiſſimè licet.

Illud etiam aduertendum eſt, ne in tradẽda relatione nimis obſcuri, ac intellectu difficiles ſimus: neq; eo ſermone vtamur, qui nimio cultu affectatus, aut ſtudioſa cura perquiſitus ſit. Hic ego Latinum ſermonem cæteris libenter prætulerim: magis enim è medica dignitate eſt: niſi tamen aliam eſſe iudicis voluntatem ſenſeris: tunc enim vulgari ſermone res omnis eſt explicanda: vt clara ſint omnia: nec ille de ſententia ambigat. Cuius rei gratia obſcura quædam vocabula: quæ medicis quidem notiſsima, ſed iuriſconſultis minus intellecta, tametſi in relatione apta eſſe videbuntur: ego tamen facilè prætereibo: ac communiora potius, notaque magis pro his interponam. Ergo libenter

benter ego, ſi ſe vnquã offerat occaſio, pro ſymptomate morbi effectum: pro cauſo ardentem febrem: pro diarrhea fluxum ventris vſurpabo. Aptius etiam renum calculo laborare quempiam, quam nephritide dicam: dolore capitis, quam cephalalgia, aut cephalæa: hydrope, quam aſcite, aut tympanite, aut leucophlegmatia. Quod ſi has etiam medicas voces, aut oſtentationis gratia, aut alio conſilio vſurpare in animo eſt: nihil ueto: modo vulgarius nomen interea, ac tritum magis: quaſi interprætationem quandam, ac periphraſim interponas.

Sed illud etiam ignorandum non eſt, in nonnullas rerum occaſiones medicum nonnunquam incidere: vt cum nihil certi de re propoſita conſtet: dubia omnia, incertaque referre nos etiam oporteat. Non ſemper enim promptæ ſunt rerum, atque affectuum notæ: vt propterea in dubia, atque ancipiti medicorum relatione ſatis iuſta eſſe poſſit excuſatio. Sed hæc tantum admonitos impræſentiarum lectores volui: non quod plura etiam non ſint à quibus caueat, & quæ ſeruet referendi præcepta: ſed quod dum paucis his, quæ ſunt potiora, aſſueſcent: facilè pro medica dignitate præſtabunt.

FINIS.

[library stamp]

MAT.

ELENCHVS CAPITVM

PRIMI LIBRI.

DE locorum ſalubritate, cap. I. pag. 1
De locorum mutatione, cap. II. 41
De peſtilenti conſtitutione, cap. III. 50
Qua ratione publicorum eduliorum vitia in Ciuitate aduerti debeant, cap. IIII. 71

SECVNDI LIBRI.

DE cicatricum natura, atque iudicio, cap. I. 99
De dignoſcendis his, qui morbum ſimulant, cap. II. 117
Quinā chordæ tormento apti, ineptiuè, iudicari debeant, cap. III. 131
Qui corporum ſtatus ab itinere faciēdo hominē excuſent, cap. IIII. 142
Qua ratione nonnullas functionum læſiones in quibuſdam vulneratis particulis aduenturas præuidere medicus poſſit, cap. V. 145
Quæ externi corporis membra homini in vniuerſum magis ex vſu ſint, cap. VI. 165
De mutilatione, cap. VII. 171
De membri appellatione, cap. VIII. 175
Vtrum integrè quiſpiam à vulnere conualuerit, cap. IX. 178
Qua ratione tueri medicum, aut culpare iuſtè liceat, ſiquidem erroris, aut criminis ſuſpicione in iudicium vocetur, cap. X. 181

LIBRI TERTII.

DE virginibus dignoſcendis, cap. I. 196
Qui coniuges ad prolem ſuſcipiendam apti eſſe iudicari debeāt, cap. II. 205
Quæ parentum ægritudines in liberos transferri conſueuerūt, cap. III. 126
De dignoſcendis fœminis, quæ vtero gerunt, cap. IIII. 236
Vtrum ad molæ cōceptum virile ſemen neceſſario requiratur, cap. V. 248
Quot dierum fœtus in vtero animam rationalē accipiat, cap. VI. 252
Qui partus legitimo tēpore æditi ſint: qui ſecus habēdi, cap. VII. 259

Quinam monſtroſi partus rationalis animæ participes ſint: quiuè pro vno homine, aut duobus habendi. cap. VIII. 280

LIBRI QVARTI.

QVibus indicijs mortui ſint depræhendendi, cap. I. 296
Vtrum accepto vulnere quiſpiam interierit, an alia fuerit occaſio, cap. II. 302
Vtrum aſſumpto veneno, an potius interno corporis vitio quiſpiam interierit, cap. III. 328
Quomodo depræhendi hi poſſint, qui ſuffocati interierunt, cap. IIII. 336
Qui dignoſcere illos liceat, qui verberibus cæci, aut aliter contundente telo interierunt, cap. V. 339
Quæ ſint illorum notæ, qui à fulmine icti moriuntur, cap. VI. 342
Quæ repentinæ mortes ab interna eueniant cauſa, cap. VII. 345
Admonitiones, ac præcepta in contexendis relationibus vtiliſſima. 349

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

ABortus recens animati deſcriptio, & delienatio. pag. 258
Actio membri, & actionis vſus quid ſit: 176
Aegyptij intemperato vtuntur cælo. 6
Aegyptij in altiſſima orbis parte ſiti. 27
Aeris bonitas, & temperies quomodo differant. 35
Aer quomodo immutetur in propria ſubſtantia. 55
Aer quomodo putreſcat. 57
Aetas animalium, quorū carnes comeduntur, quantum præſtet ad ſucci bonitatem. 83
Aetas prima ad conſpiciendum idonea. 217
Aetius contra Galenum refellitur. 298
Agnina caro qualis ſit facultatis. 85
Altus locorū ſitus ſaluberrimus. 34
Anguillæ in aquis ſalubritatis indicium. 15
Animalium ſingulorum propria pabula, quæ ſint. 76
ex Animalium habitudine cognoſcitur terrarum conditio. 31
Animalia diuerſæ ſpeciei an prolem ex ſe producant. 284
Anima rationalis quo tempore in fœtu creetur. 252
Aquilo cur deorſum dicitur eſſe conſtitutus, meridies ſurſum. 2
Aquilo cur vehementius ſpiret. 8
Aquilonares venti ad valetudinem faciunt. 9
Aquæ optimæ conditiones. 15
Aquæ potui inſuaues ſæpe ad valetudinem præſtant: 16
Aquarum mutatio damnoſa. 42
Architecti aliquid medicinæ ſcire debent. 1
Argilla aquas dulces fert. 15
Articulorū vulnera quale nocumentum relinquant. 179
Aſpectus cæli uariat locorum naturas. 7
Auſtrini venti quales ſint. 9
Aures, naſus, labia non dicūtur membra. 177

B

BRitanni diu viuūt, & quare. 2
Bubula qualis ſit. 84

C

CAlida loca qui habitant, ſunt frigidiores: qui frigida calidiores. 3
Campeſter ſitus qualis. 28
Capitis vulnera cuius cōditionis ſint 317
Capilla qualis ſit in alendo. 85

Capita duo, an duo pectora duplex monſtrum efficiant. 289
Carnes animalium, quæ quibus hominibus conueniant. 81
Carnes animalium, vt benè nutriāt, quæ requirantur. 75
Carneum ſucci bonitatem plurimum commendat aſſumentium natura. 77
Carnes animalium ſponte mortuorum quales. 78
Carnes animaliū venenis nutritorū quales ſint. ibid.
Carnes greſſibilium, volatilium, & piſciū quomodo inter ſe differant.
Carnes quæ præſtantiſſimæ in alimoniæ bonitate. 86
Caſtratio quid conferat ad ſucci bonitate. 83
Cerebrum, an cor dominatū teneant in corpore. 289
Charonia Siciliæ oppidū inſalubre. 7
Chordæ tormētum deſcribitur. 131
Chordæ tormentum cuius ætatis homines perferre poſſint. 133
Chordæ tormentum qui obæſi ſunt, & qui proximè comederunt, quatenus ſuſtinere poſſint. 134
Item mulieres prægnantes, enixæque, ac lactantes. 136
Chordæ tormētum perferentes quomodò periclitari deprehendātur. 137
Chordæ tormentum an ferre poſſint, qui thorace ſunt nimis anguſto. ibidem.
Chordæ tormentum cur fœminæ facilius ferunt. 138
Chordæ tormentum quatenus exceſſent pectoris vitia. 138
Chordæ tormentum quatenus ferre poſſint, quibus brachiorum oſſa diſrupta fuerunt: item fercula, & coſta: & quorum brachijs aperti ſunt fonticuli, & quibus reſoluta ſunt brachia. 140
Chordæ tormentum quatenus ferre poſſint febrientes imbecilli, & qui dolore affliĉtantur. 142
Chirurgorum errores, quomodo in iudicio examinandi. 186
Cicatrix propter iniuriam illatam ſupplicium apportat. 110
Cicatricum duplex differentia. 111
Cicatrix deformis quæ. 112
Cicatrix apparens quæ. 113
Cicatrix quomodo nō tā ſui ratione, quam aliarum rerum culpa deformis ſit. 116
Ciſternarum aquæ quales. 27
Clima temperatius vbi locorū ſit. 38
Clima à varijs accidentibus ſortiri variam temperiem. 41
Cor an cerebrum principatū teneat in corpore. 289
Conceptio quo primum tempore in vtero magis fiat. 267
Conuallium aer qualis. 28
Cœli aſpectus quadruplex. 2
Colubri quod alimentū præſtent. 87
Coturnicum caro qualis. 89
Cuniculorum caro qualis ſit. 86

D

Eus quomodo peſtilentiæ cauſa eſſe dicatur. 32

Defor-

Deformitatis quatuor ſpecies quatuor pulchritudinibus reſpondentes. 109
Deformitas quæ à cicatrice offenditur. 109
Dies certus edendi partus quomodo enumerari poſſit. 263
Dierum terminus quinam adhibendus ad exitum lethalium vulnerum. 326
Decimeſtris partus conditio. 326
Dæmoniaci, ac maleficijs affecti quomodo à naturali ægritudine internoſcantur. 127
Digitorum vſus præſtantia. 169
Diſtinctio fœtus in vtero quo tempore contingat. 254
Domeſtica, & agreſtia animalia, quomodo differant in ſucci alimonia. 63
Domus diuerſæ partes quomodo ad ſalubritates ſe habeant. 36

E

Effeminati, vt plurimum ſteriles. 210
Errores medicorum, quomodo in iudicio examinandi. 182
Eteſiæ qui venti, & vnde ſpirant. 5

F

Fauonij venti ſuauitas. 9
Flumina quos větos producăt. 9
Fluminum aquæ quales. 19
Flumina quem aerèm efficiant. 21
Fontes quem cæli locum ſpectare debeant. 13
Fontium meridionalis exortus commendantur. 14
Fontes ſeptĕtrionales, vt plurimum improbantur. 15
Fontes lapidoſi quales. 18
Fœmiuæ citius adoleſcunt, & fœcŭdæ fiunt. 218
Fœminæ, an concipere poſſint, menſibus nondum exeuntibus. 219
Fœmina habet eadem numero membra genitalia, ac maſ. 223
Fœmina plus confert ad ſexus diſtinctionem, quam maſ. 223
Fœmina, an maſ. in vtero geratur, quomodo cognoſci poſſit. 245
Fœmina quomodo apta eſt per ſe ad concipere in vtero. 250
Fœcunditas aliquando à cauſa cæleſti. 222
Frigida loca habitătes ſunt calidiores: calida, frigidiores. 3
Frequentia hominum an cŏferat ad locorum ſalubritatem. 32
Fructuŭ fugacium edendorum modus. 93
Frontis vulnera, quod detrimentum relinquant. 149
Frigus, ac rigor corporis, an ſemper mortuos arguant. 298
Fulminum miri effectus. 242
Fulmine interemptorum nota. 344

G

Galeni locus difficilis. 14
Galenus defenditur. 35
Gallinarum caro qualis ſit. 87
Gallica lue affecti ferè ſunt ſteriles. 211

Genitalia ignaua, & frigida, quomodo ſterilitatem inducant. 209
Grauitas, ac leuitas in aquis, quid indicet. 16

H

Haedina qualis ſit. 85
Haereditarij morbi, qui ſint, & quod non ſolum à ſemine: ſed etiam à menſtruo ſanguine proficiſcantur. 227
Herba quomodo fontes afficiat. 15
Hortorum habitatio quid praeſtet ad loci ſalubritatem. 22
Horror poſt concubitum conceptionis indicium. 239
Humidum temperamentum ad vitae longitudinem num magis conferat. 2
Humiles ſitus inſalubres, & quandoque ad valetudinem praeſtat. 28
Hymenem, an perpetuo habeant virgines. 201

I

Ignaua genitalia, & frigida cur ſterilitatem indicant. 209
Imaginationis quanta vis ſit. 234
ab Itinere faciendo, qui corporum ſtatus excuſent. 143
Initium grauidationis vnde ſumendum ſit. 267
Influxus caeleſtis conceditur à medicis. 54
Inſulani quare dicantur mali. 39
Inſula exigua ſalubriores. 26
Inſula fruuntur caelo ſalubriori. 25

L

Lacus qualem aerem producat. 21
Lapidoſi fontes quales. 15
Leporum caro qualis. 86
Leuitas, ac grauitas aquarum quid indicet. 16
Lethalia vulnera in qua parte corporis ſint oportet. 305
Liuores, & vibices, an ſemper percuſſionem arguant. 339
Locorum ſitus pro varietate regionum varius. 4
Loca inſalubria ſeptentrionem inſpectare debent: contra qua ſunt ſalubria. ibid.
Locorum natura à caeli aſpectu variè afficitur. 7
Loca diuerſorum ſituum inaequalis ſunt temperamenti. 29
Loci quidam corporis, in quibus ferri adminiſtratio eſt periculoſa, qui ſint. 190
Lolij vitium in pane. 71
Longitudo corporis pulchri quanta eſſe debeat. 198

M

Mammillarum diſpoſitio, qua nō praegnationem oſtendat. 240.
Maritimi venti quales. 12
Manuum functiones caeteris praeſtantiores. 166
Maris vicinitas, quid conferat ad ſucci bonitatem. 23
Mare non tam variè afficitur à ſole, ſicut terra. 23

Mare

Mare attemperat aerem. 24
Maritimus locus ſaluberrimus ibid.
Maritimus locus vbi minus ſalubris. 24
Maritima quibus ſint ſalubriora. 36
Maſcula proles quomodo per medicina præcepta generari poſſit. 222
Mas, aut fœmina non in primo ſtatim conceptu generantur: ſed poſt aliquod tempus. 225
Mas an fœmina in vtero geratur, quomodo deprahendi poſſit. 245.
Mas an magis in dextra vteri parte. 246
Meridies cur ſurſum eſſe dicatur: aquilo deorſum. 2
Meridionalis aſpectus quid conferat ad ſalubritatem. ibid.
Metallorũ aquæ ſemper prauæ. 15
Mediterranea quibus ſalubriora. 36
Mendicantium doli in ſimulandis morbis, quomodo deprahendãtur. 123
Membri appellatio varia apud medicos. 175
Medicorum errores quomodo iudicio examinandi. 182
Menſtruorum temperamentũ, quomodo deprahendatur. 212
Menſtruorum retentio, quomodo pragnationem ſignificet. 239
Menſis in computandis partus tẽporibus, quiſnam adhibeatur. 264
Menſibus fluentibus, an conceptio fieri poſſit. 268
Montanus ſitus qualis. 29
Mõtium vicinitas, quid præſtet ad valetudinem. 29
Mores hominum quomodo ſequantur terrarum naturas. 38
Motus voluntarij inſtrumentum, quod ſit. 146
Morbi, qui quibus gaudeant locorũ naturis. 32
Mola à vera grauidatione dignotio. 242
Mola an poſſit fieri ſine ſemine virili. 248
Mola ſine ſemine virili concipi poteſt. 252
Monſtrum quomodo cognoſcas an animam rationalem habeat. 281
Monſtrum quæ particulæ probent habere animam rationalem. 283
Monſtrũ ex fera, & homine cuius natura ſit. 284
Monſtrum ex mulieris, & bruti cõgreſſu, an habeat animam rationalem. 285
Mortuos quomodo à viuis diſcernas licet. 297
Mortui quædam habent cum viuẽtibus communia. 301
Mors nè contigerit ex accepto vulnere, an aliunde venerit occaſio. 320
Mortis violẽta, quæ ſint cauſæ. 247
Mortes repentinas ab internis cauſis eueniſſe, quo deprahendas. 345
Mutatio locorum quanti ſit momẽti. 345
Mutatio, quæ magis periculoſa. 42
Mutatio pro ratione temporum anni qualis ſit. 43
Mutationes locorum non omnibus damnoſæ. 46

Muta-

Digitized by Google

Mutatoines aeris per mare non, adeo manifeſtæ. 47
Mutationes locorum quibus morbis conferant. 48
Muſculorum ſectio qualis eſſe debeat, vt functionem tollat. 147
Muſculis aut neruis diſciſſis nō ſemper illorum ceſſat functio. 163
Mutilatio quid ſit varia authorum loca. 171
Mutilationis triplex differētia. 172
Mutilatio vera, & exquiſita tres habet conditiones. 172
Mutilatio vera, & non exquiſita, item, propria quæ ſit. 173

N

NAuigantes in meridiem, cur citius iter perficiant. 9
Nautæ temperamēto ſicciores. 24
Naſi cicatrix deformior cæteris. 113
Naſus quantum decoris faciei præſtet. 114
Nepotes quomodo interdum referāt vitia, auorum, quæ nūquam patres pertulerunt. 235
Niuis vſus quibus ſalubris ſit, aut inſalubris. 96
Nili aqua qualis ſint. 29
Noui meſtris partus qualis. 271

O

OBeſæ mulieres ſæpè ſteriles. 213
Obeſi magna ex parte ſteriles. 210
Obſtetricum errores quomodo in iudicio examinandi. 193
Octimeſtris partus vitalis eſt aliquando. 272
Occidentalis aſpectus omnium morboſiſſimus. 3
Oriens triplex. 3
Orientalis aſpectus omnium ſaluberrimus. 3
Oribaſius notatur. 5
Ordo partiū in corpore pulchro qualis eſſe debeat. 101
Ouilla cuius naturæ ſit. 85

P

PAludes qualem aerem producāt. 21
Paludes aliquando ſalubres. 22
Plantæ, quæ arguant regionem ſalubrem. 10
Panormi viarum diſpoſitio. 33
Paradiſus terreſtris, vbi eſſe credatur. 40
Patria aer an ſemper ſit alijs ſalubrior. 49
Panis cum corrumpitur deterius nutrit, quàm cætera alimēta. 73
Pauonis caro qualis. 89
Palpebra tu lnus, quod nocumentū relinquat. 151
Particulæ quædam numerantur in quibus ferri adminiſtratio periculoſa eſt. 190
Parentes vitiati cur aliquando integros liberos generent. 233
Pariendi certum tempus an dari poſſit. 260
Partus ex dæmonum concubitu cuius naturæ ſit.
Peſtis notio communiſſima. 51

Peſtis cauſa in vniuerſum. 51
Peſtis à cæleſti principio, quomodo oriatur. 53
Peſtis non ſemper eſt à cæleſti principio. 54
Peſtis quomodo inducatur à manifeſto aeris qualitate. 56
Peſtis ex putri terræ exhalatione variè orta. 59
Peſtis ad ſalubres regiones aliunde delata. 61
Peſtis ex communi omnium victu, & an ſit verè peſtis. 63
Peſtis ferè oritur ex pluribus cauſis. 65
Peſtium ſingularium propriæ notæ 66
Peſtem adeſſe, quæ ſigna declarent. 69
Perdicum caro qualis. 87
Penis an ſit membrum nuncupandum. 177
Pectora duo, an duo capita duplex monſtrum efficiant. 289
Periculoſa vulnera, quæ eſſe dicantur. 314
Percuſſorum, quæ ſint ſigna potiſſima. 340
Phaſianorum caro qualis. 87
Phlebotbomatorum errores, quomodo in iudicio examinandi. 191
Piſces an peſtem pati poſſint. 60
Piſces quinam ſalubriter eſitentur. 80
Piſces eiecti in litus, an ſalubriter eſitentur. ibid.
Piſces capti ſparſa ephemero quales ſint. ibid.
Piſces capti in aqua in qua linum ſit maceratum quales. 81
Piſcium in nutriendo facultates. 94
Plumbearum canalium noxæ. 90
Proportio viri, ac fœminæ ad concipiendum apta. 215
Primogeniti in familijs illuſtribus cur ſæpè degenerent. 220
Prægnationis ſigna in vniuersũ. 237
Prægnationis ſigna potiora. 241
Prægnationis ſigna vulgaria. 244
Præcepta in ferendis relationibus vtiliſſima. 249
Puteales aquæ quales ſint. 17
Puteorum cautiones. 17
Pubertas quoto ætatis anno incipiat. 217
Pulchritudo ex Platone, Ariſtotele, & Galeno quid ſit. 98. &c.
Pulchritudo in tribus verſatur. 100
Pulchritudo tribus præparationibus conſtat. ibid.
Pulchritudinis definitio. 101
Pulchritudo num differat à bona valetudine. 104
Pulchritudinis tractationum ad medicum ſpectet. 105
Pulchrum, & formoſum, quomodo differant. 107
Pulchritudinis ſecũda ſpecies. ibid.
Pulchritudinis ab arte inducta duæ ſunt ſpecies. 109
Pulchritudo apud canoniſtas. 110

R

REgionales venti, qui ſint. 7
Referendum quomodo ſit de ijs, qui verè ægrotant. 118
Relationum ferendarum præcepta vtiliſſima. 249

Reſpi-

Reſpiratio communiſſima eſt viuentium nota. 297
Rubigo triticum contaminat. 74
Ruri eſt aer ſalubris. 31

S

SAbulum quid fontibus cõferat. 15
Sanguis menſtruus babet vim aliquam efficientem. 228
Septentrionalis aſpectus quid hominibus conferat. 2
Seniores quandoq; magis cõcipiunt, quam iuniores. 216
Senes quot annorum generent. 221
Seminis temperamentum, quomodo dignoſcatur. 215
Semen quid, & an à ſingulis corporis partibus trabatur. 228
Seminis robuſti, atq; imbecilli ſigna. 235
Semen muliebre babet vim agẽtem. 228
Semen ſi in vtero retineatur, concipit mulier. 237
Semini fœmineo vis eſt aliqua effectrix. 250
Semen quomodo babeat animã. 253
Septimum dierum quadragenarium legitimũ eſt tempus pariendi. 262
Septimo menſe celeriores partus, an vitales. 269
Septimeſtris partũs an vitalis. 270
Septimeſtris partus quo ſpatio contineatur. 271
Sexus diſtinctio quõ in vtero fiat. 225
Situs locorum pro varietate regionũ diuerſus eſt. 9
Situs locorum elatior, plus cæteris commendatur. 34
Syderũ ortus, & occaſus ſunt ſigna conſtitutionis aeris non cauſæ. 46
Simulantium morbos tria bom num genera. 119
Simulari ægritudines quibus modis liceat. 120
Simulãtes ægritudines quomodo detegere liceat. 121
Spuma apparet quibuſcunque intercipitur reſpiratio. 339
Stagna qualem aerem generent. 22
Sturni caro qualis ſit. 88
Sterilitas ex virilium inſtrumentorum vitio. 206
Steriles fœminæ ex vitio nſtrumentorum. 214
Sublimia loca ad ſalubritatem plurimum præſtant. 27
Sublimia loca cur aliquando inſalubria. ibid.
Suilla quale alimentum præſtet. 84
Submerſos in aquis, quomodo deprabendas. 336
Suffocatos in aere calidiore, quomodo deprabendes. 337
Suſpenſos laqueo, quomodo deprabendas. 337

T

TAbiæ aſpectus qualis. 6
Taurina qualis ſit. 85
Terræ variæ cõditiones, quid cõferãt ad aeris ſalubritatem. 29
Terræ bonitas, quomodo dignoſcẽda affuſo bumore. 30

Terra argilloſa qualis. ibid.
Terra rufa qualis. 30
Terræ motus ſæpè peſtis cauſa. 58
Temporũ quatuor diſtinctionis fœtus in vtero. 254
Temperatis hominibus conuenire loca temperata: intemperatis intẽperata. 35
Tephus producit aquas frigidiores.
Tritici vitium multiplex, & quomodo deprehendas. 72
Tranſpiratio ſola, an aliquando ad vitam ſufficiat. 298
Tres dies expectare in mortuis deprehendendis, an liceat. 300
Turdorum caro qualis. 88
Turtures quod alimentum præſtẽt. 88
Tuta vulnera, & periculoſa, quæ dicantur. 314

V

Varicoſi ſæpè ſteriles sũt. 211
Ventorum termini, vnde incipiant, non vbique ijdem. 8
Ventorum qualitas in vniuersũ. 8
Venti qualitatem accipiunt à ſole oriente, & occidente. 10
Venti boreales ſalubriores orientalibus, & quare. ibid.
Venti alij ſunt vniuerſales, alij regionales. 7
Venti particulares qui ſint, & quales. 11
Ventorum qualitas ſæpè ab occulta cauſa. 11
Venenorum cõmunia indicia. 13
Venenorum poſt obitum, an certa ſint ſigna. 331
Veneno conſumptos, an diſſecare conueniat: 333
Venenorum, quando certa ſigna haberi non poſſunt. 334
Viarum ratio in ciuitate, qualis eſſe debeat. 32
Virginitas vulgaria quædam ſigna. 196.
Virginitatis vulgaria ſigna improbantur. 198
Virginitatis ſigna potiora. 197
Virgines ſæpè ſunt ſteriles. 214
Vibices, & liuores an ſemper percuſſionem oſtendant. 339
Violenta mortis cauſa ab interno principio. 347
Virilium inſtrumẽtorum vitia, quæ ſterilitatem inducant. 206
Virilia membra ignaua, quomodo ſterilitatem inducant. 209
Viri vitia, & adulteria, quomodo agnoſcenda. 95
Vndecimeſtris partus natura. 276
Vndecimo menſe tardiores partus, quales ſint. 277
Volatiliũ caro, quæ cæteris præſtet. 86
Vrbis certæ regiones ex quibuſdam accidentibus ſalubres, inſalubreſuè ſunt. 31
Vrinæ prægnantium quales, & num aliquid certi oſtendant. 242
Vſus actionis quid ſit. 176
Vulnera in interna membri parte accepta flexionem impediunt, in externa extenſionem. 148
Vulnera, quæ buccarum, & labiorũ, & inferioris maxillæ functiones læſura ſint. 151

Vulnera, quæ capitis motus impediāt: & vbi illata eſſe oportet. 53
Vulnera brachiorum quas offenſas relinquant. 154
Vulnera manuum quæ, quas functiones impediant. 156
Vulnera fœmoris, ac tibiarum quas functiones impediant. 157
Vulnera neruorum, ac ſpinæ, quas functiones impediant. 159
à Vulnere vtrum integrè quiſpiam ſanatus ſit. 178
Vulnera, quæ perpetuum nocumētū relinquant in corpore. 159
Vulnera, quæ lethalia ſint, quæ tuta, quæ periculoſa. 304
Vulnera lethalia quarum ſint partium 306
Vulnera capitis cuius naturæ ſint. 317
Vulnera exigua, quomodo hominem interficiant. 32
Vterus magis præſtat ad maris generationem, quam ſemē viri. 225
Vteris os ſi claudatur, prægnationis indicium. 238
Vterum intemperies, quæ ſteriles faciat. 211

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE

Cav. G. DI GIACOMO
[illegible]